ILLUSTRISS. VIRI IOSEPHI SCALIGERI, ... EPISTOLAE OMNES QUAE...

Joseph Juste Scaliger, Daniel Heinsius

Digitized by Google

6
41-h
19

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 B
5

6-41-h-19

6-41-h-19

ILLVSTRISS. VIRI


IOSEPHI SCALIGERI,

Iulii Cæſ. à Burden F.

EPISTOLÆ

OMNES QVÆ REPERIRI POTVERVNT, NVNC primum collectæ ac editæ.

CAETERIS PRAEFIXA EST quæ eſt De Gente SCALIGERA*; in qua de autoris vita; & ſub finem* DANIELIS HEINSII *De morte eius altera.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

FRANCOFVRTI
Sumptibus Aubriorum & Clementis Schleichii.

ANNO M. DC. XXVIII.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, MAGNIFICISQVE VIRIS,

Illuſtriſsimæ Lugduno-Batauæ Academiæ

CVRATORIBVS AC VRBIS CONSVLIBVS.

Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Magnificique Viri,

HOmines quotidie in terris, non quotidie miracula naſcuntur. Et Natura, quæ hac tempeſtate ſæpius abortum parit, raro aliquid illuſtre ac admiratione dignum edit: niſi quod, quid tota poſſet, in Scaligero vtroque ſerio experta eſt. Vt commiſſa ſecum ipſa, omnes vires ſuas in poſteritatis admirationem bis periclitari voluiſſe videatur.

Nam & Patrem cæteris maiorem, & vt illum cæteris maiorem, ita parem ac ſimillimum Parenti filium in lucem edidit. Quem vt Gallia terrarum orbi, ita Vos, ereptum Galliæ & huc translatum, orbi vniuerſo vere exhibuiſtis. Quia in hoc ocio præclaro, in hac libertate veſtra, maxime admiranda ingenii cœleſtis monumenta famæ conſecrauit. quibus, quamdiu honos eruditioni ſtabit, quamdiu erunt homines in terris, qui aut eminere literarum laude, aut fauere talibus præclarum iudicabunt, nunquam deerunt qui ſuum tribuant; & tanquam Sacra omnibus expoſita, cum veneratione colant, vel profectus gratia accedant. Euênit autem nobis, vt cum forte peregri eſſemus, viri huius vere incomparabilis Epiſtolas, quæ tanto ambitu

ab

ab omnibus petuntur, nobiliſſimus vir quidam, nobis & Scaligero amicus, excudendas daret. quibus paulo poſt in Patriam reuerſi, plurimas, quas vltro nobis aliquot amici contulerunt, lubentiſſime adiunximus. Quem Theſaurum vt terrarum orbi inuidere, ſacrilegio affine videbatur, ita vobis conſecrandum duximus. qui cum hunc Phœnicem (eo enim titulo ac nomine ab Illuſtribus Ordinibus vocatus fuit) hic ſtitiſtis, & in Academiam hanc tranſtuliſtis, dignos omnium iudicio vos præſtitiſſe arbitramur, quibus cineres illius offerantur. E quibus vt quotidie renaſcitur ac renaſcetur, quoties in lucem aliquid à ſumma eius eruditione ac ingenio prodidit, ita honos veſter pariter cum eis viuet: neque magis extinguetur, quam me-

moria illius, qui æternitatem ſibi peperit, quem aliis poſt obitum conferre poteſt. Valete, Nobiliſſimi Ampliſſimique viri, & vt officinæ noſtræ, quod cœpiſtis, porro faueatis, ſupplicamus, veneramur, Lugd. Batau. Anno cIↄ Iↄc xxvII. poſtridie Cal. April.

Amplitud. V V deuotiſſimus

B. & A. E.

AMICO

AMICO LECTORI.

AMice Lector, *Ioſephi Scaligeri, viri Illuſtriſſimi, & tanti, quantum vniuerſus orbis nouit & vbique prædicat, Epiſtolas hic damus; opus eruditione varia refertum, & quod, ante eruditionem & in ipſa ſæpius experti ſumus, quam acceptum eruditis omnibus futurum ſit. In quarum diſpoſitione, vt non anxiam, ſic aliquam habendam ordinis ac ſeriei rationem duximus. Quæ enim ſcriptæ ſunt ad ſingulos, coniunximus. quia minime interrumpi iſta ratione ſeriem Hiſtoriæ exiſtimauimus. Quod fortaſſe in omnibus, (quæ tamen paucæ ſunt) non licuit, quia quaſdam ſerius accepimus. Archetypa cum ectypis, quod aliquando licuit, contulimus: multa*

* 4 per-

perperam deſcripta aut corrupta, ad exempla ſingularum emendauimus. Sub finem cæterarum, de diuini viri obitu Epiſtolam adiecimus. cui autor quædam, poſtquam miſſa fuit, addidit: ne quis admiretur, ſi quid κατὰ πρόληψιν ab eo dictum ſit. In Pariſienſi ac Germanica editione mendas plurimas, ac pene innumerabiles, ſuſtulimus. Ex quibus ſupereſſe nullas, vbi, cum autographa deeſſent, ſoli coniecturæ locus fuit, vix præſtare poſſumus. Nam vt Græca & Latina, ita ſæpe Hebræa & Arabica corrupte erant edita. Illas ergo, & ſi quæ nunc operis interuenerunt, præter eas quas collegimus ac ſuo loco damus, diligentiæ lectoris & induſtriæ committimus. Cæterum, cum de editione Opuſculorum & Epiſtolarum viri ſummi Iſaaci Caſauboni, quæ haud parum lucis his Scaligeri pleriſque in locis, ac præſertim iis quas ad eum ſcripſit, allaturæ ſunt, nunc cogitemus,

mus, petimus, vt quiſque, pro humanitate ſua & communi bono, præter eas quas non paucas à quibuſdam impetrauimus, communicet quas habet, & hanc ſymbolam conferre ne grauetur. Quod facturos omnes promto animo confidimus, ſperamus, qui non modo nominis tam magni viri, ſed & ſui, rationem habent. Primum enim ac præcipuum in vita, placuiſſe primis. quæ compendiaria ac breuis ad æternitatem via eſt. Vale, Amice Lector, & his faue.

Elogia eruditorum

DE

IOSEPHO SCALIGERO
EX INFINITIS PAVCA.

Ex Iacobi Auguſti Thuani Hiſtoriarum libro XXI. *vbi de Iulii Cæſaris Scaligeri obitu.*

EX Andieta Rupia Lobeiaca, nobili fœmina, cui annos XVI. natæ iam prouecta ætate nupſit, plureis libros ſuſtulit: ex quibus vltimus hodie ſuperat Ioſephus Iuſtus Scaliger: qui, ſecundum Patrem nunc inter literatos, & in re literaria, principem ſine controuerſia locum tenet. vere eruditorum phœbus, vt politiſſimi ingenii vir eum indigitauit. De hoc vt plura dicam, nec pudor eius patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet: quanquam minime vereor, ne propterea minus vera de eo prædicare videar, cum, quicquid dixero, opinione omnium vero minus ſit. Sed potius eſt, vt tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum, quo diuinum eius ingenium cum rara morum probitate coniunctum, pro iure amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili

rabili ſilentio, vt in Sacris fieri amat, obſigne-
mus.

Ex Iſaaci Caſauboni Præfatione, quam Opuſculis Ioſephi Scaligeri præfixit.

Nihil eſt quod diſcere quiſquam vellet, quod ille docere non poſſet: nihil legerat (quid autem ille non legerat?) quod non ſtatim meminiſſet: nihil tam obſcurum aut abditum in vllo vetere ſcriptore Græco, Latino, vel Hebræo, de quo interrogatus non ſtatim reſponderet. Hiſtorias omnium populorum, omnium ætatum, ſucceſſiones imperiorum, res Eccleſiæ veteris, in numerato habebat. animalium, plantarum, metallorum, omniumque rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes, qua veteres, qua recentes, tenebat accurate. Locorum ſitus, prouinciarum fines, & varias pro temporibus illarum diuiſiones, ad vnguem callebat. Nullam diſciplinarum ſcientiarumve grauiorum reliquerat intactam. Linguas tam multas tam exacte ſciebat, vt vel ſi hoc vnum per totum vitæ ſpatium egiſſet, digna res miraculo potuerit videri. *Vide ibidem plura. vt & in Epiſtola, quam Martialis Epigrammatis à Ioſepho Scaligero verſis idem præfixit.*

Idem

Legant οἱ φιλομαθοῦντες, ſi lubet, quæ ſuper hoc Notis ſuis ad Sphæram Barbaricam Manilii ſcripſit decus illud æternum æui ſui Ioſephus Scaliger: vir, aut heros potius, & quidem heroe magno ſatus, in tantum laudandus, in quantum virtus & meliores literæ poſſunt intelligi. Quarum ille δαιμόνιος ἀνὴρ magnitudinem, amplitudinem, majeſtatem denique, pene ſolus quum animo viderit, ingenio fuerit complexus, diuina & ſine exemplo felici induſtria, per totum vitæ curriculum, bene de iis mereri nunquam ceſſauit. Quantam in nupero eius obitu Reſpublica literaria fecerit iacturam, quantum & quam ἀνήκεστον vulnus acceperit, omnes intelligunt eruditi, in quorum pectoribus probitas, candor, φιλαλήθεια, & gratus animus, nimis ah nimis raræ hoc ſæculo virtutes, habitant: certe, quorum mentes à rationis vſu, atque adeo ſenſu communi, ὑπὸ θηριωδίας καὶ θεοβλαβείας non exaruerunt. *Vide eundem paſſim.*

Iuſtus Lipſius, cum paſſim, tum Epiſtola ad Berchemium.

Scaligeri ad Auſonium, en tibi. ô virum! o filium à patre magno magnum!

——merito cui doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.

Enim.

Enimvero ille vnus eſt, quem miramur, quem æmulamur: imo ne mentiar, cui inuidemus. Felicem Galliam hoc Sole! cuius claritas, non ad eos ſolum qui nunc ſunt, ſed ad poſteros diffunderetur, quamdiu quidem erit in terris nomen literarum.

Idem ad alium amicum.

Scaligeri ingenium grande & capàx, diffuſum per omnes artes. Mirificus ille vir eſt, & quem Homeri verbis iure appelles δαΐφρονα ποικιλομήτην. *Vide omnia eiuſdem ſcripta.*

Iulius Cæſar Bulengerus, Theologus Sorboniſta, & in Academia Piſana Profeſſor, lib. XII. *Hiſtoriar. ſui temporis.*

Hoc curſu fortuna anni milleſimi ſexcenteſimi octaui tranſiit. Secutus eſt annus milleſimus ſexcenteſimus nonus, Ioſephi Scaligeri morte feralis: quo noſtra ætas neminem maiori ad literas genio ingenioque tulit & forte anteacta ſæcula parem omni doctrinæ genere non habuerunt. Obiit XII. Calend. Feb. &c. *Paulo poſt.* De Scaligero omnis oratio eius commendatione inferior eſt. Vt enim omittam illa quæ iuuenis ad Varronem, Feſtum, Tibullum, Propertium, Catullum, incomparabili doctrina enotauit, quis diuinum illud De emendatione Temporum opus, quis ad Euſe-

bium

Illic principia & naſcentis ſemina mundi
Aſpiceres ferri paſſim, paſſimq; vagari,
Paulatimq; alias aliaſq; aſſumere formas.
Nec non & variis animalia quæq; figuris
Cœlo efferre caput: duroſq; aſſurgere in armos
Corpora taurorum, natoſq; ad triſtia bella
Feruere cornipedes, ſuſpenſaq; voluere crura,
Et librare pedum alterno veſtigia paſſu.
Illic & volucres ſcindentes aera pennis,
Et totam Oceani vaſto cum gurgite gentem,
Fecerat alma Deûm genitrix. Ille, abdita rerum,
Et genera & formas, primaſq; ab origine cauſas
Illis luminibus luſtrat, quibus omnia quondam
Eruit, & ſeros vetuit neſcire nepotes,
Quæ cœlum irradient flammæ, quis ſidera paſcat
Spiritus, & terram mediis infixerit vndis.
Infra, orbem geminum, Nereiq; vndantia regna,
Inſanumq; videt Boream, cœloq; minantes
Æolio fratres, cogenteſq; aëra nubes,
Et pluuios rores, & gratos frugibus imbres.
Ipſa immota manet, nullis obnoxia ventis,
Heroum ſedes, & læto inuoluitur igni.
Illuc Iuliadem rerum pulcherrima Virtus
Duxit, & in tuta preſſum ſtatione recepit
Inuidiæ iaculis, & ſæuæ afflatibus Hydræ:
Quam quondam omnipotens alto ſubmouit olympo,
Septem orbes, ſeptem vibrantem in prœlia linguas.
Cætera ſerpit humi: ſolum in ſublime venenum
Spargitur & fœdo virtutem inuadit hiatu,
Cognataſq; Deis animas & pectora tentat
Ollis fata negant ſublimem irrumpere ſedem,
Nil prius infandam dederint in vincula peſtem
Illam inſultantem fruſtra, fruſtraq; vomentem
Tartareum virus, ſpinoſaq; verbera caudæ

Inten-

Intentantem oculis, vi contra immobilis heros
Pergerat, & certo ſpirantem eliſerat ictu.
Ergo vbi peruenere locum ſedemq; beatam,
Extemplo immenſæ ceſſerunt cardine valuæ,
Et patuit formoſa domus, tectoq; recepit
Magnanimum heroem, primumq; ex ordine mater,
Ambroſiæ ſucco mortalis perluit artus,
Amiſſumq; dedit vires, turpemq; ſenectam
Exuit, & lethi ignaros aſpirat honores.
Haud aliter medii ſurgentem ex ignibus Oetæ,
Alternos humeros ſemiuſtaq; membra mouentem,
Perruptorem Erebi, mactatoremq; ferarum,
Alciden videre Dei: iuxtaq; Iuuentas
Aſſitit, & lætos humeris iniecit amictus.
Accurrunt proceres, antiquæ ſtirpis origo
Aſſurguntq; viro: totoq; ex agmine maior
Cæſar, in amplexum lachrymis accurrit obortis,
Dextramq; manu, ſolioq; excepit auito,
Et primo memorat longæuam à ſanguine gentem:
Tot Diuos, Verona, tuos Hunnumq; ferocem,
Fractum animis, totoq; eiectum corpore regni,
Nec læto auſpicio fundatam Antenoris vrbem.
Hic cœli ſedes in medio, Phœbumq; cadentem,
Vel qua hiems venientis rorantia diſcutit vmbras,
Aſtraq; metitus radio, ſeruumq; Booten,
Semotamq; Helicen, ſtrictumq; Orionis enſem.
Nec non & ſpatia Annorum, menſesq;, Dieſq;,
Temporaq;, & certis deſcriptum legibus Æuum,
Omnia quæ quondam populis obſcura per orbem
Prodidit, indulgens ſtudiis: totamq; per æthram
Spargit ouans animam, vaſtoq; immittit olympo.
Salue ingens cæli decus, & tua ſacra per orbem,
Per populos vrbeſq; omnes & regna ferentis.
Sis felix, noſtriq; memor, procul aſpice terram

Inuidia peſtem. quæ te, quanquam ætheris alti
Inuictum ſedes, & ſidera ſumma videntem
Sub pedibus, ſequitur: vanisq; exercita curis
Nondum diuinos patitur requieſcere manes.

INDEX EORVM AD QVOS EPISTOLÆ HÆ SVNT SCRIPTÆ.

Ex Epiſtolis pluribus ad eundem ſcriptis, & inter ſe cohærentibus, tantum primæ & extremæ numerus expreſſus eſt.

A.

ADriano Romano. 454
Alexidi Gaudinio. 379
Andreæ Schotto. 666
Anguſtino Puteano. 399.400

B.

BAlthaſari Lydio. 534.ſeq.
Bonauenturæ Irlando. 481

C.

CAroloFaleſæo, Curatorum Academiæ Leydenſis & Conſulum. 798
Carolo Labbæo. 577.578.634
Chriſtiano Becmanno. 498
Chriſtophoro Puteano. 400. 401.402
Claudio Puteano. 398
Claudio Salmaſio. 482.490
Claudio Vernellæ. 93
Conrado Rittershuſio. 432
Cornelio van Dale. 754.784
Cornelio vander Mylio. 653. 656
Curatoribus Academiæ Leydenſis. & Conſulibus eiuſdem Ciuitatis. 799

D.

DAnieli Eremiræ. 431
Danieli Heinſio. 532.535. Caſaubeni. 759 777
Dauidi Hœſchelio. 671.683
Dauidi Riualdo à Florentia. 409
Dominico Baudio. 391.397

E.

EIlhardo Lubino. 664
Everardo Vorſtio. 559

F.

FEderico Ceruto. 667
Florenti Chriſtiano 123 Iani Douſæ. 794
Franciſco Douſæ. 120.778
Franciſco Vertuniano. 49.114. Curatorum Acad. Leyden. & Conſulum. 798
Friderico Lindenbrogio. 416. 417.422.431
Friderico Taubmanno. 684. 729.730.787

G.

GEorgio Michaeli Lingelshemio. 571.574
Gerardo Ioanni Voſſio. 560
Gerardo Tuningio, Regis Chri-

Chriſtianiſſimi literæ conductæ. 509
Gebhardo Elmenhorſtio. 501.507
Gilberto Seguino. 82.91
Griſæo. 580

H.

HEliæ Putſchio. 689
Henrico Lindenbrogio. 415.416.421.431

I.

IAcobo Cahogneſio. 500
Iacobo Capello. 451
Iano Douſæ. 1.116.784.801
Iano Grutero. 699
Iano Kortetio. 187
Ioanni ab Oldenbarneueld. 510.512
Ioanni à Wouwer. 657.661
Ioanni Buxtorfio. 478.481
Ioanni Calclio. 521.522
Ioanni de Laet. 736.745
Ioanni Druſio. 544.559
Ioanni Lydio. 553.542
Ioanni Pontano. 449
Ioanni Stadio. 52
Ioanni Vaſſano. 494.498
Ionathæ Petit. 414
Ioſepho Scaligero, Caſauboni. 718. Curatorum Academiæ Leydenſis & Conſulum. 791. 796. Regis Chriſtianiſſimi. 803.807. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ. 804.809
Iſaaco Caſaubono. 331.334
Danielis Heinſii. 759
Iuſto Lipſio. 78.80.81

L.

LAurentio Rhodomanno. 685.688

M.

MAmerto Patiſſoni. 63
Marco Velſero. 326.376
Marquardo Frehero. 433.448
Martino Lydio. 528.529
Mauritio Principi. 810
Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto. 789.790

N.

N.N. 746.751.785
Nicolao Michaelio 403
Nicolao Nancelio 390
Nicolao Vaſſano. 493.494.496

P.

PAulo Dumay. 663
Petro Ciacero. 456
Petro Labbæo. 577.587
Petro Pithœo. 123.130
Petro Scriuerio. 755.779.783.788

R.

REgi Galliarum & Nauarræ, Principis Mauritii. 879. Ord. Hollandiæ & Weſtfriſiæ. 806
Richardo Thomſoni. 459.475
Roberto Duguiano. 384

S.

SEtho Caluiſio. 561.570
Stephano Vberto. 636.639

FINIS.

DEO
OPT. MAX.
SACRVM.

ET

ÆTERNÆ.MEMORIÆ.IOSEPHI.IVSTI SCALIGERI.IVL.CÆS.A BVRDEN.F.PRINCIPVM.VERONENSIVM. NEPOTIS VIRI. QVI.INVICTO. ANIMO.VNA.CVM PARENTE.HEROE.MAXIMO.CONTRA.FORTVNAM.ADSVRGENS.AC. IVS.SVVM.SIBI PERSEQVENS.IMPERIVM.MAIORIBVS EREPTVM. INGENIO.EXCELSO.LABORE INDEFESSO.ERVDITIONE.INVSITATA. IN LITERARIA. REP. QVASI. FATALITER.RECVPERAVIT.SED.PRÆSERTIM.EIVSDEM MODESTIÆ. QVOD. SIBI. FIERI VETVIT IIDEM. QVI. IN VRBEM. HANC. VOCARVNT CVRATORES. ACADEMIÆ. AC. VRB. COSS. HOC. IN LOCO. MONVMENTVM. P. E. L. C.

IPSE. SIBI. ÆTERNVM. IN. ANIMIS. HOMINVM RELIQVIT.

IOSEPHI IVSTI

SCALIGERI

IVL. CAES. FILII

EPISTOLARVM

LIBER PRIMVS.

EPISTOLA I.

De vetuſtate gentis Scaligeræ: in qua & de Vita vtriuſque Scaligeri.

AD NOBILISSIMVM

IANVM DOVSAM Dominum à Nordwijck, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM à Franciſco Sanſouino luculentum opus de illuſtribus Italiæ familiis editum eſſe audiuiſſem, eiuſque videndi maximo deſiderio arderem: effectum eſt amicorum opera, vt eius libri, qui vnicus in his regionibus extabat, copia ad paucos dies mihi facta fuerit. intra quas anguſtias quanuis raptim eum ſcriptorem percurrimus: tamen per eas nobis licuit non ſolum fructum aliquem ex eius lectione colligere, ſed etiam de auctore, eiuſque opere certo iudicare. Nam quin ei ex accuratiſſima tot illuſtrium originum inueſtigatione maxima tam ab ipſis illuſtribus gentibus gratia,

quam à poſteritate laus debeatur, negari non poteſt. Quod autem vbi ad vetuſtiſſimam Scaligeram gentem, Regum & Principum progenitricem deuenit, non ſolum ſtrictim & ieiune, ſed etiam maligne de ea loquitur, non poſſum facere, quin quantum eius diligentiæ tribuebam, tantum candori detraham. Hiſtoricus enim clarorum virorum facta moreſq; poſteris tradit, ſine gratia, ambitione, & inuidia, bonæ tantum conſcientiæ precio ductus: vt ſi de veritate detrahat, neceſſe ſit, hoc aut ignorantiæ recti negligentiæque adſcribere, aut inuidię. Sed ignorantia aut negligentia in eo locum non habent, qui in quibuſdam propior adulatori nimio diligentior fuerit, in aliis etiam nimium quantum curioſus. Habet præterea, vt excuſari non poſſit, domeſticos teſtes, per quos illi veraciori eſſe licuiſſet, & ridiculo ac contumelioſo poſtremi nebulonis Villanii teſtimonio abſtinere. Atque vt alios, qui olim pręclare de noſtra gente & ſenſerunt, & ſcripſerunt, omittam, vernaculus ſcriptor Torellius Saraina iuriſconſultus tres libros de principibus Scaligeris & eorum geſtis ſermone patrio conſcriptos reliquit: qui liber ante hos quinquaginta duos annos Veronæ editus eſt. Cum ergo hoc non ſit negligentia, eſt ergo ſuccus loliginis & κακοήθεια. Neque vero hic ictus eſt temerarius. ex deſtinato venit. Iamdudum ſentimus nos ab hoſtibus nominis noſtri oppugnari. Sed videamus, quid maleuolentia lucrata ſit ex hoc perfunctorio & obtrectationi proximo ſtilo. Nempe commemoratam à Sanſouino clariſſimi noſtri generis gloriam lector præteriiſſet. nunc præteritæ à Sanſouino omnes cauſam requirunt. Miſeram vero nobilitatem, quæ in alienum ſuffragium venit, & quam non natalibus & maiorum noſtrorum virtuti ſed ſcriptorum libidini debemus. Ad precatorem, quæſo, abeamus, qui nobis precariam generis vetuſtatem ab iſtis hiſtoricis impetret, quos niſi

placatos

placatos habeamus, metuendum nobis eſt, ne non ſolũ obſcuri,ſed ne bonis quidẽ prognati cenſeamur. Dantes Poeta illuſtriſſimum Chriſtianiſſimorum Regem Franciæ genus à laniis Pariſienſibus deducit, vtiq; tam vere, quam ille tenebrio noſtrum à ſcalarum fabro: quas mirum, ni auctor generis in ſuſpendium eorum parabat, quos vaticinabatur illuſtri nobilitati ſuæ obtrectaturos. Paulus Iouius,me puero,in aula Henrici ſecundi obſcuriſſimo cuique claritatem generis mercede pollicebatur, maledicentia vlturus, qui eius nundinationi aduerſaretur: quod quidem expertus eſt Annas Mommorantius Comes ſtabuli Franciæ traductus à venali hiſtorico non aliam ob rem, quam quod neſcio quid impudenter petẽs,repulſam tuliſſet.Sed Iouius vltus eſt priuatũ odium. Sanſouino vnde ille liuor, & ærugo,non video. Dei bonitate, & maiorum meorum virtute, generi noſtro ſemper ſuus conſtabit ſplendor, qui ſi nullus à natalibus eſſet,à patre meo, à me, ab alio incipere poſſet, cum vnuſquiſque ſit auctor nobilitatis ſuæ, quoties ad priſcorum heroum virtutes ſeſe componens, exiſtimat eos maiores ſuos eſſe,nec ex quibus genitus, ſed quẽ ſe ipſe genuerit, & formauerit,reſpicit: & vnuſquiſq; cauere poteſt,ne in malum deprauetur;cum interdum euitare non poſſit,ne ſua nobilitas in plebitatem degeneret: quod parum abeſt,quin hodie in nobis locum habeat,ex illa tam numeroſa nobilitate ad paucos redactis. ὧδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων. Quia igitur me rebus humanis exempto, nemo futurus eſt, qui memoriam gentis noſtræ, aduerſus hoc ſæculũ veritati & virtutibus tam infeſtum tueri poſſit,graſſanti inuidiæ obuiã ire decreui, & generi noſtro ab vltima vſq; origine ad auum meum deducto, patris mei vitam ſubiicere: qui vt primus in gentem noſtrã literas intulit, ita dignus eſt, vt literis,de quibus tam bene meruit,memoria eius conſeruetur: quam quidem ab

obliuione vindicare, non ambitio eſt, ſed fiducia veritatis. Quo minus difficile erit mihi apud æqua iudicia obtinere, ne aut putidus aut moleſtus eſſe videar, ſi in patris mei vita explicanda, cum eius quædam memorauero, ideo laudare videar, quia illa laudanda. Non dubitaui autem, nobiliſſime Douza, quin tibi priuatim rem gratã facturus eſſem, ſi cuius ſcripta amas, eius vitam tibi deſcriberem, quantum quidem meminiſſe poſſum eorum, quæ aut ipſe vidi, aut ab ipſo, aut ab eius æqualibus, qui eum in Liguribus Taurinis militantem viderunt & nouerunt, accepi. Multa hactenus latent me, quæ ignoro: multa excidere, quæ ſciui: vt poſſim agnoſcere morbum memoriæ meæ, quæ mihi in hac ætate aurem vellit, & me monet quotidie mori. Quanquam vero ex quo tempore tranſcriptus es in hanc coloniã, tanti tibi eſt rei publicæ vacare, vt neceſſario animum tuum circumſcribas à melioribus ſtudiis: tamen tibi iniquus ſim, ſi publicas occupationes tuas neglectum literarũ interpretor, quaſi bellũ aut odium his humanioribus indixeris. Hoc non tibi, ſed illis obiiciendum eſt, quibus domus ſua diuerſorium otii eſt: cum tua tibi ſit à publicis curis ad honeſta ſtudia receptus. Neque vero ignoro, quocunq; tempore conueniaris, parum tibi à re publica vacare. Sed ſi cum tot concurrentibus curis paria feciſti, & tanti facis hanc epiſtolam, vt totam velis perlegere; puta te nondum labore defunctum, ſed laborem tantũ mutaſſe: quem tibi non indicerem, niſi è dignitate gentis Scaligeræ eſſe exiſtimarem, tibi doctiſſimo patris mei vitam, nobiliſſimo nobilitatem eius nõ ignorari: de qua tametſi nemo paulo doctior dubitare, nemo probior non fateri debet; tamen omni nobilitati hoc, vt ita dicam, vitium interuenit, quod ea ſine opinione hominũ ſola ſeſe tueri nõ poteſt. Nam nobilem ignorari, eſt inter ignobiles cenſeri. adeo vt non minus referat nobilem haberi, quam eſſe: & nihil

interſit, diuitiæ te nobilem acceperint, an fecerint: cum factio atq; opes vetuſtam originem in nobilitate continuent, nouam in nobilitatem admittãt. Quod ſi hæc adminicula defecerint, vel ex principe nobilis minorum gentiũ, vel ex nobili plebs fies. Non vacat adducere huc tum quos priſca hiſtoria memoriæ prodidit, tũ quos maiorũ aut noſtra ætas tulit, imo quos ipſi vidimus, oriundos felicibus, infelices vero aut nuper natos, aut factos: quorum generis faſtigium idem caſus, qui & domorum, decuſſerit. Non adferam tot illuſtrium familiarum non tantum ipſis, ſed & ſtantibus quoq; lamentabiles euerſiones. Abunde fidem fecerit fortuna Scaligeræ domus, quæ vt maieſtatẽ generis apud mentes hominum perpetuare poterat imperio ſuo retinendo, ita amittendo, ſplẽdorem, quem continuare non potuit, obſcurauit. Itaque cum videam quaſdã familias, hiſtoricorũ magis factione, quã merito natalium ſuorum, priſcarũ proſapiarum illuſtrem gloriam æquaſſe: nobis metuendũ non erat, ne ſtante fortuna imperii noſtri, deeſſent, qui tam illuſtris, tam vetuſtæ gentis memoriam ſaltem conſeruarent. Sed verſis fatis in contraria, vix eſt, vt homines non ſibi perſuaſerint, quia nullum eſt Scaligerorum imperium, propterea nullos extare Scaligeros. Imo multi ſunt, qui non ſolum ipſi credere, ſed & nobis perſuadere, ſi ita inſanimus, parati ſunt: cum tamen hodieq; multæ familiæ Scaligeræ ſtirpis extent tũ in Bauaria, & reliquo Norico, tũ in Dalmatia, & Karnia. Quare qui defeciſſe vniuerſum genus Scaligerorũ clamant, & ſcriptis palam teſtantur, nę ipſi ſui nominis & pudoris decoctores ſunt, qui in eorum gratiam, quibus adulantur, tot illuſtrium familiarum odium mereri, quam verum dicere malũt. Ad hanc hominum inuidiam acceſſit quoque temporis iniuria: quia, vt etiã Torellius Saraina teſtatur, perpauca relicta ſunt noſtri generis monimenta: puto, quod hoſtes nomi-

nis Scaligeri omnia, quæcunq; nanciſci potuerunt, gentis argumenta, aboleuerint, dum imperii Veronenſis fato Scaligeræ ſtirpis memoriam finiunt. Ea vero pauca Chronica, quibus ſe adiutum ſcribit idem Saraina, adeo mendoſa erant, & inter ſe pugnantia, vt in multis coniectura illi opus fuerit. quod tametſi ipſe non monuiſſet, tamen res ipſa palam loquitur. Vt in genere non minor illi à nobis habenda ſit gratia, quod memoriam maiorũ noſtrorum, quantum in illo fuit, diligẽtia ſua conſeruarit, quam venia danda, quod meliorum Chronicorũ fide deſtitutus, in tam periculoſa nauigatione curſum tenere non potuit, & à vero aberrauit. Caſtigandus tamẽ, quod metu, an adulatione quædam tacet, quædam adiicit: vt cum Wilelmũ Groſſum non ex Elizabetha Bauara, ſed ex concubina natum ſcribit, aduerſus & receptam antiquitus apud maiores noſtros & in Bauaria opinionem, & adeo contra veritatem ipſam, & Pauli Æmilii ſententiam. Sed hoc additum fabulæ, ne illuſtriſſima Ducum Bauarorum gens vllum ius cognatitium haberet Scaligeros in veterem imperii Veronenſis poſſeſſionem reſtituendi. Hinc illæ lacrimæ. Non ferendus etiam, quod in non paucis pueriliter hallucinatur. Vt cum, verbi gratia, Cæſaris Ludouici Bauari vitam ad annum vſque cIↃ CCCLIX. extendit: cum cõſtet ipſum Ludouicũ anno cIↃ CCCXLVII, menſe Octobri, veneno à vidua Alberti Auſtriaci propinato, obiiſſe. Niſi Sarainæ idem condonandum, quod doctiſſimo Gaſpari Peucero, qui ſcribit, mortuo Galeazzio, Alexandriam, & Papiam à Cane Signorio occupatas fuiſſe, eaſq; ſucceſſori Galeazzii reſtitutas, Cane Signorio in gratiam recepto: qui eſt manifeſtus ἀναχρονισμὸς viginti ſeptẽ aut amplius annorum. Nã Canis Signorius obiit anno CIↃ CCCLXXV. Galeazzius autem ille anno cIↃ CCCCII. Sed & non abludunt ab hac abſurditate ea, quæ in Epitaphio Bailardini Noga-

rolæ

rolæ inciſa ſunt in Eccleſia Ciani Caſtelli, in territorio Veronenſi, ditionis Nogarolarum illis olim à Scaligeris conceſſæ. Manifeſtum enim eſt, epitaphium multis annis poſt obitum Bailardini conditum fuiſſe. Imo alii de hoc Bailardino ſcribunt, eum nomine Alberti & Canis Scaligerorum legatum ad Henricũ Cęſarem fuiſſe anno cIↃ CCCXXXV. cum Henricus obierit anno cIↃ CCCXIII. Tamen Saraina monumentis veteribus deſtitutus veniam in multis meret. Quod enim multa principum Veronenſium præclara facta omiſerit, non hominis ſed temporis culpa eſt. vt cum tacet, Imperatorẽ Rupertum cum exercitu Canis Signorii congreſſum infeliciter in agro Brixiano ad lacum Benacum, turpi fuga ſeſe recepiſſe. Sed & quid meruit, cum Maſtini tertii exitũ deſperationi ſimilẽ facit? idem ſane quod alii, in quib. Sanſouinus, qui eũ imperio excidiſſe dicunt. niſi quarundã ciuitatũ amiſſionem imperii exitium vocant. Igitur iniuria temporis, maleuolentia hoſtiũ, imperitia ſcriptorum, eos cuniculos in generis noſtri memoria egerũt, vt de totius nominis Scaligeri ruina metuendũ eſſet, niſi præſto fuiſſet eloquentiſſimus vir, & antiquarum originum vindex Paulus Æmilius Veronẽſis, qui nactus in Norico acta & annales proſapię noſtrę vetuſtiſſimos, pingui ſtilo, vt ipſe ait, conceptos, edolauit eos, & Latine loqui docuit. Ex eo libro parẽs meus ea excerpſit, quæ ad noſtri generis claritatẽ præcipue pertinere viſa ſunt. Cætera per otium deſcribere nõ licuit. Quod vtinam feciſſet, & nobis edendi laborem reliquiſſet. Poſtquam igitur Paulus Æmilius multa de ſplẽdore & vetuſtate gentis Scaligerę diſſeruit, deducta generis ſerie ad Alanum Scaligerũ, Carniolæ, & Tirolii, atque montanorum Feltriæ, totiuſq; reliqui tractus inalpini principẽ: docet, quomodo Attila Hunnorũ Rex in Italiam per Carniolæ montes irrumpens ab Alano armis depulſus, & in partes Altini ſummotus eſt.

Quo tempore accolæ Venetici ſinus ingruentem tempeſtatem proſpicientes, relictis oræ maritimæ auitis ſedibus, in proximas inſulas Adrianorum ſtagnorum ſeſe receperunt. Id fuit initium magnificæ ciuitatis Venetiarū, quæ male gratiam poſteritati Alani retulit, quā à multis iam annis capite & fortunis oppugnat. Quemadmodū vicinia maris Venetis, ita vallis Polyzela, ſiue Pulicella, & Anania perfugium Veronenſibus fuerunt, cum Attila non ſolum agrum Veronenſem ad vaſtitatem depopulatus eſſet, ſed & ipſam Veronam funditus euertiſſet. Qua clade ita perfugarum ciuium animi deiecti ſunt, vt patriam iacentem flere potius, quam de ea excitanda cogitare parati eſſent: donec Alanus eos ex vallibus, in quas perfugerant, conuocatos ad meliorem ſpem erexit, & repetendæ patriæ ſimul, atq; inſtaurādæ auctor fuit. Quod cum bene ceſſiſſet, eo nomine omnium Veronenſium ſuffragiis princeps renunciatus eſt. Ita duæ nobiliſſimæ vrbes, Venetiæ & Verona vni Alano Scaligero debent, altera quidem, quod nata, altera autem, quod renata eſt. Quod autē pater meus in oratione funebri Theodorico attribuit, quod de Alano dicendū erat, humanitus & μνημονικῶς peccatum eſt. Alani ex Theodoro Theodericus nepos iis rebus geſtis fuit, eaque virtutis gloria, vt hodie vernaculis Germanorum carminibus & prouerbiis celebris ſit. Quem Veronenſem ideo vocant, quod præcipuā ſedem in ea vrbe, cuius inſtaurandæ auus Alanus auctor fuerat, elegiſſet. Sed ante omnia Veronēſis agri loca Sirmionem peninſulam amauit, quam etiam regio palatio, cuius hodieq; extant veſtigia, exornauit. Ab hoc Theoderico propagati ſunt ii, qui vallem Polyzeliam, ſiue Pulicellam, Sirmionem, & alios tractus agri Veronenſis aliquot ſæculis ante imperii Veronenſis incunabula poſſederunt. Nam & Torellius ipſe fatetur, Veronæ potentiſſimam opulentiſſimamq; antiquitus gentē Scaligeram fuiſſe.

fuiſſe. Quin & hodie in agro Veroněſi pagus Scaligerorum nomẽ retinet, quod vtiq; ante ſexcentos annos habet. Præcipue autem idem Torellius ſcribit antiquiſſimum Scaligerorum patrimonium fuiſſe, Sirmionem,& vallem Pulicellã iam ante annum Chriſti CIↃ: vt non ſolum vappa ille, qui Maſtinum II. generis auctorẽ & ſcalarum fabrum,hoc eſt Scalarium,non Scalanũ, facit, ridiculus ſit,ſed etiã omnes,qui in odium tam claræ ſtirpis illum teſtem adducũt, & malunt ludibrium debere, quã tacere. Theoderici poſteritas tum in agro Veronenſi & ipſa vrbe radices egit,tum in Bauariam,Illyrium, Dalmatiam,& Pannoniã late diffuſa eſt. Nam progenitus Alani poſteris Quiricius Scaliger Salonarum in Dalmatia fuit Dynaſtes: cui cum filius Mundus in imperio ſucceſſiſſet, Gotti ea tempeſtate,excuſſo Hunnorum, quibus diu vectigales fuerãt,iugo,& multis deinceps victoriis feroces, vicinas vrbes bello laceſſere cœperunt. quibus Salonas obſidentibus Mauricius Mundi filius prælio temere cũ illis commiſſo,interfectus eſt. Pater Mundus euocato ex proximis pręſidiis Alarico nepote ſuo ex Abellia minima filia ſuũ,& Antenore Scaligero gentili ſuo, Gottos magna clade proſtrauit,vrbemq; Salonas obſidione liberauit. In Bauaria autem Alani poſteritas longe lateq; crẹuit. Nam in ea Nicolaus Scaliger cognomento Fortis, Agnete, Zelii Poloniæ Ducis, aut principis, ſorore & Olao genitus, Deſiderii Longobardorũ Regis exercitũ ad Adriam fudit. Huius filius Albertus (alii dicunt nepotẽ ex Benedicto maiore) varia fortuna cũ Taxilione Boiariæ, ſiue Bauarię Regulo tantiſper conflixit,donec Carolus Magnus Taxilione deuicto, Albertũ pręmiis virtutis donauit, adiecto ditioni eius Bulzano: multiſque præterea donis & priuilegiis affecit,quę nepotibus Alberti per Berengariu Italiæ tyrannum adempta Otho Cæſar primus Emero Scaligero cũ cumulo reſtituit, data ei in matrimoniũ ſiue

filia,ſiue propinqua Emeulde. Qua mortua Emerus ex Balda Petri Hungariæ Regis ſorore, Trebelliū:hic,ex Zolomeri Dalmatarū Regis filia, Caſimirū: Caſimirus Anſaldū,& Othonē:Othone mature rebus humanis exempto, Anſaldus Chriſtophorum,Clementem,Georgium, Marmum genuit. Chriſtophori filius Anſaldus Nicolaū Fortem ſecundum; hic ex Iohanna Sueva Friderici Cæſaris Barbaruſſæ propinqua Albericum ſuſcepit.de cuius fortitudine mira ſcribit Paulus Æmilius. Alberto autem alii progenitum Erbonē primum ſcribunt, & Hardvvicum comitem à Burkhauſſen. Certiſſimum enim eſt, Comites à Burkhauſſen ex Trebellii poſteritate eſſe. Erbo in venatu à biſonte interfectus fuit. Hardvvico nati ſunt Erbo ſecundus Burggrauius Ratiſponenſis,& Carrionum, ſiue Carriniorum Dynaſta, præfectus prætorio Boiariæ, princeps maximæ auctoritatis, fortitudinis, & prudentiæ:item Boto poſthumus,cognomine Fortis: de quib. extat luculentū Elogium apud Abbatē Vſpergenſem. Erbonis filius Sichardus primus ex Sophia Henrici ducis Charriniani vidua Burchardum, Regulum Burkhauſſen,Sighardum ſecundū, Henricū primū:Henricus primus ex vxore Itha Henricum ſecundum, Gebhardū primum habuit. Henrici ſecundi filii fuerunt Henricus tertius,Gebhardus ſecūdus.Gebhardi primi filius Gebhardus tertius, Comes ſiue Regulus Burkhauſſen, & Machlandiæ:vxor Sophia. Henricus & Gebhardus Gebhardi tertii patrueles in agrū Veronēſem ad gentiles ſuos ſeſe contulerunt. Atq; adeo ex hac Burkhauſſenſiū familia, Æmilius & Wolfgangus, Scaligeros principes Veronenſes deducūt. Qui enim familiam ducebāt in Veronenſibus Scaligeris,ii Comites Scalenburgi vocabantur. Iidem autē antiquitus Comites Scalēburgi,qui & Burkhauſſen,fuerūt:& Maſtinus primus Comes à Scalenburgo dictus fuit. Hinc etiam Comites de Lika,ex quib. pro-

gnati

gnati ſunt Philippus & Bartholomęus Scaligeri, qui pulſum regno à Tartaris Regem Hungariæ Belam virtute ſua in integrũ reſtituerunt: ac propterea à Rege Bela Caſtro Zkrad in Croatia, regione Hun in Hungaria donati ſunt, ac inſuper Commilitones Regis vocati, qui ſunt tãquam Palatini Regni. Addita præterea à Rege veteribus inſignibus Scaligerorũ parerga, Cornua ceruina, ſignacula Solis, & Lunæ: quemadmodum Carolus Magnus parerga inſignibus priſcis Scaligeræ gentis adiecit Alberto Nicolai Fortis primi filio, ob rem in Taxilionem fortiter geſtam. Ea parerga etiam ætate ſua extitiſſe Veronæ ſcribit Paulus Æmilius, quæcunque illa fuerint. Nam in genere priſca omnium familiarum Scaligeræ ſtirpis inſignia ſunt, aut Scala ſingularis, aut Canes vtrinque Scalæ innitentes. qualia inſignia præferunt hodie Comites de Scala in Bauaria: in quibus adhuc, vt puto, viuit Ioannes Warmundus illuſtribus Comitibus à Burkhauſſen antiquitus oriundus. Eadem inſignia hodie extant in arcibus regionis Hun in Hungaria, vbi fuit ſedes præcipua illuſtriſſimæ gentis Hunniadum ex poſteris Philippi & Bartholomæi Scaligerorum de Lika; ex quibus Iohannes Hunniades, eiuſque filius Matthias cognomine Coruinus alter Hungariæ fuit tutamen, alter etiam Rex, imo Rex Regum illius æui ſummus: quod nemo negauerit. Neque alia inſignia fuerunt Regum Boſniæ, quorum vltimum & ſeptimum Stephanum dolo Mahometes ſecundus circumuentum viuũ excoriauit, impoſito nouo rege Iſacio, homine plebeio. Sed inclitus Matthias Coruinus regnum gentilium ſuorum auitũ à Baiazethe Mahometis filio virtute belli extorſit. Deniq; principum Veronenſium progenitores eadem habuerunt inſignia: donec in eam familiã Alboinus & Canis Magnus Aquilam imperii cum Scala primũ ab Henrico ſeptimo, deinde à Ludouico Bauaro acceptã

nobis

nobis reliquerunt. Inſignia enim, quæ ego, & maiores mei ab ipſo vſque Cane Magno accepimus, ſunt eadem plane, quæ Imperii; vno excepto, quod Scala cum quinque gradibus, inferne, quam ſuperne, latior, alitis pedibus ſubiecta eſt. Spatium enim aureum, Aquila biceps nigra, Scala rubra. Cuius Aquilæ & Canis Scaligeri cum meminerit Dantes, Velutellus, qui Commentarium in illum poëtam ſcripſit, ridicula blaterat de Scala cærulea, & campo neſcio quo. Non enim memini. Nam ſemper Scala noſtræ gentis tam in Hungaria, quam in Norico, Bauaria, agro Veronenſi, in ipſa vrbe Verona, rubra fuit, & canes rubri: ſpatium aureum. Quicunq; igitur hodie Scalam cum Canibus præferunt, ſcito eos non à Principibus Veronenſibus, ſed Principes Veronenſes ab illis oriundos. Qui autem imperii Aquilam cum Scala rubra gerat hodie, nemo ſupereſt præter me: poſtquam ſummo Iudici ita placuit, propter maiorum meorum commeritam culpam, quam in me etiam perſequitur. quamquam quod in magna eius miſericordiæ parte deputo, noluit me fratricidis prognatũ eſſe: quorũ poſteritas Antonius Canis Signorii filius, & Silius eiuſdẽ ex Antonio nepos Aquilam imperii cum Scala rubra geſtarũt. Porro hiſtorici variant in noſtro cognomine, à quibus nullo delectu dicimur Scaligeri, Scaliferi, Scalæ, Scalani, Scaliski, Scalikii. Nam & Otho ſecundus Comes Scalæ memoratur, qui monaſterium monialium in Erla, haud procul Laureaco, extruxit, anno cIↄ cclxxxi. Commemoratur præterea Comes Scalæ & Beilſtein Conradus ab Octocaro Marchione Stiriæ, in priuilegiis S. Lamberti in Stiria, quod cœnobium cõſtructum fuit anno cIↄ clxx. Quin Bernardinus Scardeonius nos vocat Scalas, & Maſtinũ Scalam dicit, loquẽs de Maſtino tertio. Multos commemorat Scaligeros Æmilius, antequã ad Maſtinum primũ Comitem Scalenburgi deueniat, patrẽ Maſtini ſecundi, qui

qui primus Dictator populi Veronenſis perpetuus creatus eſt, quem & auctoré nobilitatis Scaligeræ, & Scalarũ antea fabrum impudentiſſime nugantur hoſtes virtutis maiorum noſtrorum; quã cum inſectantur, ipſam quoq; virtutem inſectãtur. Eccelinus Romanus iniuſta dominatione Veronam iam XXIII. annum premens, poſtquã inhumanis & atrocibus factis ſuis omnium mortalium odium meruiſſet, potentiam Scaligerorum ſuſpectã habere cœpit. Quare Bonifatium ac Fridericum Scaligeros fratres, viros antiqua nobilitate & ſummis opibus, vt ſcribit Saraina, cõiurationis inſimulatos cũ aliis vrbis proceribus exquiſitis ſuppliciis excruciatos necauit. Quod cũ ſcribit Saraina, nõ temperat ſibi, quin hunc atrocem caſum miſerãs, obiter, de vetuſtate, potentia, opibus, dignitate, & gratia Scaligerorũ Veronenſiũ magnificé prædicet: quos & tunc, & ducentis ante tyrannidem Eccelini annis primas in vrbe obtinuiſſe ſcribit. Eant ergo Scalarii fabri, & alieni imperii inſeſſoribus caudam iactent. Sed quid non poteſt hiſtoricorum factio? Saraina de Eccelino loquens, nouum hominẽ vocat, gregario milite Teutone ortum, qui ex minutiſſima arce, quam in agro Taruiſiano poſſederat, ad hoc regium culmen progreſſus feciſſet. Aut igitur ipſe, aut Sanſouinus, qui eius originem vetuſtiſſimam & nobiliſſimam prodit, parum cauiſſe videntur. Si Eccelinus hominũ odium, fraterculus Gigantũ, cũ hiſtorico libuit, omnes illuſtres familias nobilitate prouocat, non mirum, ſi nos ex iuſtiſſimo ſceptro, & antiquiſſimo ſolio, ad fabriles officinas, tanquã ad metalla damnat. Quin Saraina in Eccelino & eius fratre Alberico incepiſſe & deſiiſſe nobilitatẽ eorum dicit, aliter ac ſcribit Sanſouinus. Mortuo igitur Eccelino, Maſtinus Maſtini Comitis Scalenburgi filius, ciuis Veronenſis, primũ Prætor, deinde interiecto biennio, Dictator creatur perpetuus, cuius imperiũ, vt & totius poſteritatis, moderatiſſi-

tiſſimum,& iuſtiſſimum fuit. Quominus audiendus erit Gaſpar Peucer, vir doctiſſimus, qui ſub Rodolpho Imperatore Scaligeros iniuſtos Veronæ inſeſſores fuiſſe ſcribit, perinde ac Malateſtas Arimini, Carrarios Patauii. Cuius ſententiæ cũ pœniteret, ſi ſciret Alberto Maſtini ſecundi fratri imperiũ Veronenſe vltro à populo delatũ fuiſſe, vt cõſtat ex Plebiſcito Veronenſi. Quid vocat iure imperare, niſi populo volẽti & cogẽti imperare? Ecquod iuſtius imperium fuit, quã Alberti primi, Alboini, Canis Magni, Maſtini tertii, imo & Canis Signorii Fratricidę? cuius ſi virtutes, vt fratricidiũ excipias, cõſiderẽtur, nullus eorum temporum princeps iuſtitia eum & moderatione, prudentia, & virtute bellica non dicam vicit, ſed ne æquauit quidem. Maſtino principe iuſtiſſimo inimicorum factione interfecto, ſuffectus in eius locum frater Albertus primus ſumma cũ laude iuſtitiæ & belli gloria Veronæ imperauit. Huius filii, Bartholomæus quidem Conſtantiã filiam Principis Antiochiæ, Ducis Apuliæ, & hac mortua, Honeſtã filiam Comitis Sabaudiæ vxorem duxit. Sine liberis deceſſit: Alboinus autem ex Catharina Maffæi Vicecomitis Mediolanenſis filia Albertum ſecundum, Maſtinum tertium genuit. Ex poſteriore vero vxore Gilberti Corregiani Comitis filia nullos liberos ſuſcepit. Cani quoq; Magno ex Iohanna Antiochię Ducis filia, Conſtantiæ, quæ Bartholomæo nupſerat, ſorore, nulli liberi fuerunt. Conſtantiã filiarum Alberti maiorẽ vxorem duxit Obizzo ſecundus Eſtenſis Marchio Ferrariæ, mortua priore vxore Iacoba de Fieſco. minor Catharina nupſit Nicolao de Fuggiano, vel Foliano, Regii Lepidi Regulo, & poſtea, eo de viuis ſublato, Comiti Bailardino Nogarolæ. Mortuo Alberto ſucceſſit in imperiũ maximus natu Bartholomæus, qui nõ multo poſt initum imperium deceſſit. Huic ſuccedens Alboinus frater, adſcito in ſocietatẽ imperii Cane Magno, Vicarius imperii

ab

ab Henrico VII. declaratus eſt, procurante legato eorum Comite Bailardino Nogarola, Alboini affine. Adiectum beneficio, vt Dynaſtia Veronenſis eſſet hæreditaria, & Principum Veronenſium poſteritas Aquilam imperii in quadrante ſcuti præferrent. Sed Canis Magnus, cum eidem à Cæſare Ludouico Bauaro idem priuilegium confirmatum eſſet, totum ſcutū Aquila occupauit, ſubiecta Alitis pedibus Scala: quę inſignia ab eo per poſteros Dynaſtarum Veronenſium ad patrem meum perpetuata & à Maximiliano Cęſare tertium confirmata in me reſederunt vnico eius lineæ ſuperſtite. Alboino iuſtiſſimo & optimo principe vita functo, Canis Magnus filium fratris maiorem natu Albertum ſecundum ſibi ſocium imperii teſte populo adiunxit. Quę res non ſolum Veronenſibus gratiſſima fuit, propter memoriā Alboini patris, ſed ſummam ęquitatis & moderationis opinionem Cani conciliauit. Et ſane Canis talis fuit, qualem decebat eſſe eum, cui Magno appellari contigit, tam propter iuſtitiæ, quam geſtarum rerum gloriā quod è Saraina cognoſcere licet: Anno XXXVII. ætatis ſine liberis deceſſit, vir cum ſummis priſci ſæculi Heroibus cōparandus: cuius vitæ biennium tantum defuiſſe ad totius Longobardiæ regnum conſequendum ſcribit Paulus Iouius. Nomen illi fuerat Franciſco, à ſacro lauacro, Cani à gentilitate, Magno à merito rerū geſtarum. Neq; enim Canis ab illo latranti animali dictus eſt, vt recte monet Iouius, ſed quod lingua Windorum, vnde principes Veronenſes oriundos vult, Cahā idem eſt, quod lingua Seruiana Cral, id eſt rex, aut princeps. Nam in gente noſtra multi fuerunt Canes, Maſtini, Viſulphi, Guelphi. Cani patruo ſuccedens Albertus ſecundus Alboini filius, more maiorum, fratrem ſuum natu minorem Maſtinum tertium in ſocietatem imperii adhibuit. Maſtinus ex priore vxore Thaddea Patauii Domina Iacobi Patauini Dynaſtę filia liberos habuit Bartho-

lomæum

lomæum Canem ab aſperitate morum Rabidum, Canē Signorium, ob fratricidia Facinus vocatum, Paulum Alboinum, Viridem, Altalunam. Ex poſteriore vxore Margareta à Sitzenoffen ſuſcepit Beatricem ob formæ & morum præſtantiā Reginam cognominatā. Omnes hiſtorici Beatricis matrem Thaddeam Patauinam ponunt, ſed Paulus Æmilius Margaretam à Sitzenoffen nominat, quam, Thaddea mortua, vxorem duxerit Maſtinus. Bartholomæo Cani pene puero nupſit Eliſabetha Cæſaris Ludouici Bauari filia, ex Margareta Hollandię Comite. Nam Ludouicus Cæſar ex priore coniuge Beatrice Polonica ſuſcepit Stephanum cognomēto Fibulatum Comitem Landshut, & Ludouicum Marchionē Brandenburgenſem: ex poſteriore coniuge Margaretha Hollandię & Hannonię Comite habuit Wilelmum cognomine Inſanum, Albertum Comitem Hollandiæ & Straubingen, Ludouicum Romanum, ſiue Romulum Comitem Tirolii, Othonem Marchionem Brandemburgenſem, Agnetem, quæ dicata eſt monaſterio, Eliſabetham, quæ primum Bartholomæo Cani Scaligero, deinde eo interfecto, Comiti Wirtenbergenſi nupſit. Sed & tunc mutua affinitate firmius vinculum ſanguinem Bauarum Scaligero coniunxit. Nam eodem tempore Cęſar Bauarus filiam ſuam Elizabethā Bartholomæo Cani Maſtini filio; Maſtinus vero ſororem ſuam Altalunam Ludouico Romulo Cæſaris filio deſponſarunt. Cani Signorio Facinori nupſit Agnes Ducis Dyrrachini filia. alii dicunt filiam Comitis de Artois. Ego puto duas duxiſſe, hancq; poſteriorē vxorem fuiſſe. Paulus Alboinus vxorem duxerit, necne, non comperi. Viridem duxit Nicolaus primus Eſtēſis, cognomine Claudus, Marchio Ferariæ: Beatricē vero Barnabas Mediolani Vicecomes. Huius præſtantiſſimæ Heroinę lectiſſimas animi & corporis dotes, & numeroſam prolē, & regias à filiabus affinitates, ſatis

teſtan-

teſtantur omnes, qui illorum temporum res deſcripſerunt. Ecquænam heroina aut ex veteribus aut ex recentioribus illi comparari poſſit? Imperavit Maſtinus III. annos XXII. Hic primus imperium avitum imminuit amiſſis multis urbibus, quæ Scaligerorum ditioni ab Alboino, Cane Magno, Alberto acceſſerant. Nam ineptum eſt, quod ſcribit Sanſovinus, eum imperium amiſiſſe. Primus etiam Principum Scaligerorum gentilitiæ juſtitiæ gloriam inuſitata majoribus ſuis perfidia contaminavit. Nam ut Brixia potiretur, Gibellinorum partes, quas majores ejus, etiam ipſe, ſequuti hactenus fuerant, per ſpeciem auxilii in urbem intromittēdi prodidit, & Gibellinos populares factionis ſuæ crudeliter trucidari paſſus eſt, perſuaſus verſibus Euripidis ex Phœniſſis, quos illi ſubinde inculcabat Jacobus Carrara ſocer, homo contaminatiſſimus, ut eius juvenilem animum imperii cupiditate ardentem inflammaret. Ita imperium truncum, & quod amplius eſt, jam piaculo violatæ fidei obligatum filio Bartholomæo Cani Rabido reliquit. Hic ita, ut ſuperius attigimus, à moroſitate cognominatus filium unicum ex Eliſabetha Bavara Wilelmum nomine, Groſſum cognomine genuit. Nam Thebaldeus erat naturalis ex muliere nobili Veronenſi. Qui Wilelmum ex eadem concubina natum ſcribunt, fœnum eſſe debent, cum eos & Æmilius & veritas ipſa ſatis confutent. Cane Rabido primum, deinde & Alboino fratribus interfectis, ſolus imperio potitus eſt Canis Signorius, Princeps majoribus non indignus, ſi fratricidia excipias. Nam artibus belli & pacis claruit. Cui ſucceſſerunt ultimi, & iidem infeliciſſimi domini, Bartholomæus & Antonius naturales filii, primum quidem ambo ſimul, deinde ſolus Antonius, interfecto, ne à patre degeneraret, fratre Bartholomæo. Cujus ſceleris pœnas luit ejectus imperio à Galeazzo Mediolani

Duce & Comite de Vertu. Hic fuit exitus imperii Veronenſis. Cane Rabido interfecto, Eliſabetha uxor à conſpectu fratricidæ ſeſe & filiolum Wilelmum amolita eſt, & in Bavariam confugit, & poſtea Comiti Wirtenbergenſi nupſit. Hic Groſſus à mole corporis dictus, ex Bona Sterlinii Ducis filia tres liberos ſuſcepit, Brunorū cognomine Bavarum, Antonium, Nicolaum cognomine Pium. Cum Novellus Carrara Franciſci filius, patre capto Galeazzo, in Bavariam veniſſet, inita cum Wilelmo familiaritate, cœpit eum ad ſpem imperii Veronenſis recuperandi erigere. Vtrique enim idem hoſtis communis erat Galeazzus, qui Veronam & Patavium vi adeptus erat. Itaque anno cIↄ cccc. qui erat quadrageſimus ſecundus à Canis Rabidi cæde, Wilelmus cum Carrara Venetias profectus, & paulo poſt Venetam nobilitatem conſecutus, ope & armis Venetorum ac Carraræ, ſed præcipue Pandulfi Malateſtæ, Veronam, quæ tum à modico Galeazzi præſidio tenebatur, introductus eſt vna cum Antonio & Brunoro filiis. Nam minimum natu Nicolaum ob teneram ætatem in Bavaria apud matrem reliquerat. Per portam itaque Aureliam Martii campi ingreſſus VII. Eid. Aprilis; ac poſtea XIII. Kal. Maii, Senatus populique ſuffragiis ſummo plauſu Princeps renunciatus, & in ſolium paternum repoſitus eſt. Præſidium Mediolanenſe caſu hoc repentino exterritum accepta fide Verona exceſſit. Hæc Wilelmi reſtitutio Venetis volentibus fuit, quod ipſis potentia Galeazzi formidabilis eſſet: & præterea multi ex nobilitate Veronenſi odio Mediolanenſium, & amore nominis Scaligeri, facile paſſi ſunt legitimum dominum in ſua recipi, & externum excludi. Hoc accidit anno cIↄ ccccII. cum interea in expeditione Etruſca Galeazzius morbo extinguitur. Carrara objectam ſibi occaſionem cedens imperium ſuum proferendi (opibus

enim

enim Venetorum Patavium receperat) Galeàzzi metu defunctus, Wilelmum familiaritate ſibi conjunctiſſimum, quem ipſe armis & conſilio ſuo in imperium reſtituerat, veneno per emiſſarios ſuſtulit: atque, ut ſecuritati ſceleris viam muniret, Antonium & Brunorum Wilelmi filios biennium in arce veteri Patavina detinuit: quos inde Iacobinus Carrara in montem Celiſiũ tranſlatos laqueo ſtrangulandos curavit. Huc uſque hiſtoriam generis noſtri ab Alano deduxit diſertiſſimus Paulus Æmilius. Sed Onufrius Panuinius Veronenſis Eremita Auguſtinianus, ut ipſemet olim mihi Romæ coram Mureto in Palatio montis Iordani teſtatus eſt, libros decem Annalium Veronenſium conſcripſit, quorum duo poſtremi Scaligerorum Principum actis dicati erant: & multa à Torellio ignorata ſeſe tanquam fugitiva retraxiſſe, multa etiam ab illo peccata reſtituiſſe, & rerum ſeriem ad Patrem uſque meum continuaſſe, mihi & Mureto affirmavit. Sed mors & hominem nobis & editionem operis intercepit. Wilelmo ſublato, Veneti, qui Carraræ antea infenſi erant, per cauſam ulciſcendæ cædis Wilelmi civis ſui & in nobilitatem ſuam inſiti, Carrara Patavii obſeſſo, & ad deditionem compulſo atque mox interfecto; non ſolum Carrarenſium, ſed etiam Scaligerorum imperium invaſerunt. Brunorus Bavarus Wilelmi Groſſi filius ex Philippa Amedæi Sabaudi filia Iohannẽ procreavit. Hujus filius Iohannes ex Helena Cloſmeria Bavara, ex uxore ſua Bavara de Lemingen ſuſcepit Iohannem Ingolſtadii Caſtellanum, cujus uxor fuit Maria Frigepanis: item Bernardum Scardingæ Caſtellanum. Hujus filii Ludovicus & Chriſtophorus ad vicum Cereſoliam in Liguribus Taurinis fortiter pugnantes interfecti ſunt. Antonius Wilelmi filius Brunori frater uxorem non duxit. Nicolaus cognomento Pius minimus natorum Wilelmi Groſſi ex

Bartholomæa Auſtriaca veteris Lupoldi Ducis pronepti, Cæſaris Maximiliani propinqua, Benedictum, Bonifacium, Hieronymum, Titum, Franciſcum ſuſcepit. Franciſci filius Marcus Ruſſinus à colore vultus cognominatus, tres filios genuit, quorum Mauritius & Julius cum patre & matre à Martoloſſa ſicario, juſſu Venetorum, Mantuæ confoſſi ſunt. Tertii, propter infantiam & oris elegantiam, miſertum eſt. Eum Corcyra inſula relegatum diu vixiſſe ajunt. Martoloſſæ pacta merces latrocinii à Venetis ſoluta eſt. Cujus rei, præter infinitos, duo nobiliſſimi Aquitaniæ noſtræ proceres Gotefridus Caumontius & N. Golardus Braſſaci dominus teſtes fuerunt. Hieronymus, Titus, & Franciſcus Nicolai Pii filii ad Euripum Eubœæ bello Turcico fortiter pugnantes interfecti ſunt. Bonifatio uxor fuit Magdalena imperatoris Conſtantini ultimi neptis, ex Theodoro Palæologo, & Iohanna Petri regis Siciliæ filia. Filii Michael & Camilla. Benedictus maximus natu filiorum Nicolai Pii ex Berenica Lodronia Comitis Paridis Magni Lodroni filia ſuſcepit Titum; & Iulium Cæſarem. Hactenus ſeriem generis noſtri à temporibus Attilæ & Merovæi Francorum Regis ad annũ cIɔcccclxxxiv. in quem incidit natalis patris mei, continuavimus: quũ Paulus Æmilius ab eodem initio exorſus in Wilelmo Groſſo deſiverit, tanto utique certius; quam Germani hiſtorici, quanto illi antiquius, quam Itali, qui diuturnitatem generis noſtri & defectum pene finibus imperii Veronenſis circunſcribunt. Germani, ut Aventinus, Vſpergenſis, Wolfgangus, & alii paſſim de noſtra gente ea commemorant, quibuſcum initia imperii Veronenſis comparata nova videantur. Et ſane genus noſtrum multis regnis, Dynaſtiis, & civitatibus ampliſſimis, aut æquale, aut antiquius eſt. Nam Alanus Theodori pater, Theodorici avus floruit rebus geſtis naſcente in

te in Galliis Merovingorum imperio. Olaus Nicolai Fortis pater, Alberti filius, vixit eodem imperio deficiente. Trebellius Emeri Filius, Caſimiri pater, Anſaldi avus, Chriſtophori proavus, Nicolai Fortis ſecundi abavus, Alberici atavus, ſub Othone primo & Petro Hungarorum Rege. Albericus Nicolai ſecundi filius cum aliis multis gentilibus ſuis ſub Imperatore Friderico Barbaruſſa. Canis Magnus ſub Imperatore Ludovico Bavaro. Philippus & Bartholomæus auctores gentis Hunniadum ſub Bela primo Hungaro. Quod ſi claritatem affinitatum ſpectes, quid eſt auguſtius, quam aut Reges progignere aut regio genere naſci? Alani & Theoderici poteſtas ſi non fuit regia, quid igitur eſt tot gentibus imperare? Vltimus Scaligerorum Hunniadum Matthias cognomento Corvinus, non ſolum Rex Hungariæ fuit, ſed etiam regum ſui ævi feliciſſimus, potentiſſimus, & juſtiſſimus. Stephanus Regum Boſniæ ultimus ſeptimus gentis noſtræ ſceptra tenuit. Beatricis Scaligeræ cognomento Reginæ tres filiæ totidem Regibus nupſerunt, & reges ex ſe procrearunt. Nicolaus Fortis primus Olai filius ex Agnete Zelii Polonorum principis; Trebellius Emeri filius ex Balda Petri Hungariæ regis ſorore nati ſunt; Trebellii filius Caſimirus ex Zolomeri Dalmatiæ Regis; Wilelmus Groſſus abavus meus ex Elizabetha imperatoris Ludovici filia. Albericus Nicolai ſecundi filius ex Iohanna Sueva Imperatoris Friderici, Benedictus avus meus ex Bartholomæa Auſtriaca Imperatoris Maximiliani propinqua. Ego ſum ſeptimus ab Imperatore Ludovico & illuſtriſſima Hollandiæ Comite Margareta: ſeptimus item à Maſtino tertio, ut & magnus Rex Franciſcus, literarum parens. Nam Catharina Beatricis Reginæ filia, Maſtini neptis ex patruele ſuo Iohanne Galeazzio Valentinam: Valentina ex Ludovico duce Aurelianenſi Iohannem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Comitem Aurelianenſem, Caroli Comitis Enculiſmenſis patrem, Franciſci Magni Regis avum ſuſcepit. Illuſtriſſima & vetuſtiſſima Eſtenſiũ Ferrariæ Marchionum familia duplici nobiſcum affinitatis vinculo conjuncta eſt, Conſtantia primum Alberti Scaligeri primi filia Obizzoni Eſtenſi primo nupta, deinde Viridi Maſtini tertii filia Nicolao primo cognomine Claudo. Alfonſus Eſtenſis primus Dux Ferrariæ, princeps nunquã ſatis laudatus, ſextus erat ab Alberto Scaligero primo, utpote Obizzonis & Catharinæ Alberti filiæ abnepos. Neque illo minor virtute Federicus Gonzaga, primus & ipſe Dux Mantuæ, octavus erat à Maſtino tertio, Agnete Beatricis filia Maſtini nepte uxore ducta à Franciſco Gonzaga Federici Ducis primi atavo. Quid commemorem ſingularia gentis noſtræ erga Reges, Reſpublicas, & potentiſſimas civitates merita? Alanus Veronam ſolo ab Attila æquatam à fundamentis uſque tanquam alter Brennus inſtauravit. Mundus Quiricii, & Alaricus Antenoris Scaligerorum filii, Salonas à Gotis obſeſſas liberarunt, clariſſimo ex hoſtibus triumpho parto. Nicolaus Fortis primus à populationibus Deſiderii Langobardorum Regis omnem agrum circunpadanũ vindicavit, fuſo late ipſius Deſiderii exercitu. Marchiones inclitos Ferrarię quemadmodum duplex affinitatis vinculum, ita duplex à nobis beneficium devinxit: primum quidem, quando Bartholomæus Alberti primi filius Ferrariæ Azzonem & Franciſcum Eſtenſes reſtituit, legato Pontificio, ejuſque præſidio inde excuſſo. Iterum, cum Maſtinus tertius copias Bertrandi Cardinalis Hoſtienſis legati Pontificii, qui Ferrariam ejectis Eſtenſibus invaſerat, magna clade viciſſet, captivo Comite illuſtriſſimo Arininiaco abducto. Quo facto victor, magno bello profligato, Eſtenſes in avitum imperium repoſuit. Philippus & Bartholomæus Belam Regem

gem Hungariæ, victis, à quibus Rex ejectus fuerat, Tartaris, & regno reſtituerunt, & in poſterũ, à metu hoſtiũ tutum præſtiterunt. Albertus ſecundus hoſtem Scaligerorum Paſſatinum Bonaconſium Mantuæ Dynaſtam, Palatio, in quod tyrãnus, cum liberis ſe receperat, expugnato, interfecit, & Guidoni Gonzagæ homini ſtrenuo, acerrimo, ac priſcæ nobilitatis, civi quidem Mantuano, ſed ex Germania oriundo, Canis autem Magni amico, viam ad imperiũ Mantuæ obtinendum munivit: adeo ut poſtero die Guido ſuffragiis populi Mantuæ dominus, ejuſque filii Philippinus & Feltrinus hæredes patris in imperio renunciati ſint. Hoc, inquit Saraina, initium fuit imperii Gonzagarum, quod à Scaligeris deinceps ſemper & fotum eſt, & animatum, atque adeo illud propter gentis pietatem Deus hactenus conſervavit, quemadmodum Scaligerorum dynaſtiam propter fratricidia extinxit. Hæc vere quidem Saraina: ſed non prudenter tamen. Nam & Guido Gonzaga ſecundus Ludovici filius, Guidonis primi nepos fratrẽ Vbaldinum ex æmulatione interfecit, quod à patre Guidone conſors imperii adſcitus eſſet. Quamvis Gonzagarum familia hactenus Mantuæ feliciter rerum potita ſit, & multos egregios principes produxerit: tamen fratricidas non ſolum genuit, ſed & ad imperiũ evexit. Quod ſi propter fratricidium, quod facile concedam, Deus juſtiſſimus judex Scaligeros imperio evertit, mirum cur tot illuſtriſſimi Gonzagæ rerum potiti à fratricidis originem trahunt. Sed hæc occulta ſunt, & velo divinæ providentiæ à nobis ſummota. Nam Cane Signorio duorum fratrum carnifice quis juſtior, moderatior, continentior, populo acceptior fuit? Sed ad merita gentis noſtræ redeo. Mantuæ à Cane captæ mentio extat in ejus Epitaphio. Avus meus Benedictus, qui ſummæ rei militari ſub rege Matthia gentili ſuo XVII. annos præ-

fuit, juſſu Regis, equitibus Rhodiis ſuppetias venit, jam propter apparatum expeditionis Turcicæ obſidionem expectantibus: & ſolus ne tunc Rhodus obſideretur, cauſa fuit. & ſane à Rhodo tam potentis exercitus obſidionẽ avertere, eſt Rhodum à tam potenti exercitu obſeſſam liberare. Quid referam potentiam, & latiſſimam imperii Veronenſis ditionem? Albertus primus Parmam Rubriis, Regium Lepidi Sanguinariis dedentibus, obtinuit. Adjunxit imperio partim vi, partim ſponte, Ateſte, Vicetiam, Feltriam, Bellunum. Canis Magnus Montem Celiſium, Montanianam, Patavium, Tarviſium: Maſtinus tertius Brixiam, quamquam malis artibus, Parmã, ejecto Iohannis Bohemiæ Regis præſidio, Lucam, Opitergium. Quarum omnium Vrbium vicarii imperiales declarati ſunt, primum à Cæſaribus, deinde à Benedicto Pont. Max. qui interregno Cæſareo eos earundem civitatum vicarios imperiales Eccleſiæ nomine pronunciavit: cujus rei monimentum habemus æreum Scaligerorum nummum, ex altera parte Scala ſingulari, ex altera Clavibus ſedis Romanæ inſignitũ. Hæc igitur tanta vetuſtas generis, tot principum affinitas, tot domi militiæque erga Reges, Reſpublicas, & civitates benefacta, ſi laudationem ab hominibus exprimere nequiverunt, ſaltem vituperium & contumeliam à ſe deprecari debuerunt. Sed nunquam efficiet invidia, quin nos à veritate rei tantum poſſimus, quantum alii à gratia ſcriptorum conſecuti ſunt. τοιαύτης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὐχόμεθ' εἶναι. Ab Alano igitur Scaligero ad Iulium Cæſarem Benedicti filium, patrem meum, anni ſunt non minus cIↃcxxx. Iulius autẽ Cæſar natus eſt anno cIↃcccclxxxiiii. ad diem ix. Kal. Mai. feria ſexta, annis octaginta poſt Wilelmi Groſſi, ſex autẽ ante Matthiæ Hungarorum Regis mortem, in Caſtro Ripa ad caput Benaci, qui locus fuerat hactenus ditionis Scaligerorum.

tum. Iam Scaligeri magno odio Venetorum flagrabant, ex quo tempore Martinus Papa Brunorum Scaligerum de poſteritate Antonii vltimi Veronenſium Principis in Venetos concitarat. Deinde Nicolaus Pius, eiuſque filius Benedictus Scaligeri apud Matthiam Regem Hungariæ, & Cæſarem Fridericum tertium ſæpius egerant, vt auito imperio reſtituerentur. Veneti ergo, qui putabant, quamdiu vllus ex gente noſtra ſupereſſet, noui belli ſemina nunquam defutura, præſertim cum Benedictus apud Cæſarem & regem Hungariæ potentiſſimũ plurimũ gratia valeret, nihil prius habuerunt, q̃ eos, quos ſecuritati ſuæ imminere arbitrabantur, de medio tollere. Biduo poſt, hoc eſt, ante diem v i i Kal. Maii, Ripam caſtrum inuadunt, vt & nouam puerperam Berenicam Lodroniam, & filios, Titum quidem bimulum, Iulium autem adhuc de matre rubentem tollerent. Ad conſternationem ruſticorum, qui propter repentinum hoſtis aduentum cara ſua ex propinquis villis in arcem conuaſauerant, excita puerpera, ſalutem fuga ſibi & filiis peperit, atque ad patrem Paridem cognomento Magnum, Comitem Lodronii profugit. Hoſtes arce potiuntur. Hanc vltimam de naufragio Scaligeræ domus tabulam rapuerunt Veneti. Puer in agris auitis eductus vna cum Tito fratre prima literarum & Grammaticæ elementa didicit præceptore Iohanne Iucundo Veronenſi, cliente familiæ noſtræ, homine doctiſſimo & probiſſimo, qui poſtea ad monachos Franciſcanos tranſiit. Annorum duodecim minor Maximiliano Cæſari à patre Benedicto oblatus, in numero illuſtrium puerorum aulicorum, quos in Gallia pueros honoratos vocamus, habitus, & vna cum illis in liberalibus & animi ſtudiis & corporis experimentis eruditus eſt, cum illis Latine loqui, arma tractare, equitare, & ludicra pugnæ ſimulacra ciere. Si dixero Imperatorem Maximilianum

omnibus æui ſui & ſuperioris memoriæ principibus heroicis virtutibus excelluiſſe, nec nouum dixero, nec omne. Hoc tãtum dicam: quemadmodum eius aula omnis honeſti cultus Schola fuit, ita qui ex ea prodierunt, viri plane heroici, non pædagogos aut campidoctores aulicos, ſed ipſummet Maximilianum morum & diſciplinæ militaris informatorem habuiſſe videbantur. Sub tanto igitur principe per totos XVII, aut amplius annos, quibus in domeſticis Cæſaris fuit, tantum in militaribus ſtudiis profecit, vt omnibus aulicis & externis admirationi eſſet. Cauſa huic rei duplex erat. Primũ, quod patruus eius Bonifatius vir vigilaciſſimus & acerrimus, acta totius diei ab eo quotidie faſtidioſe exigebat, vt ei otioſo aut negligenti eſſe non liceret. Deinde Cæſar ipſe, vbicunq; illi à curis grauiorib. vacaret, quaſi inſpector diſciplinæ aulicorum puerorum, eos inter ſe certantes, & ludicra prælia committentes libentiſſime ſpectabat Hæc curioſitas Principis æmulationem inter eos accendebat, nec fruſtra. Nã quotidie meliores ſeipſis euadebant Ita igitur eductus & inſtitutus, Cæſarem in omnibus expeditionibus, aut Benedictum patrem, qui in Italia partem rei bellicæ ſub Cæſare adminiſtrabat, ſecutus eſt. Orto deinde grauiſſimo inter Cæſarẽ & Venetos bello, nunquã à latere patrui Bonifacii aut patris diſceſſit: in cuius etiam contubernio Veronæ fuit, cum Benedictũ Veronæ regendæ impoſitum, per ſpeciẽ eum in auitum imperium reponendi, nõ multo poſt inde Cæſar euocaſſet, pace cum Venetis inita, & armis in Gallum conuerſis. Cũ Benedictus, non euocari ſe ſed eiici cenſeret, omnemq; ſibi ſpẽ recuperandi auiti ſceptri hoc facto præcidi, grauiſſime hanc repentinam mutationem tulit, & regẽm Ludouicum clam ſolicitare cepit, ſpondens ſuam vtilem in eo bello operam, ſi eo loco, quo apud Cæſarem tunc eſſet, ſeſe habere vellet. Longo

enim

enim vſu rerum in Italia, Germania & Hungaria geſtarum ſibi nota eſſe ea, ad quæ diſcenda Gallis lõgiore experiẽtia in illis regionibus opus eſſet. Pollicitationẽ hominis à vanitate remotiſſimi Rex, al oqui prudẽtiſſimus Princeps, inhumano dicto proſecutus eſt: Se rationem non habere nobilitatis, quæ pro cenſu tumulos auorum oſtentaret. Benedictus ſe ab externo principe nõ admitti æquo animo tulit, qui paulo ante ab eo, de quo bene meritus erat, reiectus fuerat. Secutum eſt paulo poſt funeſtiſſimum prælium Rauennate: in quo prima coitione cum dubia fortuna & multo vtrinq; ſanguine diu pugnatum eſſet, Benedictus & Titus filius Cæſareæ turmę vexillifer interfecti ſunt: quorum cadauera hoſti erepta Iulius Cęſar in tuto reponenda, Aquilam etiam receptã, quam Titus geſtauerat, Cæſari reddendam curauit. Cũ Cæſarei iam victoriam exploratam haberẽt, id quod ex acclamationib. militum, vt fit, ſibi perſuadebant: ecce acerrimus iuuenis illuſtris Gaſto Fuxius, dux vniuerſi exercitus Gallici, collectis viribus, ſecundo in Cæſareos ſigna mouet. Vnde maiore longe, quam antea, clade prælio inſtaurato, Iulius Cæſar equo ab equite cataphracto Gallo deturbatus, & humi afflictus, ſexcentis equinis vngulis proculcatus eſt, vt inde pro mortuo à ſuis poſt pugnam elatus ſit. Paucis tamẽ interiectis diebus, cũ ad ſe rediiſſet, licet peſſime acceptus, ad Cæſarẽ prope depoſitus vt deferretur, præcepit. Ibi Cæſar laudatum ob patris & fratris corpora ſeruata, & Aquilam receptam, præmiis virtutis affecit: equitem etiam & propinquum dixit, datis, vt ſolet, manu propria calcarib. aureis, & torque equeſtri cum appendice Aquilæ imperialis aurea, quam Aquilam tametſi maiores noſtri geſtauerant, tamen eam huic virtutis præmio Cæſar accedere voluit, tanquam ab illo tunc primum hoc præmium inciperet, non tanquam à maioribus delatum ad nos perueniſ-

ſet,

ſet.Itaque nos Aquilam imperii à tribus Cæſaribus accepimus. Alboinus quidem ab Henrico VII, Canis Magnus & Maſtinus III à Ludouico Bauaro, Iulius Cæſar pater meus à Maximiliano: cuius etiam propinquus dupliciter erat, natura & adoptione. Bartholomæa enim Auſtriaca Benedicti mater, Iulii Cæſaris auia, propinqua Cæſaris Maximiliani erat. Deinde qui ob virtutem bellicam equites à principe renunciantur, ii eadem opera in affinitatem principis recipiuntur, & propinqui eius declarantur, quaſi in familiam eius adoptati. Plurimum, fateor, pater debebat Cæſari, quod in eius aula, literis, moribus, & diſciplina militari informatus eſſet. Sed quicquid Cæſar patri meo ob nauatam ſtrenue in expeditionibus eius operam & vulnera pro eo accepta debebat, hæc omnia vno torque & calcaribus aureis compenſauit: licet ipſe ſupra quam credibile eſt, benignus & liberalis eſſet. Sed eius voluntati res & facultas defuit. Commeatu à Cæſare impetrato, Iulius Cęſar Ferrariam, vbi antea à Benedicto vxor Berenica relicta erat, patris & fratris corpora detulit. Sed mater Berenica paulo poſt ex mœrore diem vltimum clauſit. Ita tria funera domeſtica vno tempore curauit. Nec vero vllum moueat, quod in Nymphis Indigenis Benedictus pater ab eo inducatur vxorem Berenicam ſub Nymphæ Napææ nomine deflens. Prolepſis enim poetica eſt: cum octauo poſt cladem Rauennatem die Berenica, nuncio de Benedicti coniugis & filii Titi cæde accepto, paulo poſt mœrore extincta ſit. Amiſſis patre, matre, atque fratre, nihil aliud ſupererat, quam ſordidatum in perpetua egeſtate & luctu viuere. Veneti enim Ripam & reliquum Benedicti patrimonium iam tertium inuaſerant. Ea tempeſtate non Scaligeri cognomine, ſed Comitis à Burden vulgo notus erat. Atque ita à Lilio Gyraldo Ferrarienſi familiari ſuo quamuis deprauate

nun-

nuncupatur, in libello de Poetis recentioribus. Quod cognomen, quandiu in Italia fuit, illi ſemper hæſit: ita vt raro Scaliger vocaretur, ſed Iulius à Burden, aut Comes à Burden. Cum autem paupertas omni conditioni ſit onus graue, tum nobilitati præcipue ſenium eſt, quoties per anguſtias rei familiaris hominibus ſummo loco natis emergere non licet. Sed hoc incommodum ab illo amolita eſt liberalitas Alfonſi Ducis primi, qui ei annua opima conſtituit, inque primis amicis & propinquis habuit, memor priſcorum Scaligeræ domus in Eſtenſes Marchiones meritorum, & contractæ bis Scaligeris cum Eſtenſibus affinitatis. Neque vero Iulius tantum optimi Principis liberalitatem tacitam præteriuit: ſed longo poemate, cui Eridano nomen fecerat, celebrauit. Eius poematis mentionem mihi aliquando factam à patre memini, priuſquam in librum Gregorii Gyraldi de poetis recentioribus inciderem, in quo etiã eiuſdem poematis meminit, quamuis Elyſium non Eridanum vocet. Nam typis vnquam excuſum ſit, necne, ignoro. Sed cum Iulium tæderet inertis vitæ inter aulicos Ferrarienſes tranſigendæ, conſtituit primũ, vt multorum mos eſt, præſertim nobilium Italorum in deſperatione rerum ſuarum, habitum Franciſcanum ſumere, & ſæculo, vt loquuntur, renunciare. Quare cum Bononiam veniſſet, cæpit Scoto operam dare. Atque is primus fuit illi philoſophiæ guſtus. Tamen non multo poſt tepuit ille monachiſmi æſtus, propter neſcio quid ἄρρητον: quod tanti apud eum fuit, vt nunquam poſtea ad vltimum vſque vitæ diem cum Franciſcano vllo ſermonem vltro ſerere voluerit. Ad animi & linquæ dotes acceſſerat decor regius corporis, & agilitas tanta, vt armis, ſaltu, equeſtri ſcientia omnes æquales anteiret: quibus rebus facile omnium animos ſibi deuinxerat. Cum autem in Bononienſi Academia, quæ tunc & florẽtiſſ-

tiſſima,& frequentiſſima erat,multi nobiles eſſent, qui literis operam darent, vix vllus fuit, qui non ſecum male agi putaret, qui in eius amicitia aliquem locum non obtineret: inter quos duo fratres ex antiquiſſima Plociaſcorum in Liguribus Taurinis, vnus item ex illuſtri Rouerorum familia,ad amicitiam eius ſeſe applicarant, vt nunquam ab eius latere diſcederent. Quamuis iam in Philoſophia progreſſus aliquos feciſſet,tamen humanitas ſtudiorum ferociam militarem nōdum retundere potuerat, cum animus irrequies adhuc Martē ſpiraret. Itaque quemadmodum in illa frequentiſſima Academia nunquam euitari poterat,quin nationes, vt ſolet, in diuerſas factiones & ſtudia diſcederent, atque inter ſeſe conflictarentur: ita ipſe nunquam effugere poterat, quin illi aliquod ſpecimen pugnæ edendi neceſſitas imponeretur. Non enim tum in ordinem cogebantur Scholaſtici Bononienſes,neque exarmabantur, vt hodie fit. Atque ideo plurimus in ore omnium erat Tonſus de Burden. Ita enim eum,quod ſtrictim tōderet,vocabat vulgus Italorum. Interea duo fratres Plociaſci, & poſt eos Rouerus à parentibus domum reuocati triſte congreſſus ſui deſiderium Iulio reliquerunt. Quod diſcidium ita impatienter tulit, vt & per multos dies publico abſtineret, & conſueta corporis experimenta intermitteret. quod illi tamen in bonum vertit: cum interea totus libris hæreret,& nunquam ab illis ſine fructu diſcederet. Et iam non minor eruditionis eius, quā virtutis militaris opinio erat. Quippe publice quotidie diſputans eoſdem oculos in ſe conuertebat, quos antea in admirationem fortitudinis ſuæ rapuerat. Sed duæ curæ illum maxime exercebant, & à literarum ſtudiis cogitationem eius auertebant; deſiderium Plociaſcorum, & armorum quotidie recrudeſcens amor. Quæ duo cum impatienter ferret,relicta Bononia, mediocriter

diocriter viaticatus, quantum ſcilicet patiebantur facultates hominis, qui & ſua omnia amiſerat, & in alienis modicam ſpem repoſuerat, ad Caſtrum Nonnum Ligurum Taurinorum, cuius Plociaſci domini erant, ſeſe contulit. Quamuis autem domus in luctu eſſet, ob recens funus patris Plociaſcorum, tanta gaudii ſignificatione à dominis exceptus eſt, vt non domum in luctu deprehendiſſe, ſed lætitiam domum intuliſſe videretur. Non diu in Nonno Plociaſcorum caſtro fuerat, cum in Vicum nouum patrimonii Rouerorum proficiſcitur, ab ipſis loci dominis, quibus antea Bononiæ familiariter vſus erat, literis accitus. Hactenus eius vita inſtabilis & deſultoria fuit, multis iactata periculis, nullo coaleſcens otio. Hæc autem domus vt corporis fugam ſiſtere, ita animum vagum atque æſtuantem continere valuit: quanquam armorum ſemper rebellãs affectus non ſinebant hominem quieſcere, præſertim in iis locis, in quibus propter Gallica bella, nulla dies ſine aliquo armorum tentamento tranſibat, ſiue hoſtis excipiendus, ſiue expeditio in hoſtem inſtituenda eſſet. Nam ex quo eius virtus tam ducibus Gallicis quam nobilitati Ligurum Taurinorum nota eſſe cœpit, ab illis quotidie ſtudiis militaribus prouocabatur. Ex eo ipſi etiam Proregi notus, & carus, turmam equitum centum leuis armaturæ adeptus, excurſiones quotidianas ſumma cum laude faciebat. Applicarãt ſeſe illi multi ex nobilitate regionis, vt Plociaſci, & Scalengi, qui ſe proauis noſtris oriundos prædicabãt: aliique multi præterea, qui ob locorum & regionis peritiam ſæpe illi exploratorum loco erant: eorumque indicio hoſtium copias & pabulatores repentinis incurſionibus oppreſſos inuadebat. Forte per eoſdem certior fit, manipulum hoſtium cum ala equitum, ſuperato iugo, per decliuia collis laxo agmine deſcendere, mandris mulorum

pone

deprehendiſſet, nunquam poſtea cum illo in gratiã redibat. Dicebat enim, omnem Chriſtianum ſine ulla exceptione à mendacio alienum eſſe debere, nobilem autem hominem, etiam ſi Chriſtianus non eſſet. Sed in Atheos, quorum illud ſæculum feraciſſimũ erat, inexpiabili odio flagrabat. Petrus Rufus Conſiliarius Aginnenſis, qui illi ob doctrinam chariſſimus erat, ut qui & ſummus Peripateticus, & juris civilis Romani conſultiſſimus eſſet, hoc morbo animi laborabat. Nunquam ceſſavit, donec amicum ſæpe convivio adhibitum, aut diſputationibus confectum, aut precibus delinitum ad meliorem mentem revocaſſet, tradito illi Auguſtini Eugubini de perenni Philoſophia opere, quod illi viam ad veram Dei cognitionem muniret. quandoquidem à Rufo nunquam exprimere poſſet, ut ſacra Biblia conſuleret, à quibus Rufi animus abhorreret. Et ſane ea lectio Rufo ſalivam movit adeo, ut totum ſe protinus ad Theologiæ ſtudium converteret: in quo tantum profecit, ut nemo acrius aut veram pietatem defenderet, aut atheiſmum oppugnaret. Erat enim acerrimus & acutiſſimus diſputator. Neque ſolum Rufum ſummum virum, ſed & ſciolos quoſdam hoc morbo levavit. Mira ſiquidem ejus erat pietas: ſed præcipua etiam in pauperes charitas. Sub finem autumni pannos emi curabat, quibus pauperes induebat, & à frigore in totam hiemem defendebat. Cum autem eis cibus miniſtrandus eſſet, nos puerulos adhibitos monebat, eos fratres noſtros eſſe, ideoque eos à nobis fraterna charitate amplectendos: & protinus manibus noſtris ad promumcondum deduci præcipiebat. Eos etiam ægrotos tecto recipiebat, & induſtria ſua curabat, & ſumptibus propriis ſublevabat, re Pharmacopœis & Chirurgis de ſuo ſoluta. Domum ejus publicam dixiſſes. Tot proceres, tot mediæ & infimæ conditionis homi-

nes in illam quotidie confluebant: ut meminerim ſæpe
antum hominum domum conveniſſe, ut cibum ſume-
e illi non vacaret. Quot homines ab Orco, ut ita lo-
quar, revocaverit, non dicam. Sed ſi priſcorum illorum
Heroum ſæculo hoc feciſſet, ſupra Æſculapium cul-
tus fuiſſet. Cum primum Aginnum venit, neminem
deprehendit, quocum de literis verba faceret. Tunc e-
nim primum illæ in Gallia naſcebantur beneficio Regis
Franciſci Magni. Sed Burdegala nunquam caruit do-
ctis viris. Nam & in ampliſſimo Senatu non pauci e-
rant docti, ex quibus præcipuo amore dilexit Arnal-
dum Ferronum, & Vidum Braſſacum Golardum, virum
nobiliſſimum. In Gymnaſio autem Aquitanico Bur-
degalenſi tunc erat Buchananus, Muretus, Tevius,
alii. at qui viri? Ii quotannis feriis Vindemialibus Agin-
num Iulii Cæſaris viſendi commeabant, quos & tecto
& menſa excipiebat. Negabat enim ſibi rem cum poda-
gra eſſe, quoties tales convivas haberet, quibuſcum de
literis loqui poſſet. Scio me nimis multa de eo ſcripſiſſe,
& modum ab initio promiſſum exceſſiſſe. Sed ſuper-
ſunt ſeniores, qui longe plura dixerint, & mihi fortaſ-
ſe vitio verterint, quod illuſtriora omiſerim. Ego vero
unum tantum mihi propoſui, ſtrictim exponere, quod
ejus vitæ genus fuerit ab incunabulis ad prima militiæ
tirocinia: hinc ad cladem Ravennatem, & ab ea ad tranſ-
itum Alpium, & conſequenter ad ultimum vitæ diem.
Anno Chriſti CIↃ IↃLVIII. qui erat ejus vitæ ſeptua-
geſimus quintus, propter anni intemperiem valde æ-
ſtuare cœpit. Ad æſtum levandum ſucco Albatecæ,
ut Hiſpanis dicitur, ut nobis Vaſconibus, Aubiecæ, ſu-
pra vires ſeniles uſus, ex adſtricta ob cruditaté illius fru-
ctus veſica, languorem nactus eſt: quo in diem ingrave-
ſcente ne ſtillam quidem urinæ per XIX. dies continuos
emiſit. Balneo, quod ipſe ſibi præſcripſerat, refotus, uri-
næ

næ quidem obſtructos meatus returavit: ſed corpus ſenile inedia & diuturno morbo emaciatum nullo remedio reficere potuit. Quare quadraginta duos dies cum illo languore conflictatus, XII. Kal. Novembris obiit, maximo omnium dolore & luctu, quem in exequiis ejus magnificis teſtati ſunt, quales fieri ipſe teſtamento vetuiſſet. quo etiam cavit, ne ullum aliud Epitaphium monimento ſuo incideretur, præter hæc verba: IVLII CÆSARIS SCALIGERI QVOD FVIT. Hunc finem habuit vir vetuſtate generis, quæcunque ea eſt, niſi ad fabulas recurratur, nemini ſecundus. Sed non parum fecit, quod hominis privati in Nitiobrigibus ſummum faſtigium attigit, qui principis imum in patria tenere noluiſſet. Officia principis amiſit, hominis exercuit. Imperium ampliſſimum, & ditionem multarum ac potentiſſimarum vrbium amiſerant maiores eius. Hæc ille non morabatur; certus, ſi quid ſplendoris ex illa fortuna redundabat, id totum non ad ſuam, ſed ad maiorum ſuorum virtutem referendum eſſe. Imo abſurdum non eſt, in maioribus eius quoſdam in tantis opibus nulla oris aut corporis dignitate fuiſſe: quæ tanta in illo erat, vt nemo vnquam eum viderit, quin protinus dicere iure poſſet, --- εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et certe omnia eius, corpus, inceſſus, geſtus, oratio, ſtilus, libri nihil vulgare redolent. Propterea pauci eius libros attingunt, niſi qui nihil plebeium ſapiunt. De ſcriptis eius dixiſſem, niſi iam olim de illis vulgo notum eſſet. Habes, vt puto, mi Douza, quod poſtulabas: ſi non, quod ſatis fuerit. Epiſtolam enim, non hiſtoriam ſcribimus: &, vt inquit Plinius Cæcilius, aliud eſt amico, aliud omnibus ſcribere. Liberos ex quinque maribus, quatuor: feminas ex decē, tres reliquit. Audectus quinquennio ante me natus primus ex maribus orbos parētes fecit. De quo tam verum eſt, quod dicam, quam

mirum.

mirum. Cum ea eſſet illius infantis indoles, quæ non ſolum parentes, ſed etiam extrarios in amorẽ ſui invitaret, & ut ratio poſtulat, pater eum impendio amaret; tamen non poterat ſibi temperare, quin, quoties in puerum oculos conjiceret, vultum triſtitia contraheret, & ſigna animi mœrore depoſiti cum gemitu ederet, ita ut mater non difficulter colligeret, patrem ſaluti filii diffidere. Cum cauſam doloris ex viro exquireret, ille caveret à nutrice vinoſa, monere: ſibi exploratum eſſe puerum ſuffocatum iri. Cum quotidie hanc curam matri objiceret, cœpit & ipſa quoque ſerio timere. Itaque accidit, ut noctu ſurgens nutricem puero indormientem deprehenderet, ore ejus in os pueri impreſſo, adeo ut puero exanimando punctum temporis deeſſet: qui ægre ab ea oppreſſione refectus eſt. Cum iterum & tertium in majore periculo puerum offendiſſet, ebrioſæ mulieris culpa, ante tempus ablactatum puellæ pediſequæ cuſtodiendum & regendum commiſit. Miſeram parentem nutricis amolitione periculum à capite filii depuliſſe, ſeſe autem defunctam omni metu exiſtimantem nihilo ſecuriorem pater eſſe ſinebat: Quare cum gerula puerum inſanum in modum amaret, nocte quadam dormiens miſellum inter arctiſſimos complexus exanimavit. Ita patris vaticinium infelix exitus comprobavit. Leonardus anno minor me à duodecim ſicariis oppreſſus & obtruncatus eſt ad Laudunum oppidum Pictonum ſuperioribus bellis civilibus. Janum Conſtantium minorem me quatuor annis factio nobilitatis per æmulationem in Tranſſilvania interfecit, cum caſtro cuidam regendo à Stephano Deſpota, qui poſtea Poloniæ rex fuit, impoſitus fuiſſet. Ambobus fortitudo ſua & rara indoles exitio fuit. Ex quibus Leonardus avo Benedicto, Conſtantius autem propatruo Bonifacio ſimillimus erat. De cujus fortitudine

dine nihil dicam, ne fabulis ſimiliora quam vero dicere videar. Silvium maximum omnium natu, annis totis decem majorem me morbus in dotalibus agris Novempopulaniæ extinxit, annum agentem ætatis quinquageſimum quintum. Quatuor fratribus ſolus ego ſuperſum decimus partus matris meæ, natus anno cIↃIↃXL. Aginni Nitiobrigum, pridie Nonas Augusti, horis quatuordecim poſt meridiem: ut meus natalis Nonis attribuatur, tempore politico. Annus, in quem incidit natalis meus, in omnibus Chronicis & Annalibus nobilis eſt ardentiſſimis æſtibus,& vindemia Solibus exuſta, præterquam ubi acerba cogi ſolet, ut in Helvetiis,& aliis frigidis tractibus, in quibus eo anno perfectiſſima vini coctura fuit. Ex ſacro lavacro ſuſcepit me in æde Hilariana vir nobilis Gerartus Landa, qui me, non de nomine ſuo, quod averſabatur, ſed Ioſephum Iuſtum nominavit. Prius nomen, ut vulgo uſitatius, mihi hæſit: altero raro, niſi à patre etiam jam grandior, appellatus ſum. Annos natus undecim, cum Leonardo & Iano Conſtantio fratribus Burdegalam à patre miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedi. Inde peſtilẽtia exactus ad patrem me recepi. Qui, quandiu apud eum fui,(& quidem, quandiu vixit, fui) à me quotidie declamatiunculam exigebat, facto mei arbitrii argumento, quod ex aliqua hiſtoria peterem. Hæc exercitatio & uſus ſtili quotidiani Latine me ſcribere aſſuefecit. Quia vero verſus patris excipiebam, ex hac neceſſitate aliquem ſaporem poetices imbibi. Itaque & verſu & proſa oratione neſcio an aliis, certe patri pro captu ætatis ſatisfaciebam. ut aliquando me ſeductum rogaret, unde ſententias illas & colores depromerem. ego id, quod erat, mea illa, & de meo eſſe, reſpondebam. Sed admirationem apud amicos diſſimulare non potuit Tragœdiæ Oedipi primæ fœturæ ingenii mei.

In

In quam, quantum ætas illa patiebatur (minor enim annorum XVII eram) omnia poetices ornamenta, & verborum delectum impenderam. Et ſane, ſi bene memini, eiuſmodi erat ille abortiuus partus, vt eius me ſenem pœnitere non debeat. Anno ætatis meæ decimonono Lutetiam poſt obitum patris petii literarum Græcarum amore, quas qui neſciret, omnia neſcire putabam. Poſtquam menſes duos operam Adriano Turnebo dediſſem, quia deſtitutus aliis præſidiis operam omnem in eius doctiſſimo auditorio ludebam, in muſæum me abdidi, & in illo piſtrino incluſus, quod ex aliis non potueram, me magiſtro diſcere experiebar. Igitur vix delibatis coniugationibus Græcis, Homerum cum interpretatione arreptum vno & viginti diebus totum didici: poeticæ vero dialecti veſtigiis inſiſtens Grammaticam mihi ipſe formaui: neque vllam aliam didici, quam quæ mihi ex analogia verborum Homericorum obſeruata fuit. Reliquos vero poetas Græcos omnes intra quatuor menſes deuoraui. Neque vllum oratorē, aut hiſtoricum prius attigi, quam poetas omnes tenerem. Biennium continuum Græcis literis impenderam, cum ad Hebræas me impetus animi rapit. Et quamuis ne vnam quidē literulam in ea lingua noſſem: tamen ad eam diſcendam nullo alio magiſtro quam me ipſo vſus ſum. Intra illud triennium & deinceps, multa verſu in vtroque ſermone luſimus: multa de Latinis Græca fecimus. in quibus ſtuduimus, vt non ſolum Græca eſſent, ſed etiam ne aliena viderentur. Multi enim hodie cum laude Græcos verſus ſcribunt, ſed pauci cum ea felicitate, quam in Græcas exigas. Poteramus & edere noſtra, appoſitis ætatis annis, vt fecit Politianus in ſuis Græcis poematiis. quæ, præter pauca, digna erant, quæ in adoleſcente potius amaremus, quam quæ à ſeniore Politiano venditarentur. Sed noſtra edere,
odium

odiũ ambitionis, à qua ſemper alieni fuimus, prohibuit: quamuis ea edere & nunc quidem ſine fraude noſtra liceret. Scripſi enim illa non tanquam publicaturus, ſed tanquam amabili inſaniæ, quæ nos ludebat, indulgens. Teſtor vero meam culpam non eſſe, ſi inuito me, aut iniuſſo, quidam verſus clauſtra refregerunt. Multa in auctores vtriuſque linguæ obſeruauimus, ex quibus immanes partus naſci poſſent Variarum, Antiquarum Lectionum, Miſcellaneorum, & aliorum eiuſmodi, quibus hodie Philologorum ambitio laſciuire ſolet. Non quod eiuſcemodi ſcriptionis genus inutile putem, aut in vllo ſcriptore hæc reprehendam: non enim ita inſanimus: ſed quia talia ab aliis edi, quam à nobis, malumus. Vt tamen nobis vigiliarum noſtrarum fructus conſtaret, interpretandos & emaculandos auctores integros ſuſcepimus. Hoc enim ſine vlla ambitionis ſuſpicione nos recte facere poſſe iudicauimus. In quibus auctoribus ſi eruditis lectoribus non ſatisfecimus, id quod nos non fugit: excuſauerit totum genus vitæ meę deſultorium, & otii, quo maxime ſtudia aluntur, penuria. Nam ab anno cIɔ Iɔ LXIII, ex quo in contubernio generoſi Ludouici Caſtanei Rupipozæi eſſe cœpi, ad hanc vſque diem, nullum tempus mihi aut à peregrinationibus, aut ab animi perturbationibus vacuum fuiſſe memini: vt maleuoli intelligant, otium, quod ipſis ad maledicendum ſuperfuit, nobis ſemper ad diſcendum defuiſſe. Immane enim quot & quantos hoſtes peperit mihi non iniuria priuata vlla (nihil enim mihi conſciui, quo alicuius boni animum offenderem) ſed propenſa literas iuuandi voluntas: cuius male relatam mihi gratiam dolerem, niſi viderem hoc genus hominum morbo quodam animi potius, quam iudicio ad hoc agi. Quotidie aliquis mihi ſuccreſcit aut furioſus, aut flagitioſus, aut indoctus, qui mihi oblatret.

fuerunt. Ideo vtriuſque à nobis iniecta mentio. non quod tanti fuerit, de plano & muliercula triumphatum eſſe:ſed vti,quemadmodum de Thoma & Anna, ita de duce, cuius auſpiciis id damnum Sabaudo illatum eſſet,conſtaret. Nam patris nomen ideo ignoratum puto,quod non Iulius Scaliger ſed Iulius à Burden vocaretur. Victor reuerſus, nemine de ſuis deſiderato, honorifice à Prorege laudatus, & poſtea Regi Franciſco,qui ſuperatis Alpibus,in Vicum nouum Rouerorum diuerterat, eo nomine plurimum commendatus, vt iuſta ſtipendia turmæ ſuæ ex regia gaza procederent, impetrauit. Extra ordinē enim eam à Prorege obtinuerat,& ex nobilibus voluntariis amicis ſuis, fere ſuppleuerat. Quamuis eum æſtus quidam militiæ, armorũ amore potius quam odio quietis tranſuerſum ageret:tamen literarum, quibus prima eius pueritia ſub Maximiliano Cæſare exculta fuerat,obliuiſci non poterat. Itaque vbicunque à militiæ laboribus reſpiratio daretur,quas Bononiæ reliquiſſe videbatur, ad eas furtim dulcèdine quadam rapiebatur:quem ardorem accendebat vſus & familiaritas medici Taurinenſis neſcio cuius , & Pharmacopolæ, rei herbariæ peritiſſimorum : qui vbi eum ſemel & iterum in montana ad herbarum inueſtigationem deduxiſſent, accidit, vt eum nihil minus, quam tale cogitantem,alter diſputationibus ſuis, alter peritia ὕλης ἰατρικῆς ad medicinæ ſtudium incitarent. Iam Bononiæ eos in Ariſtotele progreſſus fecerat, vt & magiſtris ipſis diſputando admirationi eſſet. Itaque conquiſitis Taurino Hippocratis & Galeni libris,quos quidem tum nanciſci per bellum licuit, adhibito in cõſiliũ Ariſtotele ſuo,breui effecit , vt non ſolum familiarem ſuum medicum Taurinenſem , quem vnicũ ad medicinam incētiuum habuerat,ſed & ſummos medicos ſuperaret. Oneris militaris ſolicitudo & literarum amor,

Va a p. 64

eo illum perduxerant, vt, cum vtrique functioni pro dignitate ſatisfacere vellet, noctes diebus, & munia militaria ſtudiis continuando, rationem valetudinis non haberet. Quare annos natus triginta quinque, ex nocturnis laboribus militiæ, & lucubrationibus literariis, item cœli inalpini inclemētia, arthritidem contraxit: cuius prima tentamenta adeo acerba fuerunt, vt multos menſes decubuerit. Valetudo reſtituta, priſtinis eum militiæ & literarũ ſtudiis reddidit, adeo præteriti morbi oblitum, vt non ſolum ab iis, quæ valetudinem vitiarant, non temperaret, ſed & noua vltro morborum irritamenta arceſſeret. Nam cum hactenus Græcas literas ignoraſſet, eas anno poſt primum morbum auidiſſime proſecutus, incredibili celeritate didicit. Sed pertinaciſſimarum vigiliarum acerbiſſimas pœnas luit, multo acriore, quam antea, arthritide repetitus. Itaque intermiſſa contentione militiæ, & abdicato turmæ ducatu, ſtatuit literarum ſtudiis reliquum vitę tempus tranſmittere, tædio prioris inutiliter actæ, cum iam annum quadrageſimum exceſſiſſet. Quare vere dici poteſt, vnicam domum illuſtrium Rouerorum ei, & belli arcem & Athenæum fuiſſe. Erat in gente Rouerorum Epiſcopus Aginnenſis, Præſul ditiſſimus, ſingulari bonitate, & pietate, promotus ad eas opes à Sixto & Iulio Pontificibus Maximis, Rouerorum propinquis. Cum illi ex officio neceſſitas incumberet diœceſim ſuam inuiſendi, valde pigebat hominem, priſca ſimplicitate & peregrinandi inſolentem Alpes tranſgredi, quaſi in Colonias noui orbis tranſcriberetur. Ad eum metum accedebat ætas ingraueſcens & valetudo cuilibet mutationi opportuna. Quia vero aut omnino migrandum erat, aut epiſcopatus abdicandus, ſatis ſe ad ancipites caſus valetudinis munitum credens, ſi Iulium Cæſarem ſibi comitem viæ adhiberet, eum per amicos tentatum,

mox

mox ipſe priuatim precibus & blanditiis aggreditur, quod crederet ad hoc iter ſuſcipiendum haud facile inductum iri. Neque opinio eum fefellit. Præciſe enim negauit; Italiam Tranſalpinis regionibus mutaturum. Cum diu pertinacia propoſiti fruſtra oppugnata eſſet, tandem manus dat ea conditione, vt non amplius quam octo dies Aginni detineretur. Quid enim ſibi cum ea gente, cum qua ne vnum quidem diem viuere poſſit? Sed hæc erant verba hominis & amœnitatem Aquitaniæ & rerum euenta ignorantis. Nam qui octauo die reuerti pactus erat, eodem ipſo tēpore cauſam conſilii mutandi nactus eſt. Educabatur tunc Aginni apud auiam nobilem matronam puella lectiſſima Andietta de Roca Lobeiaca, annos nata XIII. Eam primum viſam ita deperire cœpit, vt pactam prius cum Epiſcopo de reditu in Italiam conditionem amori eius poſthaberet. Cum itaque nuptias eius petentem propinqui puellæ, cauſſando eius quidem iam ingraueſcentem, puellæ autem acerbam ætatē, ſæpe ſummouiſſent: non tamen iccirco quicquam de contumacia aut amandi aut petendi remittebat: qua tandem effecit, vt triennio poſt homo annorum quadraginta quinque puellam ſexdecim annorum vxorem duceret: cum qua annos vndetriginta vixit, ab anno CIↃIↃXXIX ad annum CIↃIↃLVIII, relictis de quindecim ſeptem liberis ſuperſtitibus. Quicquid is ſibi, & publicæ vtilitati vixit, id omne vxori acceptum referri debet. Illa deſultoriæ vitæ fluctus & errores compoſuit: animum vagum & ad incerta tranſuolantem pudicis ſuis moribus retinuit: cum ipſa totius rei familiaris onera ſuſtineret, & virum omnis moleſtiæ ſecurum præſtans ſic vacuum ad ſtudia literarum remitteret. Illa tumidum & iracundum ſæpe morigeratione ſua placauit, & ſolennibus podagræ inuaſionibus repeti ſolitum charitate coniugis, ſeduli-

tate ancillæ curauit, certa, ſpiritum ſuum in ſpiritu viri verti, ideoque ſibi conſulere, cum illi conſultum vellet. De eius forma ſupra quotidianas pudentius eſt ſeniores Nitiobriges, qui hodie ſuperſunt, quam filium, referre. Nemo ex illis eſt, qui eius vel minimam mentionem fecerit, qui non protinus dotes animi & corporis laudauerit. Origo eius ex antiquiſſima & nobiliſſima gente dominorum de Roca Lobeiaca in Cadurcis. Auus Bernardus, homo contumax & præfracti ingenii, ſub Ludouico XII cauſam capitis dicens apud Senatum Tholoſanum interfecti à ſe domini de Luſechio patruelis ſui, neceſſitatem ſupplicii à ſe depulit, tranſactione cum orbis facta, & omni iure Rocæ Lobeiacæ à ſe in illos translato. Ita Arcem ſuam longa maiorum ſerie ad ſe tranſmiſſam liberis interfecti tranſcripſit, & auito patrimonio exutus Aginnum Nitiobrium ſeſe cum liberis ſuis recepit, vxore annis ante aliquot amiſſa. Huius filius Alanus, Andieta filiola bimula relicta, admodum iuuenis deceſſit. Vetuſtatem eius gentis, præter alia, quæ in Cadurcis ſuperſunt, argumenta, refert ſepulchrum Epiſcopi Aginnenſis ante hos quadringentos annos plus minus vita functi, quod viſitur hodie in Baſilica Stephani cum vetuſtiſſimis Dominorum de Roca Lobeiaca inſignibus in pariete cellæ, quæ Marianæ iuncta eſt. Hactenus de Iulii patris mei vita ea perſtrinxi, quæ ad eius memoriam ſpectare arbitratus ſum. Nam omnia perſcribere, hoc eſſet annales condere. Statura fuit procera, & ad decorum erecta; regio & auguſto ore, colore fuſco, artubus toroſis, corpore exercitatiſſimo. Nam vt in aula Maximiliani Cæſaris, ſic in noſtra Aquitania, omnes in omni genere palæſtræ, equitando & armis dimicando ſuperauit. Ac quamuis iam podagra articulos fregiſſet, tamen adhuc equos domi alebat, quos in campo viridi domitabat, qui ripam Garumnæ

& A-

& Aginnum interiectus eſt, quo campo neque porrectiorem neque amœniorem vlla vrbs Gallicana habet. In quo cum Carbone illo nobiliſſimo Aquitano, & acerrimo pugnatore, ludicro certamine, haſtis confligens, hominem equo deiecit: cum tamen hactenus Carbo, tã in Aquitania, quam in Liguribus Taurinis in Ludicris equeſtribus primas obtineret, & in illis inuictus haberetur. Sariſſa aut ſibyna correpta, ei innitens, in templorum culmina erepebat. Apprehenſa vtroque pollice tina ſatis alta, in eam collecto ſaltu deſiliebat, atq; in eodem ſtatu compoſitus corpus in ſublime ſubiectum extra tinam expediebat; fruſtra idem tentante, quæ tum intererat, Vaſconica nobilitate. Annos ſexaginta duos natus, manibus arthritide debilitatis, trabem ingentem & prægrauem, quam quatuor operæ moliri non potuerant, & ipſe ſolus loco manibus ſuis labefactauit, & quo deſtinatum erat, traduxit. Referrem plura & militaris & campeſtris diſciplinæ ab eo edita exempla, niſi lectorum faſtidio occurrerem: quorum multi tam libenter ea vituperant, quam inuiti legunt. in quibus eſt Lucumo Becceſelenus, quo nemo impudentius & licentius abuſus eſt ingenio & otio ſuo, qui, inuſitata ruſticitate, patrem meum deridet, quod Pyrricham armatus coram Cæſare Maximiliano ſaltaſſet. O ſtolidam & barbaram impudentiam! Sed Marrucinus eadem leuitate hominum nobilium & ingenue educatorum ſtudia & artes carpere potuit, qua Moſem ſubſannat, quod Hebraice potius, quam Brabantice nomina veterum patriarcharum interpretatur. Et tamen illæ Origines, incertum impiæ magis an ineptæ, editæ ſunt cum venia eorum, qui omnia ſcripta ad cenſuram ſuam reuocant, & nihil in iuſſu ſuo publicari volunt. Sed quanquã ab initio tot aduerſarios habuerimus, quot ille admiratores nactus erat: tamen omnes eius plauſores

iam tepeſcunt, & ſaturi de illo theatro ante complicatum aulæum diſcedunt. Ea eſt laſciuia & leuitas plebeiorum iudiciorum. Nō ſolum igitur in Pyrrhicha, quam in homine nobiliſſimo irridet Terræ filius, ſed etiam in omni palæſtra, quam hominem tali ortu & in aula Cæſaris eductum ſcire oportebat, ſolers fuit. Quæ ideo retuli, non vt à vulgaribus meritis ei laudem captem: ſed vt mirentur omnes, cum à duris militiæ ſtudiis, in quibus altus & ſubactus fuit, ad otium literarum traduci tandem potuiſſe, præſertim ſeueris Bonifatii patrui imperiis à prima vſq; pueritia aſſuefactum, ad cuius nomen & mentionem etiam adultus totus tremiſcebat. Erat enim homo acer, ferox, impatiens quietis, rigidus diſciplinæ militaris exactor & expenſor. Contra frater eius maior natu Benedictus, erat homo leniſſimus & moderatiſſimus, vt qui eius fortitudinem & gnauitatem ignoraret, lenitatem hāc lentitudinem interpretari poſſet. Itaque ex duobus filiis Benedicti, patruus Iulium Cæſarem, pater Titum ex ſimilitudine morum ſuorum magis diligebant. Ac quemadmodum Benedicto homini placidiſſimo vxor imperioſa, factioſa, elata, (quales ſemper animos producere ſolet gens Lodronia) ſemper aliquid magnum ac ſupra fortunam profugi mariti ſpirans: ita Iulio filio iracundo & ad leuia momenta irritabili contigerat vxor, quæ tum prudentia ſua irarū ſurgentes motus præſentiret, tum patientia atque indulgentia eluderet. Igitur & militia & arthritide fracto, Philoſophia & literæ manum tandem iniecerunt, & mollibus diſciplinarum ſuarum imperiis contumacem animum ſubegerunt. Neque vero obſtitit ὀψιμάθεια, quin quod alii longo tempore, ille pertinaci labore aſſequeretur, quamuis ante quadrageſimum ſeptimum ætatis annum nihil ediderit, neque ante id tempus totum hominem ſibi plane ſubieciſſent literæ. Adhuc enim & cor-

corpore & animo inter nobilitatis Vaſconicæ ludicra certamina & conuiuia peregrinabatur. Sed poſtq̃ morbus iam olim domeſticus eum lecto affixit, & quemadmodum corpori facultatem, ita animo voluntatem vagandi ademit: nullum tempus à ſtudiis literarum & lucubrationibus vacuum relinquebat. Quo factum, vt eodem tempore nemo eo neque plura neque meliora ediderit. Quæ omnia ſuperioribus bellis ciuilibus cum domeſtica ſupellectile direpa interciderunt fere. Quoties arthritis ei vſum ſcribendi adimebat, tunc, vt Ennius loquitur, poetabatur, & quotcunque verſus noctu conceperat, mane, ſi per frequentiam eorum, qui illum conſulebant, aut officii cauſa inuiſebant, liceret, ſin autem, veſpere, poſtquam omnis turba illa dilapſa eſſet, dictabat. Ac tanta erat memorię felicitas etiam in extrema ſenectute, vt ducentos verſus in Viueſiano prædio mihi dictarit, quos die priore conceptos propter viſitatorum officium recitare diſtulerat. Neq; vero minor fuit ἐυστοχία eius in colligendis ex vultu hominum moribus, iudicio potius, & vi quadam animi occulta, quam vanitate Phyſiognomonica. Neque profecto vnquam in eo fallebatur. Prodigioſa etiam vſque ad miraculum ex ſomniis vaticinatio. Vnum de multis referam. Cum Heroum ſuorum opus contexens ad multum noctis lucubraſſet, abſoluto libro, poſt cænulam quiete compoſitus imaginatus eſt, in æde Mariæ Antiquæ Veronenſis, vbi ſunt monimenta gentis noſtræ, hominem procerum, ac grauem ſibi obuiam factum ſecum expoſtulare, quod ſe inter Heroas ſuos non collocaſſet. orare igitur, vt hoc faceret: ſe Benedictum Brugnolum eſſe, domo Leniaco, qui patrem Benedictum ac patruos literas primas docuiſſet: ipſum quoque puerulum aliquando inter vlnas geſtaſſet. Venetiis ſe vltimum diem obiiſſe, ibique ſepultum eſſe. Experrectus ſomnium

 ele-

ditorio exire? Quid ad teneram illam ætatem, bene an male aliquid caſtigarim, aut interpretatus ſim? Quid hoc eſt, niſi vt nos infra poſitos ſplendore ſuo prægrauare videantur? Non pudet illos quod me vincũt, vt de Philemone dicebat Menander? Bonæ indolis adoleſcens cũ ex Athenæo diſceſſerit, interrogatus quid à magiſtro didicerit, hoc reſpondebit: de autore, quẽ interpretatur magiſter, ſibi parum aut nihil dictatum quidem, ſe tamen interea horam non perdidiſſe, ꝙ rem inauditam didicerit, nempe Scaligerum, quem boni viri laudãt, neq; literas, neq; adeo natare ſcire. Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla. Dices: Hoc tu, mi Scaliger, curas, aut adeo ad exiſtimationem tuam quicquam referre putas? Minime. Sed ſine me tecum garrire eodem iure, quo & illi cum auditoribus ſuis garriunt. Alioqui nihilum mouẽt me. Nam profecto eorum auſpicia pomœriis Athenæi regii tantum finiuntur. Noſtra vlterius incita ſunt, ita vt ad Romanum vſque agrum promota ſint. in quo nõ aues, vt olim, imo homines de meis ſcriptis garriunt. Exiuit nuper cõmentarius amici mei eruditiſſimi in Hippocratis libellum περὶ κεφαλῆς τρωμάτων. Conſultus ab eo de contextu eius libri, quo, etiam teſte Galeno ipſo, nullus in toto Hippocrate deprauatior eſt, quod mihi videbatur, ex tempore reſpondi. Alibi enim occupatus eram. Et quamuis eæ tẽporis anguſtiæ erant, vt plura fortaſſe, quam opus erat, dicere, aut animaduertere non licuerit, tamen amico hoc poſtulanti, quæ mea eſt æquanimitas, negare neque potui, neque debui. Non dubitauit ille meas notas ita, vt è re nata dictaueram, publicare. quarum, quanuis me impulſore eæ editæ non ſunt, tamen nondum me pœnitet. Nã ea in eo libello deteximus, quæ iſti boni medici ne in ſomnis quidem viderant, neq; ſuſpicati ſunt. Putabam tamen eos non ita incogitantes fuiſſe, vt

cum hæc publice legerent, ſaltē in vno & altero loco de mendo illis nō ſuboleret. Neq; vero adeo concinnè datæ viſæ ſunt meæ notæ, vt veritus ſit quidam arrogans iuuentutis faſcinator ac planus palam dicere, me illa ſibi furatum eſſe. Sed qvia videbat difficilius ea mihi extorqueri, quā Herculi clauam, poſſe, ad vltimum remediū ſuum, hoc eſt, ad calumnias, confugit. Subornauit nebulonem illo loco atque domo dignum, hoc eſt, ſibi ſimillimum hominē è media Clinicorum colluuie ſuſcitatū, qui pro beneficio haud parem gratiam retulit. Nā poſtquam didicit, quæ inuitus fateatur neceſſe eſt, ſi aliquam frontem habet, nunquam, vt audio, ſine magnis contumeliis in me declamauit. Cui rei omnis pædagogorum fæx operas ſuas tradidit. Nemo enim fuit qui ſeſe putaret medicum (ſemper doctos excipio, ne forte quiſpiam me hic omnes putet comprehendere) qui dolorem ſuum ac inuidiam diſſimulare potuerit; quod ego ἀνιατρολόγητος Hippocratem & Celſum emendandum ſuſceperim. Conſequens eſt igitur, vt quēadmodum ſoli Itali patriam Propertii indicare poſſunt, ſic ſoli magiſtri Pariſienſes ſacrorum penetralium medicinę æditui ſint. Sed impurus ille hiſtrio cum ſuo monitore dabit pœnas, niſi reſipiſcit. Dignus enim vterque, qui ita pro meritis ſuis à me accipiatur, qui me, hominem innocentiſſimum, inſolentem huius ſcholaſticæ maledicētiæ, publice lancinare audeant; quos ne cogitans quidem, lædere voluiſſem. Nam qui à me ne verbulo quidem laceſſiti, adeo omnis humanitatis obliti ſunt, me laceſſitum qua mente eſſe oportet? Immane, inquit ille, facinus, amicum caſtigare pro noxia. Tanto illiberalius, homines, à quibus nunquam ne minimo dicto quidem petitus fueris, nulla de cauſſa laceſſere. Puto illius monitorem vndique ab omni fæce pędagogorum oſtiatim erogaſſe, quæ illum emiſſarium ſuum doceret,

vt in

vinum euomerent. Ab omnibus .n. ſui ſimilibus ſymbolas contraxit, vt hoc luculentum, & ſplendidum prandium inſtrueret, quod mihi apponeret. Ego vero quanquam caniculară vanos latratus rideo, tamen ſatis mirari non poſſum κακοήθειαν hominum, qui mihi ſuccenſeant, quod ſe docuerim, quod antea neſciebant. Gloſſemata ineptiſſima ineptiſſimorum hominum commenta ex illo aureolo libello ſuſtuli. Ipſi pro veris Hippocraticis aſſerunt. digna profecto quæ alios interpretes non habeant. Sed oblitus ſum & loci mei, & exiſtimationis, qui hæc curem. Ipſi pro meipſo reſpondebunt, cum eas ſtolidiſſimas diatribas in publicum edent. Quis enim eas leget ſine riſu, qui ſaltem micā ſalis habebit? Satisfactum mihi putabo, ſi ipſi ſeſe ſcriptis ſuis traducant. Nam intra parietes gymnaſii tuti hactenus ſunt. hoc vnicū aſylum habent. ibi regnum ſoli obtinēt. Qua pompa meo ſuggeſtu vectantur, è quo tot boni viri & olim, & nunc etiam vberrimos eruditionis ſuę fructus quotidie promunt? Quicquid teneris animis iuuenum immittunt, κυρίας δόξας eſſe putant. Sed poſtquam ſcripta ſua euulgarunt, tūc tanquam in publico theatro exploduntur atque exſibilantur. Graue enim iudicium poſteritatis. Ignoſce iuſto dolori meo, doctiſſime Stadi, ſi te virum iis literis, ea virtute, atque humanitate pręditum, præterea in iis ſtudiis occupatiſſimum, quæ ſolis diuinis ingeniis patent, cum prolixa epiſtola intempeſtiue adii. Mitto enim ad te Manilium meum, quem quare liberalius, quam alios libros meos excipiant, non video. Plura enim longe habet, quam illi, quæ illos, vt antea, ἐκμανῆναι poſſint. Verēdum enim eſt, ne ego, qui propter alios libros causā dixi, propter hūc ſolum reus peragar. Niſi ſubuenis, funditus pereo. Extabunt, qui ſolum Ptolemæum & recentiores legerint, & videbunt me alium

à vul-

à vulgari logiſticen, aliam Aſtronomiam ſequi. Ilico totius Aſtronomiæ imperitum me eſſe clamabunt. Hoc facient, puto illi, qui quaſi pro viatico Ephemeridibus ſemper ſuffarcinati incedunt, eo ſolo nomine ſeſe Aſtronomos putant: neque Aſtronomiam Manilii longe differre à Ptolemaica; neque, quod caput eſt, ipſum Ptolemæum nouam inſtituiſſe, aut potius veram reſtituiſſe cogitabunt: non aliter ac fecit Ariſtoteles, qui non prius ſuam Phyſicen ſtruit, quam Democriti, Pythagoræ, & aliorum fundamenta diruerit. Itaque ab equis lectoribus peto, ſi quid tale in hoc Commentariolo viderint, ne me id putent ignoraſſe, quod multos non admodum alioqui peritos ſcire video. Sed tantum conſulant ipſum Manilium, nõ me interpretem. Eiuſmodi eſt Proſthaphæreſis illa χρονικὴ autore ipſo Manilio inſtituta libro tertio. Cuius inutile commentum mirabuntur non ſolum docti, ſed & mediocriter in logiſtica Aſtronomiæ verſati. Permagni tamẽ intererat eam indagare. Opus enim fuit iudicio, & attentione non vulgari. Inauditam etiam rem Athla Maniliana eſſe neque tu, doctiſſime vir, qui harum artium princeps es, negabis: & fatebuntur illi, qui vni Ptolemæo tantum ſacramento dixerunt. Nos illorum Athlorum vſum ex mente autoris noſtri propoſuimus, neque video, cur illa reiecerit Ptolemæus, qui tamen κλῆρον τύχης retineat. Præterea modos aliquot horoſcopi indagandi leget, quod abhorret à modo, quem rationalem vocauit ipſe, qui inſtituit, Monteregius; & ab eo, quem ſequuntur Arabes. Sphæram barbaricã in vſum reuocare poterit, qui eam ad Clima Alexandrinum ex præceſſione æquinoctiorum caſtigauerit, deinde per doctrinã Declinationum & Differentiarum aſcenſionalium ad ſui loci inclinationem accommodauerit. Neque vero ſi quis minus ſibi ſatisfactũ putat, quia id ego ipſe nõ præſtiterim,

propter-

propterea id me ignoraſſe cenſere debet. Non male enim, niſi fallor, de hoc priſco autore meriti ſumus, quod eum ad eam integritatem reſtituimus, vt & adoleſcétuli vel primis his ſphæræ elementis minimum imbuti eum capere poſſint: quem quomodo antea vel doctiſſimi viri intelligere potuerint, nolo ipſe dicere. ipſi, niſi & nunc quoq; oderunt me, ex hac noſtra editione fateri cogentur. Quare eos rogo, vt omni abiecta inuidia, & inſaniani fame nomen meũ lacerandi, ſeria ac grauia ſtudia potius, quę minuta illa, ſe atq; exiſtimatione ſua indigna, conſectentur: neque in maledicendo operam omnem abutantur. Aſſumant hunc ſcriptorem in manus, eumq; publice interpretentur. Multa paſſim annotabũt a nobis prætermiſſa: non pauca etiam puto à nobis errata. Ea omnia ſi paulo æquiore animo, atque ita, vt liberaliter homines inſtitutos decet, collegerint, habebũt vnde meliorem huius eximii poetæ editionem efficere poſſint. Hac ratione nullam iniuriam mihi factum iri cenſebo, ſi eos autores, quos ego emẽdare conatus ſim, recenſere voluerint. Neque longe petenda erit occaſio reprehendendi. In eo ipſo campo erunt, in quo deſudent licet. Præterea eruditos ac probos Gymnaſiorum moderatores magnopere rogatos velim, vt, quoties ſphæræ elementa iuuentutem ſuam docere voluerint, non aliunde petant, quam ex primo libro poetæ noſtri. Vnde enim melius hauriri poſſint, quã ex diſertiſſimo poeta, qui nihil, quod ad rem facit, omiſit? Quamuis autem ipſi per ſe ſatis ſapiunt, neque me opus habent monitore; tamen oro illos, vt hæc me ſuadentem æquo animo ferant. Præterea vt meminerint, ne, cum ſphæram Mundi ſiue ex Manilio, ſiue ex alio auctore legerint, alium circulũ Arcticum à Maniliano, hoc eſt à vero circulo Arctico pueris proponant: atque certo ſciant, Sacrobuſcum, aut neſcio quem alium minime vetuſtiorẽ,

hujus

huius vulgati atque inutilis Arctici auctorem eſſe: idque accidiſſe vel Græcarum literarum ignoratione, vel quia aliud conſilium, quod ignoramus, ſequuti ſunt. Quicquid autem eos inducere, vt ita ſtatuerent, potuit, certe ſtudioſos ſphæræ hac in re non multum iuuerunt. Hoc iterum dico, ne in hac quoque re me audacem ac innouatorem, vt Itali illi, graues, & acuti viri, vocent. Atqui audacior, atque impudentior cenſeri non debeo, qui verum Arcticum intermortuum excitarim, quam illi qui eum penitus ſuſtulerunt, vt ineptum ac nulli vſui alium ſufficerent. Quod tu te, doctiſſime Stadi, qui hæc & prius & melius meipſo ſcis, non negabis. Ideo te huic rei defenſorem paro. Totum enim humanitati, eruditioni, æquanimitati tuæ me deuoueo: præſertim vt mihi præſto ſis, ſi quando doctiſſimorum magiſtrorum eiuſmodi ſuſurri aures tuas verberabunt. Quis enim hodie magis opportunus iniuriæ viuit, quam ego? Quem vero magis idoneum defenſorem, quam te ipſum, nanciſci poſſum? Quare per ego te amicitiam noſtram, perque tuum excellentiſſimum iudicium oro, obteſtorque, noli committere, vt negligas me famelicoſis dentibus ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι: præſertim cum adeo ieiuni ſint homines, vt ne à pelle quidem canina abſtinere poſſe videantur. Hunc librum ego iudicio tuo ſubieci. Quicquid in eo dignum animaduerſione viſum fuerit, eius, vt amice moneas me: quod immerito ab aliis carpetur, id vti defendas etiam atque etiam oro. Vale Pridie Kal.
Auguſti CIↃ IↃ LXXIX. Tuffolio Ruppozæorum ad flumen Viennam in agro Pictauienſi.

Epi-

EPISTOLA III.

MAMERTO PATISSONI.

ECce iterum urges me, & libros meos ſeptem de emendatione temporum flagitas: quod opus iam affectum propediem diligentiam tuam exſpectat. Itaque iterum totus nunc ſum in deſcribendo. Sed impetum meum neſcio qua hora repreſſit Apologia homuncionis neſcio cuius, quam ad me miſiſti. Dii magni, horribilem & ſacrum libellum, Quem tu ſcilicet ad tuum ſodalem miſiſti. Multi in eo piſtrino alii meum nomen attriverunt; nemo tamen hactenus extitit, cui reſpondere minuere meum eſt exiſtimationis & loci mei. Si mihi ſuſpendio moriendum eſſet, dolendum ſane, quod non ἀπ' ἀξίου δένδρου. Hoc meum factum eſt, & quidem non infeliciter. Homuncionem non habeo niſi imperitum. Et commodum ille ſeſe offert, incertum riſu dignior an miſericordia. Alioqui mirarer ſi hic ſolus ſobrius ad Rempubl. turbandam accederet. Fateor equidem poëma indignum eſſe, quod alicuius ſerias horas moretur. Reſpondendum tamen eſt, non propter poëma, quod deterius illud eſſe non poteſt: neque propter poëtam, quem vincere, vinci eſt, & oblivisci ſui ipſius: ſed adeo propter illum, qui illi dictavit Epicyclos, & alia nugatoria, quorum nunquam Lucano in mentem venit: item propter alios, qui adeo ſummum in Aſtronomia Lucanum ſuum factum, ut etiam eum de iis rebus locutum eſſe exiſtiment, quæ longo poſt eum tempore à poſteris inventa fuerint, ut ſemper putandum eſt ſecula proficere: quod in Aſtronomia quotidie experimur. Omitto interea miſeram, ſcabioſam, ac febriculoſam poëſim, barbariſmis, ſolœciſmis & fœdis erroribus li-

tam

Italorum numero habeam, vt ne in hominum quidem cenſeam. Qui librum illum dignum auctoribus ſuis, me autem indignum legerunt, aiunt tenebrionem illum putare me auctorem neſcio cuius libri, qui eius inſcitiam & amentiam, qua omnes bonos inſectatus eſt, exagitarit: & propterea, dum auctorem vulneris ſui perſequitur, obuiam cornibus incurſare, more ſauciarum ferarum, quæ in eos, quos obiecit caſus, ſæuiunt. Eſto: ego ſim auctor eius libri: & ita otium mihi ſit ab re mea, vt curem, quid delirent Corybantes in vrbe Florentina: Quam latebram quæret inſcitiæ, & prodigioſis erroribus ſuis? ſiquidem verum retulerunt amici mei, qui illius priorem librum legerunt. Ideone ego ero neſcio quid, quia ipſe id, quod eſt, eſſe non vult? Abſoluant eum ignorantia & temeritate, qui eius monitores fuerunt: & viros putabo. Si quis me illo libro contumelioſo moueri putat, & me illius Florentini rationem habere, qui miſericordia potius mea, quam ira, dignus eſt: næ ille longe fallitur. Perinde eſt mihi ab illo vituperari ac laudari. Laudes enim & iniurias nebulonum in promiſcuo habendum. Neque ex his gaudium, neque ex illis dolor ad nos pertinet. Sed ideo illius mentionem feci, quod quidam male feriati ſtipem ſuam in illum æruſcatorem contulerunt: &, qui neque facto neque dicto vllo à me antea prouocati ſunt, ii ope & conſilio ſuo eius inciuilem audaciam & conatum iuuarunt. Quamuis conuicia hominem probum & conſtantem non labefactant, tamen concutiunt, & ſomnos rumpunt, vt culex ſtridens, aut mus leonem expergefaciens. Excuſo iniurias non accuratas, quas ſubitus iræ calor exprimit. & quæ mentiendi non habent tempus. Sed qui meditatum furorem adferunt, vt fecerunt iſti ſcalarii fabri, ii quamuis non mouent nos latratibus ſuis, tamen aliquando ſolicitudinem obiiciunt. Inultos enim pati, inertia cenſetur: reſpondere, inſolen-

na. Et præterea neſcio quomodo magis deſcendit in animos hominum & magis circumfertur maledicæ vernilitatis, quam bonæ frugis liber. Vituperatio ac odium bonorum ægrotantis ſæculi argumenta ſunt. Hoc nos in Gallia ſuperioribus annis experti ſumus nimis. Hæc licentia ab inſectatione virtutis primum, & literarum & doctorum hominum incipiens, ad regum vſque iniurias & cædem denique peruagata eſt. Ego vero omnibus caſibus expoſitus ſum. Iam maleuolis par cōponor, & contra ipſos ab ipſis quotidie induror. Imperata eſt nobis à ſapientia moderatio. Hoc tributum nobis impigris & alacribus pendendum eſt. Malo modeſtiam meam omnes quam iuſtam iram pauci ſentiant. Ecquis leget illa, niſi qui auctoris moribus ſit? Quis delectabitur, niſi is ipſe, qui Venetiis ad eum ſcribens, fabulam de ſcalario fabro illi dictauit? qui cum eſurire incipiet, locabit operam Inquiſitioni, vt bonis periculum creet, & delaturis victum quærat. quod quidem multos iis moribus eoque ingenio præditos facere vidi: quemadmodum ſolent ſcorta exoleta, quæ anus factæ lenocinium facere inſtituunt. Mouerer vero, ſi viri moribus, & doctrina excellentes hoc facerent. Nunc vero à talibus vituperari, hoc vero laudari eſt. Euitari non poteſt, quin virtutem, tamquam vmbra, non ſolum, quod inquit ille, gloria, ſed etiam inuidia ſequatur. Ecce, quocunq; me confero, inuenio rupices, & Marrucinos, quibus virtus mea ſtatim obolet, vt ſuibus amaracinum. Quocunque eo, mitto mei ſigna. Quiſquis perditus eſt, inſanus, virtutis & bonarum literarum hoſtis, veſtigiis me meis colligit, & capitali odio perſequitur. Et profecto Deo optimo Maximo gratias ago, quod virtus quidem mea inimicos mihi peperit, ſed eadem longe plures amicos quæſiuit. Tot enim egregii genere, moribus, literis, omnium ordinum viri

viri nos amant, vt horum generis humani retrimentorum ratio nobis habenda non ſit. Conueniant omnes furioſi, ſophiſtæ, aretalogi, & operas mutuas ſibi tradant. Ne minimam quidem partem eorum præſtiterunt, quæ præſtitimus ipſi: & ſudabunt plus ſatis. Quid mihi obiicere poſſunt præter virtutem, quam non habent? Nobilibus natales ſuos iactantibus habemus quam obiiciamus vetuſtatem generis mille & ducentorum annorum, eamque nullis fabulis affectatam, ſed auctoritatibus antiquorum monumentorum aſſertam. Literatis ſi in aliquibus probaui me aliquid ſcire; culpa vaco, ſi in aliis idem non præſtiti. Et quis hoc ſibi promittere poteſt? De moribus etiam inimicos meos iudices fero. Nullius mihi conſcius ſum, cuius me apud homines pudere debeat, neq; quod aut exiſtimationem ſiniſtram poſteritati, aut corpus effœtum tradat ſenectuti: cum continentia anteactæ vitæ ad hanc vſque ætatem eam artuum & membrorum firmitudinem mihi aſſeruerit, qua nec meliorem iuniores optare poſſunt. Regibus, Principibus & proceribus noti ſumus. Clariſſimi & illuſtriſſimi ſumus. Literarum amantiſſimi ſumus. Ab omni ambitione & inuidia remoti ſumus. Mendacium tam à natura quam à patris inſtituto capitaliter odimus. Rumpatur inuidia. Non poſſumus eſſe diſſimiles noſtri. Omnes inimici noſtri virtutem non vitium in nobis hactenus inſectati ſunt. Ecquænam felicitas huic par eſſe poteſt? Sed vt ſcias me non vniuſmodi hoſtes habere: quem tot nationes norunt, is ego ſolis Aginnatibus popularibus meis ignotus ſum. & quidem commendatitiis mihi opus eſſet, ſi ad illos cogitarem. Iam trigintaquinque annos fortunis meis me euertunt. Nuper etiam vicino meo acceptum refero, quod maternum prædium meum, qui erat vnicus patri meo ad philoſophandum ſeceſſus, miſere

vaſtatum & diuexatum eſt. In ipſas quoque arbores ſæuitum: ne prouerbii fidem eleuarem? Aliquid mali ſemper eſſe propter vicinum. De cuius barbarie & inciuilitate alias fortaſſe erit expoſtulandi locus. Hoc precium innocentiæ meæ tuli: dirutos penates, bona direpta, & quicquid victoria in hoſtes patriæ permittit. Ac ne priuatim de vllo queri poſſim, hoſtes publice inueni, qui nihil non fecerunt, vt docerent me ad ſeſe non pertinere. Fateor ſane: atque adeo ad Batauos, in quos translatus ſum, gentem iuſtiſſimam & humaniſſimam, me potius, quam ad Nitiobriges, pertinere dico. Septimus enim ſum ab illuſtriſſima Batauorum comite Margareta, cum ne auus quidem maternus Nitiobrix fuerit. Ita antiquus ſum Batauus, & nuperus Nitiobrix. Cui gloriationi meæ cumulus acceſſit tua & præſtantiſſimi filii tui amicitia, mi Douza, in quam receptus ſum, & quæ tanti apud me eſt, vt ea omnium patriarum deſiderium ex animo meo obliterare poſſit. Sed quid ago? quo progredior? quæ erit finis? Hic quidem liber eſt, non epiſtola. Quare vale. Lugduni Batauorum XIIII. Kal. Iunias CIↃ IↃ XCIIII.

EPISTOLA II.

IOANNI STADIO.

QVamquam, mi Stadi, permagni intereſt, quo tempore te interpellem, vtrum cum tu in publico tuo munere docendi occupatus es, an cum ab omni cura & negotio vacas: tamen non veritus ſum te hodie conuenire, vt cuius rei rationem tibi explicare volui, eius te iudicem ſimul & defenſorem faciam. Nam eo loco opes meæ ac fortunæ ſitæ ſunt, vt niſi tu me locupletiſſimus

[illegible] tutos ab imminenti periculo vindicaueris, veriſimile ſit, vt vllæ partes mihi in re publica literaria relinquantur. adeo magna inuidia, & odio omnium flagramus. Quod tametſi nullo meo graui delicto contigit, tamen quia vſque adeo omnium concitati ſunt animi, vt nihil aliud quam inſectationem nominis mei conſulto quærere videantur, viſum eſt mihi hanc querelam his literis obſignatam in ſinum tuum deponere: quam, quia præſidium ab humanitate tua & eruditione expecto, in optimam partem accipias, oro. Ego, mi Stani, adoleſcens, amiſſo parente meo, viro optimo atque fortiſſimo, nullis pene literis, ſed à voluntate ſatis paratus, cum ea, quam habebam, copia, Lutetiam me contuli, vt liberalibus ſtudiis operam darem; Ibi non [illegible] viua voce, ſed potius mutis magiſtris vſus ſum: ac, cum primum aliquod ſtudiorum ſpecimen edere potui, adhuc adoleſcens Coniectanea mea in Varronis libros de Latino ſermone publicaui. is liber apud me in Pictonibus prima fœtura natus fuit: is primis nominis mei auſpiciis præluſit. Quibus ſtudiis, quo fauore, & alacritate exceptus fuerit, neſcio; neque ſcire, magni feci. Hoc vnum ſcio, me ex ea editione id conſecutum fuiſſe, vt ſi nihil aliud, ſaltem minus ignotus & obſcurus, quam antea, fuerim. Ab eo tempore, me non ambitionem meam, ſed publicam vtilitatem ſpectaſſe, neque quicquam aliud à communi rei literariæ commodo quęſiſſe, & liber ille, & omnes alii, quos poſtea edidi, teſtantur. Neminem laceſſiui: nullius honeſti nomen allatraui. Perpaucos doctorum virorum errores, cum extorquebat neceſſitas, obiter, ac tanquam aliud agens, caſtigaui, multos diſſimulaui. Doctiſſimos viros Italos, Germanos, noſtrates nunquam niſi honorifice appellaui. non raro etiam, vt eos nominarem, occaſionem, locum, & cauſas captaui. Confidentes ac perfrictę fron-

tis homines vnum & alterum fortaſſe leuiter tetigi. In cæteris ne modeſtia mea deſideraretur, ſerio ac ſedulo caui. Denique, doctiſſime Stadi, in ſcriptis meis nihil tale reperies, quod alicuius paulo doctioris nomen atque exiſtimationem læſerit. De illis autem ſcriptis quamuis ego melius tacerem, tamen vt aliquid intra modum, ac ſaluo pudore dicerem, expreſſit à me hominum nulla de cauſſa mihi infeſtiſſimorum vehemens atque importunum odium. Nemo negare poteſt, in recenſendis veterum autorum monimentis me ea præſtitiſſe, quæ ſi non laudem, tamen odium certe non merentur. Verius quidem de illis dicere poteram, tamen modeſtius in præſentia non potui. Cum hac integritate, atque, niſi ſerio diſſimulare volunt, cum hac laude qui verſatus ſim, tamen doctiſſimorum virorum inuidiam nunquam effugere potui. Atque vt ab Italis incipiam, cum primum in lucem exierunt notæ meæ in Varronis tres libros rerum Ruſticarum, ab eo tempore maximi nominis atque plurimarum literarum vir, qui magna cum laude atque felicitate has literas tractauit, nunquam deſtitit me apud noſtrates accuſare: me vnum in perniciem literarum natum: actum eſſe de literis, ſi porro vixero: me nimis ingenio confidere. Hoc, tanquam aliquod carmen legitimum, aut actionem, conceptis verbis ille grauiſſimus vir, id ætatis, ea veneranda canicie, noſtratibus, qui Roma trans Alpes proficiſcuntur, iterare ſolet. Sed non ſatis eſt hoc; Eas Notas excepit Sex. Pompeii editio; Dii boni. plane me diuinare & hariolari dixit quidam alius inter proceres rei literariæ apud Italos primi nominis. Vide, amabo, quo genere excipere ſolent Tranſalpina ingenia Etruſci & Felſinenſes Romuli, qui omnes extra Italiam poſitas gentes barbaras vocare ſolēt. En modeſtiā! Hoc dicere ſolent ii, quibus libros meos ipſe miſi: quos

ego quotidie laudaui. Quod ſi quiſpiam Gallus eorum libros iſtis acclamationibus καὶ εὐφημίαις proſequutus eſſet, non multus hoc tuliſſet, certo ſcio. Plane eum aceto Italo perfudiſſent prius, quam diſcederet. Quin, puto, vbi hæc legerint, vltro accuſatum aduenient, quod hæc cum illis expoſtulem, neque liberum locum conquerendi mihi relinquent. Sed non miror hæc eos de me pronunciare, qui Adrianum Turnebum non humanius acceperunt: cum eum barbarum pronunciarunt, quod iuſtum librum miſcellaneorum in vnum caput conicere ſoleat, neque admodum ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον quærat. Eos me eo loco habere, quo virum, cum quo comparandus non ſum, equidem non doleo; atque medius fidius vltro gratiam habeo. Hoc vnum miror, iſtic meum nomen adeo inuidioſum eſſe, vt nemo repertus ſit, qui me apud illos tueretur. Miſſa hæc facio. Noua trium Poetarum, quos nuper emiſi, editio, Italorum atque noſtratum animos quantum nouitate rei percuſſit? Ipſam ἑῶν Heſiodi in orbem terrarum miſiſſe viſus ſum. Atque, vt illos Ciſalpinos omittam, ita forum magiſtrorum Pariſienſium excandefecimus, vt frequentes coirent, & de magna re publica deliberarent. dicebantur ſententiæ graues. Parum abfuit, quin ad illud extremum decurreretur: Viderent Magiſtratus, ne quid detrimenti Reſpublica accipiat. Annibal enim ad portas erat. Me nihil mentiri, teſtes ſunt nô ſolum grauiſſimi viri, amici mei, qui hæc mihi non ſine riſu retulerunt: ſed & boni adoleſcentes, qui quotidie ſimilia declamantes magiſtros audire ſolent. Quin & popinæ ipſæ Lutetianæ, poſtquam doctorum Criticorum venæ generoſo flore meri incaluerant, conuiciis ac contumelioſis dictis totæ perſtrepebant. Eo enim ſæpe condicere ſolent Romulidæ, vt ſaturi inter pocula quærant, quid dia poemata narrent. Nec temere

hactenus docuerunt ſecundam ſyllabam in CÆCVTIÑE produci. quin male ſit iis poetis antiquis, à quibus didici. Quid ergo? In ædibus iſtius poetæ, quantum video, non mures ferrum, ſed poeta ſyllabas arrodit. Sane ita eſt: iſte poetaſter nihil veri in tota illa declamatione locutus eſt, niſi cum ſe anſerem inter olores poſuit. Quem patronum ſuum ac numen, ac Deum Lucanum profitetur, eum poetaſter novo colore clientem ſuum vocat. Deinde rogat, ut avertat frontis honorem puſillis officiis. Diſpeream, ſi ſcit, quæ differentia ſit inter Avertat, & Advertat. Neque vero putes, mi Patiſſo, tantum mihi otii ſupereſſe, ut adeo ineptum poema totum percurrere licuerit. Invitus horam, aut paulo plus, illi impendi, cujus temporis jacturam graviter fero, cum horam melius collocare poſſem. Invitus, inquam, hoc feci, ne ſimilium nugonum audaciæ feneſtram aperire videamur, ſi hoc impune illum ferre ſinamus. Eſt enim genus hominum, qui me lucem afferre tenebris ſuis moleſte ferunt. Sunt alii, qui ne minima quidem ſuſpicione perſtricti, ſi quid mihi forte inter ſcribendum excidit, quod eorum conſciam inſcitiam pertentet, ilicet directe à me illum ictum in ſe deſtinatum putant: quos tantum abeſt, ut verbo læſiſſe velim, ut ne natos quidem ſcirem. Miſſam igitur facio ridiculam illam poeſim, in qua nec verbum unum emendatum reperi, aut apte collocatum. Venio ad caput ipſum, hoc eſt ad nuperclientem, nunc vero patronum. Hoc enim me docent illa: *Te ne ego quem ſemper vel magni nominis inſtar Suſpexi, cultus nunc priſci oblitus.* Coluit Lucanum poetaſter, nunc Lucanus poetaſtrum, à quo defenditur. Salve Patronicliens Lucani. Primum à te quæro, quod nam grave meum peccatum eſt, quod magnũ crimen majeſtatis, ſi præcipitem calorem Lucani caſtigavi, & ejus inſcitiam in Aſtronomicis aperui? Vtrum reipublicæ intereſt, pueris & ad-

oleſcentibus errores detegere, à quibus caueant, an potius veteres ſcriptores peccantes laudare, vt eos imitentur pueri? Tantine eſt Lucanus? Tu qui, neque quid ſit poeſis, quod quidem aperte clamant tua carmina, neque quid aſtronomia, niſi quod quidam tibi dictauit, tu inquam, nos docebis & poeſim Lucani, & Aſtronomiã? qui ſi propius totum opus Lucani putare volueris, non ſolum nullam Aſtronomiæ peritiam in eo homine reperies, ſed & importune ſemper interiectam rerum cœleſtium mentionem, & leuem, vanum & oſtentatorem illum iuuenem fuiſſe deprehendes. At quibus hæc canimus? Hominibus non ſolum poetices, ſed & ſyllabarum ignaris. An neſcis iudicium, quod Critici, non recentiores illi quidem, ſed æquales illorum temporum, de Lucano fecerunt? *Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poetam.* Audiamus nunc Patroni clientem & abſoluamus eum. Nam egomet me moror. Primum obiicit me falſo in Lucano notaſſe perpetuam μεσημβρίαν ſub tropico ab eo aſſignari. O hominem otio abundantem. Tantum abeſt, vt Lucanus hoc non crediderit, vt hæc omnium veterum fuerit opinio, antequam Eratoſthenes, & poſt eum Hipparchus Aſtronomiæ ſanctiora adyta reſeraſſent. Tam oſcitanter legit commentarios noſtros, in quibus non ſolum meridiem ſemper ſub Tropicis, ſed etiam æternum diem collocari à veteribus diximus. An non ſub Capricorno longiſſimam diem ponit Manilius? *ſed finibus illis, Quos ſuper incubuit, longa ſtant tempora nocte.* Quod Auſonius de Æthiopibus loquens & de noſtro Tropico clarius explicauit ex veterum opinione: *Semper vbi æterna vertigine clara nitet lux.* Quid contra hæc audes hiſcere? in ipſis incunabulis Aſtronomiæ negas hanc veterum Græcorum opinionem fuiſſe, Eudoxi, Metonis, Cleoſtrati, & Euctemonis? Sane Lucanum culpa libero, quod cum illis

vete-

veteribus ita ſentiat :ſed tamen quo modo eum defendam non video ,' qui Eudoxum & Metonem potius, quam Hipparchum ſequutus ſit. quod Manilium noſtrum feciſſe manifeſtum eſt. Quam grauiter homines etiam docti τῇ ἀϊστορησίᾳ peccant, vt cum ea maioribus attribuunt,quæ poſterorum inuenta ſunt? Quidam vir magni in Mathematicis nominis,qui omnium famæ inſultare ſolebat, antequam Manilius meus in publicum prodiret, tanquam indoctum doceret, & cœco viam præiret,familiariter in quadam epiſtola ad me ſcripſit, cauerem, ſi ſapiam, ne in quodam loco Manilii aliter Signa acciperem quam quomodo Abacus Aſtronomicus accipit, quæ vocantur Phyſica graduum ſexagenum ſcilicet.verſus Manilii : *Nam quantum à terris atque æquore ſigna recedunt, Tantum bina patent.* Miratus ſum, vnicum Aſtronomiæ magiſtrum fugiſſe non ſolum hic de Phyſicis ſignis non agi,cum de dimenſione vniuerſi per bina ſigna agatur: ſed etiam Phyſicorum ſignorum & nomen & inuentum paulo eſſe antiquius temporibus Alfonſini, aut fortaſſe æquale illorum temporum. Adeò ſummi viri ἀϊστορησίᾳ multa peccare ſolent. Quas turbas concitauimus demonſtratione circuli Arctici, cuius ratio ab antiquis bene tradita, à proauis noſtris male concepta, eas in animis hominum radices egit, vt eam conuellere idem fuerit, atque animos eorum extinguere?Quam multos offendit inopinatum hoc atque à recepta opinione tam remotum iudicium noſtrum?Diceres tumultum Gallicum Romæ nunciari.Ita bellicum ſpirabant animi etiam doctorum hominum. Sed magnam eorũ partem longa dies docuit parere rationi. Sequitur ineptiſſima defenſio, qua NVSQVAM vult legi in Lucano,non NVNQVAM. quaſi ex eo melior fiat conditio Lucani, qui perpetuum epitheton attribuit Meroæ; ἄσκιον. Nam id eſt, nunquàm vmbras

flectens,aut nuſquam umbras flectens. utrò enim modo legas idem eſt. Utrumque reddit epitheton perpetuum ἄσκιος,quod ille attribuit Syenæ. Idque ante nos Macrobius reprehenderat in Lucano. ut pateat horum manifeſta inſcitia,an vęcordia, qui ſola Sphæra Sacroboſci,aut vulgari Theoria planetarum inſtructi putant ſe veterum ſcripta explicare poſſe. Atqui ſciat non ſolum poetaſter patronicliens,ſed etiam ille, qui illi febriculoſas illas animaduerſiones aſtronomicas dictavit, veterum eorum hanc opinionem fuiſſe, ſub Capricorno & Cancro nuſquam ac nullo anni tempore umbram jaci. Quod non ſolum ita eſſe crediderunt, ſed etiam hoc probat alia eorum opinio, qua perpetuam lucem ſub ſolſtitio ponebant. Fruſtra enim putat Lucanum ſuum de die ſolſtitii intelligere,in cujus meridie nullam umbram jaci ratio docet,puteumque ejus experimenti gratia factum totum illuminari, cum Lucanus in tranſcurſu injecta mentione Meroes, eam ἄσκιον appellaverit. Quod ſi intelligit tantum de ſolſtitio,quare ſub Leone dixiſſet nullam umbram jaci, ſi hoc uno tantum die ſolſtitii accidere certum eſt? Non poſſum ſatis mirari hominem ita imprudenter ac temere in caſſes inexplicabiles errorum ſe induentem. Nam ſi Lucanus,ut ipſe vult,tantum intellexiſſet Meroen ſolo ſolſtitii die ἄσκιον fieri:ergo ſub Leone non eſſet ἄσκιος, tanto intervallo à principio Cancri ad Leonem interjecto. Non eſt mihi in manibus codex Lucani. memoriter ea depromenda fuerunt,quæ ſcribo. Non intelligo locum Lucani, *quæ quamvis arbore nulla Frondeat*: niſi legatur, *arbore multa*. Quamvis nemoroſa eſt,tamen,inquit,eſt ἄσκιος ſub Leone. Quis tam Lucani inepte fautor eſt,ut non intelligat, eum cum veteribus perpetuam lucem ſub Cancro & Leone: item per tot dies nullas umbras aſſignare Syenæ? Quæ hæc eſt inſcitia, velle nos docere non ſolum

quid

quid dicat, ſed etiam quid ſentiat Lucanus, cum ex verbis ejus ſententia ſatis eliciatur? Docet deinde nos rem novam & ignotam hactenus, quid ſit ſolſtitium: & quomodo fiat: quaſi à poetaſtris hoc primum diſcere incipiamus. & adeo pergit in ἀδηλογίᾳ ſua, ſolſtitium καταχρηστικῶς dici: cum revera Sol non ſtet. Atqui, ô patrone & cliens Lucani, neceſſe eſt veteres putaſſe Solem ſtare, qui hoc nomen ei loco Solis fecerint. quod veriſſimum eſt. Putarunt enim Eudoxus & illi veteres, per integrum ſignum Solem ſtare, quod nos in Antiſciis Manilii oſtendimus. Vnde Manilius de bruma dixit: *Statque uno Natura loco.* At Lucanus tuus non per unum, ſed per duo dodecatemoria id putavit fieri. Propterea non ſolum ſolſtitium ſub Cancro & Leone ponit, ſed Cancrum Leoni ob eam rē miſcet. cujus cauſam tu ignoras. Quod veró clamat nos Meroen cum Syene confundere, neque ille, neque is, qui hæc illi dictavit, nos docebunt, quid ſit Syene, quid Meroe: quantum denique inter utramque interjectum ſit intervallum. Nam neque hoc modo Lucano melius eſt. Qui enim nuſquam flectere umbras Syenen dixit, neceſſe eſt, ut remotiori loco, Meroæ idem tribuat. Hæc defenſio non eſt unius aſſis. At quantum ſcuticarum ſatis erit illi, cum me ferre non poteſt, quód dixerim Lucanum putaſſe Signa ad Solem moveri? Doceat me, quid ſibi volunt illa? *Hunc ubi pars cœli tenuit.* Ad Grammaticum tribunal ſe vocamus, inquit. Quid ni vocemus hominem, qui prima elementa linguæ Latinæ ignorat? Ita ſane eo illum voco, ubi cum barbariſmis ac ſolœciſmis ſuis vapulabit. Ait, nihil referre utrum Cancer teneat Planetam, an Planeta Cancrum. Id vero nos negamus, atque pernegamus, aliter Latinos loqui quam hoc modo. Vbi Sol Principium Arietis tenet, tunc æquinoctium conficitur. Ovidius: *Aut plus, aut medium Sole tenente diem.* Recte. Non enim, ô

patronicliens, ô poetaſter, ὦ σολοικιστὰ, non inquam dicimus, meridies tenet ſolem, ſed ſol meridiem. Et Tenere hac notione eſt verbum motus, vt Grammatici loquuntur. Sic dixit Liuius, Tenere portum, de naue quæ ad portum iter dirigebat. Quid faciemus iſtis Romulis, qui Grammaticos contemnunt, & tamen nobis loquendi canones præſcribunt? Magnam rem feceris, ſi Lucanum tuum hinc extricaueris. Hæc fuit opinio veterum illorum, Eudoxi, Metonis, Euctemonis, & aliorum, vt, ſcilicet non ſolum circulos Tropicos ad Solem promoueri exiſtimarent, ſed etiam ipſa ἀπλανῆ omnia. & certis periodis omnia circuire ad Solem putabant, inepto & puerili iudicio. Periodi autem definiebantur, quando Lunæ & Solis motuum ἀποκατάστασις fieret, hoc eſt, quando Luna ad idem punctum Solis redibat, à quo profecta erat ab initio, vt fit in enneadecaeteride Lunari. Hoc interuallo putabant omnia aſtra in locum ſuum redire, non tantum errantia, ſed etiam inerrantia. Qua ſententia nihil poteſt puerilius dici. Atque hæc fuit opinio Eudoxi, cuius ἔνοπτρον verſibus exponens Aratus, & volens oſtendere Solem omnium inerrantium eſſe ἐποχὴν aut oriendo aut occidendo, addit:

> γινώσκεις τάδε καὶ σύ. τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη
> ἐννεακαίδεκα κύκλα φαεινοῦ ἠελίοιο.

Noſti, inquit, & tu ad Solem omnia ἀπλανῆ dirigi. Nam vulgata ſatis eſt ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica. Hæc ille dixit diſputaturus περὶ ἀπλανῶν ἀνατολῆς καὶ δύσεως, in quibus explicandis nihil agit Theo. Quin apertius in fragmentis Achillis Statii hæc explicantur, in quibus manifeſto ἀποκατάστασιν omnium inerrantium fieri dicit interuallo aut octaeteridis lunaris, aut enneadecaeteridis. Sed Auienus Arati ἐκφράσεις ita clare hęc canit, vt per illum poetaſtris omnibus mutis eſſe liceat:

Non

Non ego nunc longo redeuntia ſidera motu
In Priſcas memorem ſedes. Habet iſta priorum
Pagina, in certa rerum ratione feruntur.

Videamus quanta ſit illa periodus:

Nam quæ ſolem hyberna nouum putat æthere volui,
Vt ſpatium Lunæ redeat, vetus Harpalus, ipſa
Otius in ſedes, momentaque priſca reducit.

Veteres putarunt, in 99 ſyzygiis, qui ſunt dies 2924, Lunam ab eodem puncto Solis profectam ad idem punctum redire, quam octaeterida vocarunt: cuius auctor Harpalus, vt fuſeà nobis libro ſecundo de emendatione temporum explicatur. In eo etiam ſpatio credidit vetuſtas, longo redeuntia ſidera motu in priſcas ſedes rediſſe. Sed Auienus improbata Harpali octaeteride, ait Metonis enneadecaeterida receptam in eius locum fuiſſe, eamque eſſe verum ſpatium ἀποκαταστάσεως ἀπλανῶν.

Illius ad numeros prolixa decennia rurſum
Adieciſſe Meton Cecropea dicitur arte.

& quæ ſequuntur. Quemadmodum Aratum Eudoxi, Auienum Arati interpretem tibi dedi, ita etiam vtriuſque alium interpretem Ciceronem dabo, cui, ſi ſapis, non præferes Lucanum tuum. Is ita ſcribit in VI de Republica apud Macrobium, *Namque vt olim deficere Sol hominibus exſtinguique viſus eſt, cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetrauit: ita quandoque eadem parte Sol, eodemque tempore iterum defecerit: tum ſignis omnibus ad idem principium, ſtelliſque reuocatis expletum annum habeto.* Hæc intelligo de anno magno enneadecaeterico, quo vertente ſæpe referuntur. eorundem ſiderum defectiones, vt anno ſuperiore 1581, Iulii 15, Luna defecit cyclo Lunæ quinto. Eadem die, eodem cyclo idem ſidus defecerat anno dominico 1562. Vides igitur veterum opinionem fuiſſe, ſigna ad idem punctum, hoc eſt, ad Solem referri

ferri enneadecaeteride vertente. An non clare Cicero dicit ſigna omnia ad idem principium, ſtellaſque omnes revocari? & tamen Cicero non enneadecaetericum annum intelligit, ſed adeo magnum, ut vix ejus partem confectam putet viceſimam. Manilius quoque in genitura Metonis, poſtquam dixiſſet, eum, qui ſub eodem themate naſcetur, ſummum Aſtronomum fore, adjicit: *Cælumque novum verſabit in orbem.* Hoc eſt, excogitabit novam periodum τοῦ παντὸς, & novam converſionem cœli; quaſi eo omnium ſiderum ἀποκαταστάσεις referantur, quo Luna & Sol eidem puncto reſtituentur. Quis hæc negaverit abſurda eſſe, puerilia, & nugatoria? Plus dicam. Non ſolum illi veteres hac opinione imbuti fuerunt, ſed etiam quædam tabes & contagio ejus mali ad principem Aſtronomiæ Hipparchum, atque ab eo ad Ptolemæum permanavit. Putarunt illi ſummi ac prope divini viri, quoties Lunæ rationes cum Sole pariarent, ex eo definiendam eſſe anni veri, ac Tropici quantitatem. Hipparchus vero cenſuit in 304. annis illam præciſam rationem motus utriuſque ſideris fieri. Ii anni Iuliani fiunt dies 111036. atque 111035. tantum ad eam ἀποκατάστασιν neceſſarios eſſe arbitratus eſt. Itaque 300. annos, neglectis illis 4. appendicibus, in quantitatem unius diei diviſit, ex qua diviſione prodiit differentia 300. annorum Iulianorum, & totidem Lunarium, ſcrup. 4′. 48″. quæ de modo anni Iuliani 365. 6. detracta relinquit modum anni Hipparchici dierum 365. hor. 5. 55′. 12″. Hunc verum tropicum annum putavit & Hipparchus & Ptolemæus ipſe: quæ quantitas nihil aliud eſt, quam annus Iulianus deminutus nonadecima parte differentiæ enneadecaeteridis Iulianæ, & enneadecaeteridis Lunaris. Atqui cum rationes illius anni collectæ ſint ex differentia Solis & Lunæ, Ptolemæus cum Hipparcho non dubitavit pronunciare eum verum eſſe annum

num Tropicum, quaſi Sol ad Lunam, non Luna ad Solem dirigatur. Noſtri Aſtronomi, qui toties Ptolemæum peruolutarunt, quod pace eorum dixerim, nunquam animaduerterũt vnde natus eſſet ille annus Tropicus Ptolemæi. Nos vero, qui primi hanc rem cum aliis innumeris eruimus, eam fuſius in commentariis noſtris De emendatione temporum explicamus. Quare, ô bone vir, non eſt quod Lucanum tuum in manifeſta culpa poſt veteres deprehenſum defendas, quod circulos ad planetas promoueri dixerit, cum Aratus, Eudoxus, & alii inerrantium ἀποκατάστασιν cum ſole fieri dixerint, &, quod ineptius eſt, quo tempore Luna in idem punctum cum Sole reſtituitur, à quo nouemdecim annis antea profecta erat: cum denique Hipparchus & Ptolemæus Solis rationes ad Lunam dirigant. Nam plane Cicero in loco à nobis ſupra producto, omnia ſigna & ſtellas ad punctum Solis, & quidem eclipticum reuocat, vnde ea profecta antea dixit. An non plane explicat Lucanum tuum? An obſcure loquitur, cum dicit τὰ ἀπλανῆ ad locum ſolis & eclipticum reuocari? nonne Solem epocham quandam conſtituit inerrantium & errantium, quod tamen abſurdum eſt? Id tamen neque tu, neque populares factionis tuæ vnquam οὐδ' ὄναρ, quod aiunt. Pudet pigetque me, cum tam imperito homine mihi rem eſſe. Vt defendas deinde quod dixit miſtum Leonis ſidus cum Cancro, inepte decania in medium producis: quaſi vnquam de illis cogitarit Lucanus: quaſi hoc ad rem faciat. Adeo mente captus es, vt non videas quare miſtum cum Leone ſidus Cancri dixerit? Ait enim ſub Leone in illis locis nullam vmbrã fieri. ſi illa loca ἄσκια ſunt ſub Leone & ſub Cancro, omnino itidem ἄσκια eſſe neceſſe eſt. Vnde vtrumque ſidus ideo coniunxit, quod coniunctos effectus habere credidit. Hæc pudet repetere, quia in cõmentariis

attigimus. Imploro nunc fidem omnium hominum, prouoco te quauis ſponſione, ni ridicula & prorſus à re aliena ſunt, quæ de motu octauæ ſphæræ balbutis. Hinc illæ lacrymæ: hoc eſt quod vos & alios ſciolos decepit, qui ea in Manilio & Lucano rimamini, quæ illis penitus ignota fuerunt. Nam licet Hipparchus primus omnium ex collatione ſuarum & Timocharis obſeruationum deprehenderit ſtellas fixas locum mutare, & εἰς τὰ προηγούμενα progredi; hoc tamen vix receptum ſero tandem Ptolemæus in vſum reuocauit, & ſolidis rationibus illuſtrauit. Hoc hoc, inquam, vobis imperitis impoſuit, qui nihil ſcitis, niſi quod ex triuialibus ſcriptioribus didiciſtis, neq; Ptolemæum accurate legiſtis. Ecce alio plumbeo pugione nos iugulas. *Negas varii mutator circulus anni* dictum de Tropico. exſpecto quam mox dicas Lucanum Græce non Latine ſcripſiſſe. Adeo manifeſtus es hoſtis veri. *Mutator circulus* o indoctiſſime, eſt περιφέρεια τοῦ τροπικοῦ. Mutator nonne ad verbum eſt τροπικός? Atqui eſt Colurus. Eſto. Iam longe ſtolidiorem facis poetam tuum quam antea. Quomodo enim eadem pars cœli ſimul poteſt eſſe, vbi colurus Capricornum & Cancrum ſecat? Quid hoc monſtrum verborum eſt? An hoc modo te poetę tuo recte ſatisfeciſſe putas? Hæc tu ſolue, & eris mihi magnus Apollo. Itane Mercurius poteſt eſſe ſimul in eadem parte Capricorni & Cancri aut, ſi mauis, pars cœli, quæ Mercurium tenet, vt verbis tui poetæ loquar? Gratum vero eſt, quod στηριγμοὺς planetarum negas à Solę fieri. Tamen hęc pertinacia latebram quærit, & epicyclos, quos nunquam Lucanus nouit, in defenſionem paras. Nunquam hodie effugies, veniam quocunque vocaris. Obſecro vos, ſi epicycli ſunt cauſſa ſtationum, quid ſtationes ad Solem? Quam bene hæc Lucanum defendunt, ipſe poetaſter viderit. ſed, quod toties dixi, imperitia antiquitatis

tis hominem decepit. Duo in affectibus Planetarum cõſiderantur, magnitudo & ſtationes. Affectus voco, qui tamen nulli ſunt ſed potius patitur viſus noſter. Quod, nunc maiores nunc minores planetæ videantur, in cauſſa ſunt ἀψῖδες ἔκκεντροι, ἀπόγειον, περίγειον. Quod ſtare videantur, in cauſſa ſunt epicycli. Ex his veteres, & Plinius quidem, ſolam apſidem agnoſcunt. Epicyclum autem ignorarunt omnino, ſed Solis vi planetas progredi exiſtimabant, & vapore repercuſſos regredi. Plinius de ſtationibus ſtellarum: *Percuſſæ in qua diximus parte & triangulo Solis radio inhibentur rectum agere curſum, & ignea vi leuantur in ſublime. Hoc vno protinus intelligi poteſt viſu noſtro: ideoque exiſtimantur ſtare vnde & nomen accepit ſtatio. Progreditur deinde eiuſdem radii volentia, & retroire cogit vapor repercuſſas.* & infra: *Tantum intereſt, ſubeantur radii, an ſuperueniant.* An non diſerte Lucani verſum interpretatur, *curſuſque vagos ſtatione moratur?* Sed & clarius de retrogradatione loquens: *Tanta eſt naturæ varietas, ſed ratio euidens. Nam quæ in vaporem Solis nituntur etiam deſcendunt ægre.* Tantum abeſt, vt ullo epicyclorum præſidio muniti ad hãc θεωρίαν ſe conferrent, vt Plinius non niſi ex ſententia veterum dixerit, ex vaporis vi ſtellas repercuti. Nam multis ſeculis ante eum Anaximenes dixerat totidem verbis, ſed Græce, ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθεῖσθαι τὰ ἄστρα. Quid aliud Plinii verba volunt? *Retroire cogit vapor repercuſſas.* Eat igitur, & epicyclos ſuos in aliud tempus differat: cum Lucano commodior interpres nõ ſit, quam Plinius ipſe. Sequitur poſtremo pro coronide exclamatio hominis neque boni neq; mentis compotis, cum eiuſmodi verſibus tam barbaris & ineptis, vt mirer ſaccos litium ei defuiſſe, quibus potius daret operam, quam tantum temporis in nugis perderet. Vnum fateor, neq; negabo, deceptũ me eſſe codice meo, qui Germanos duces habet, non Carmanos. Fateor, in-

inquam, eam eſſe veram lectionem. & quamuis mirarer tam longe diſſitos populos à Lucano ſimul poni, hoc tamen facile tolerabam in eo, qui & Tropicos & Cancrum cum Leone miſcet. Oretum gens eſt in India, vicina Carmaniæ, in qua ſeptentrio quindecim tantum noctibus apparet, vt ait Plinius. & hoc eſt, quod perperam interpretatum me fateor in Lucano, deceptum vtique voce GERMANOS. Quod autem in editione mea Maniliana LVCE *Bootes* editũ ſit, pro NOCTE: is ſane ſiue eſt error operarum typographicarum, ſiue manus meæ properantis. ſane non fuit error mentis. quod manifeſtum facit interpretatio mea. Itaque hic æquiore lectore mihi opus fuit, qui in longis commentariis, in poeta tam mendoſo & obſcuro interpretando, manus lapſum excuſaret. quæ ille, qui quid ſit tantum auctorem interpretari, neſcit, tantum abeſt, vt excuſarit, vt impudenti mendacio dicat de induſtria me lectionem mutaſſe. Denique quam ineptus eſt, cum dicit, me barbaricam ſphæram cum Græcanica confudiſſe. Ego primus aperui, quid eſſet barbarica ſphæra. At iſte Aſtronomus dicit me eã cõfudiſſe. Atqui nuſquã turpius errauit; quam in hac re; dum putat ſphæram Carmaniæ eſſe ſphæram barbaricam, quæ tantum eſt Ægyptiaca: deinde qui putat ſphæram Germanicam eſſe ſphæram Græcanicam. En cũ quibus heroibus nobis res eſt. Nos in ſecunda editione Maniliana bonis & æquis lectorib. ſatisfaciemus. Neque tam noſtri amantes ſumus, vt nos reprehendi ęquo animo non patiamur, modo ea modeſtia adhibeatur, quæ & loci & ordinis mei rationem habeat. Nam quos væcordia aut inſana libido præcipites in mea ſcripta egerit, næ illi malo ſuo diſcent, quam melius fuiſſet vngues ab hac ſcabie continere. Tu vero, mi Patiſſo, vbi primum hunc poetaſtrum videris, ſi ſecũdam declamationem adornare in animo habet, mo-

ne

ne hominem, vti primum omnes Grammaticos conſulat, qui ſe Latine loqui doceant: deinde comparet ſibi Murmelianas regulas quantitatis ſyllabariæ, vt emendatiores verſus faciat. Præterea vt ab omni ſolœciſmo, barbariſmo, ἀκυρολογία abſtineat. Alioqui malo in latomias iterum, quam tam malum carmen legere. Porro omnes auctores antiquitatis excutiat, vt ſciat, qui progreſſus aſtronomiæ apud Græcos fuerit, antequam Eratoſthenes, Timochares, Hipparchus eam expoliuerunt: ex illorum atque veterum collatis rationibus colligat, quos auctores Manilius & Lucanus legerint. Ita ne Lucano exiguam quidem partem aſtronomiæ attribuet, non magis mehercule quam Manilio. Præterea ſi Virgilium & antiquiores poetas legerit, vix eſt, vt medium locum, fortaſſe ne ſubſellia quidem Lucano in penetralibus poetices relinquat, vbi tot proceres Heliconis ante eum primas obtinere animaduertet. Hæ ſunt leges, quibus auctoratus ad dimicandum, non cum eo, qui eſt homo infimi ſubſellii, ſed cum iis, qui eum ad peſtem ante oculos poſitam præcipitem dederunt, deſcēdam. Interea libros meos de emendatione temporũ exſpecta quamprimum, ſi modo otium erit totos deſcribere: qui vtinam iam publicum viderent. Nam ſane nihil eſt, quod antiquius & carius ſit mihi in præſentia. Cum enim rancida illa apologia in manus meas incidit, tum forte librum quartum ad vmbilicum perduxeram. Itaque abiecto penſo quotidiano, ſtatim hãc epiſtolam eo calore effudi, quo Lucanus verſus ſuos effundebat. Neque enim meliorem ſcribere per anguſtias temporis licuit, neq; ſane perſona hominis, quo cũ mihi res eſt, meliore digna fuit: cuius tamen ineptiis dum reſpondeo, videor & loci & exiſtimationis meæ oblitus. Ne tamen hoc nomine glorietur. Non enim ei reſpondeo, ſed adoleſcētibus in futurum cauere volui, ne

ab

ab hoc genere ſemibarbarorum hominuſn ſibi imponi ſinant. Quod ſi duriuſcule ſe acceptum dolet, meminerit hæc ludum iocumque eſſe, præ vt quas turbas dabo, ſi iterum ſimilis dementia, ſtoliditas, væcordia, aut aliquis genius non bene aduocatus, eum in ſolœciſmos & barbariſmos impulerit. Neq; enim iniuriis agere cũ illo volui, quod ſane ab omni vitę meę inſtituto alienum eſt. Probus, integer, bonus per me quidem eſto. Indoctum tantum & ineptum vocaui. quod & ipſe quidẽ, ſi hanc epiſtolam legerit, & aliquid hominis habet, negare non poſſit. Neq; vnquam poſthac poeticæ manus admouebit, quin illius meminerit, ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. neq; prius ad diuinæ Aſtronomiæ res tractandas ſeſe conferet, quam ego ad ſaccos litium. Præterea ſciat in hoc regno Franciæ omnibus ſcribendi datam libertatem: paucis autem vere & recte ſcribendi facultatem. Vale mi Patiſſo. Datum prid. Id. April. raptim, & extemplo.

Maledictis ſi quis certat, audiat male.
Quam quis non præſtat, ne exigat modeſtiam.

EPISTOLA IV.

IVSTO LIPSIO. Miſit ad me Lutetia literas tuas amicus noſter Chriſt. Plantinus. Ego, mi Lipſi, ex quo primum ſcripta tua legi, cœpi te amare, & egregias animi tui dotes admirari, nihilque ad ſummam illam voluptatem, quam ex ſcriptis tuis capio, deeſſe mihi videtur præter complexum tuũ. quem ego nactus, ita mihi Muſæ faueant, nunquam dimitterem. atque vtinam ita præſente te ἔπος τι φάμεναι ἔκτ' ὀνομάζειν liceret, vt te ſæpius in lectione libellorum tuorum alloquor, ac medius fidius interdum αὐτοβοεὶ compello. Atque vt ego tibi hęc ſcribere cogitabã, ecce me ipſo in articulo oppreſſit puer, qui mihi litteras à doctiſſ. Claudio Puteano de-

dedit, vna cum politiſſimis Epiſtolicis quæſtionibus tuis. Nam quamuis nondũ eas legi, quia nunc mihi hæc ſcribenti redditæ ſunt, quare aliter quam politiſſimas vocem, quæ ſunt à Lipſio meo? Sane non dubito quin eas cuderit optima moneta, officina tua, &, vt verum fatear, ſubit me gloriolæ γαργαλισμὸς, dum inter tractandum limis nomen meum legi. Vtinam per tabellarium liceret illarum lectioni prǽuortere. ſed ſcribendi munus non defugere potui. quia peropportune inueni qui has tibi reddendas curet. De Plauto, non eſt quod aliud à me exigas. tu potius σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. interea tamen Catullum noſtrum cum reliquis duobus poetis ad te ferendum curo, ſi typographus non fefellerit. Ego huc in otium ſeceſſi. Equidem caſum patriæ tuæ moleſte fero. Sed & noſtrum tu lugeas licet, qui toti in belli ſæuiſſimi expectatione ſumus. Africa terribili. noſti cætera. Plautum Lambini ſi vidiſti, non admiraris, certo ſcio. Eſt enim germanus plane illius Horatii Lambiniani, qui commentariorum mole laborat. In hoc ſeceſſu nihil pene librorum attuli. itaque plane ſum ἀσκυθῶν ἐρημία, in loco tam à litteris quam à libris vaſto. Tu, interea dum ego hic neque mihi neque alteri proſum, fac felicius, quam me, in otium te dediſſe putemus. Nam profecto inter hos amorum ſtrepitus, οὐδὲν γονιμῶδες omnino poſſum παρακινδυνεύεσθαι. Conabor tamen, ſi poſſum, editionem Pſalterii mei, quam molior aut per me aut per alium emittere, hexaplum fieri, Hebraice, Syriace, Aethiopice, Arabice, Græce & Latine, vna cum Scholiis, & in eas aliquot linguas præceptis. Tu nobis & Plautum & Nonium & alios exornatos dabis. Neque eſt, quod à me expectes. me vide. Ego frequentes à te eliciam ſi poſſum; amiculi gratum in te animum deſpexis, caue. Vale. Datum Tuffoli in Pictonibus ad Viennam flumen. Prid. Id. Febr. CIↃ IↃ LXXVII.

EPISTOLA V.

IVSTO LIPSIO. Non quæram quid agas. ſcio enim te non otioſum eſſe, præſertim poſitum in eo angulo qui tanquam in ſubſiciuis remanſit. Felicem limitem qui vos ab hoſtico diuidit. Nobis vero hodie cũ hoſte domeſtico res eſt, neque vlla hora vacat ab expectatione belli. Hæc eſt arx Brulliaca munitiſſima in agro Turonenſi, ad quam anno ſeceſſi omnibus mutis familiaribus meis Abenni relictis, quos neſcio an vnquam ſperem me viſurum. Certe hoc μᾶλλον εὐχῆς ἢ ἐλπίδος ἔργον ἐστίν. Vſque adeo totis his regionibus turbatur. Ac ne me putes vanum. obſidetur ab hoſte hic caſtellũ in proximo, neque ab ingenio loci neque ab opere ſatis munitum. Eo capto (nam quin capiatur cauſa non eſt, cũ iniuria nihil ſit oportunius) in nos ſine dubio mouebitur: & vix eſt, vt aut obſidionem aut aſſultum quendam declinare vlla ope poſſimus. Itaque tuus Scaliger hic cum aliis bonis & fortiſſimis viris pro capite & libertate dimicabit. Ego bonus rhetor hac προθεραπείᾳ animum tuum occupare volui, ne fortaſſe fœtum nouum ſtudiorum à me expectes, quem vtiq; pro iure tuo à me exigere poteras. Sed per hanc neceſſitatem bonam copiam mihi eiurare liceat. Hoc funeſtiſſimũ bellũ, mi Lipſi, quo nos Galli nunc noſtrate culpa ac ſtultitia laboramus, ita omnes nõ ſolum meorum ſed etiam totius gentis noſtræ ſtudiorum rationes conturbauit, vt nihil quam interitus literarum expectandum nobis ſit. Et quidem ego primus omnium eis exequias eo, ac ſi quid ſupereſſet in me veteris Scaligeri, leſſum illis facerem. Vnica ſpes eſt ſtudiorum in optimo Rege. Sed ve-

verendum eſt, ne ego prius ex humanis exceſſero, quam ille hos fluctus compoſuerit. Ego poſt bonorum amiſſionem, adempto omni aditu ad meos mutos magiſtros, iratus literis cœpi omnem euentum contemnere. Fortior eſt Thuanus noſter, qui quotidie aliquid γνωμῶδες molitur. Doctiſſimum eius ἱερακοσόφιον vidiſti. Paraphraſes Biblicas aliquot elegantiſſimo metro conceptas an videris neſcio, certe intereſt tuâ vidiſſe. Vnus ille eſt per quem in Gallia Muſis mori non licebit. De Cuiacii & Delbenii morte ſcripſiſſem, niſi ſcirem apud vos manaſſe. Si me amas, ſcribe, quid agas, quid edideris. Nam vtrumque me ignorare in tanta literarum clade & barbarie non indignandum eſt. Baudium auditorem tuum hic vidi, cuius doctiſſimis poëmatiis valde captus ſum. Vale mi Lipſi. Ego tibi melius otium iſto noſtro precor. In arce Prulliaca, in agro Turonenſi. Prid. Kal. Mai. Accepi πολιτευόμενα tua, & gratias ago. Ego Douzam ſaluere iubeo.

EPISTOLA VI.

IVSTO LIPSIO. Satyram tuam Menippeam accepi, mi Lipſi, cuius nomine tibi gratiam habeo. primũ, tanquam amico, qui mihi eam dedicaſti: deinde tanquam magiſtro, qui me multa bona docuiſti, vt doces cottidie in aureolis tuis ſcriptis. Quare, & amicitiæ tuæ & eruditioni ita me debere fateor, vt alteri quidem quod opponam habeam, pietatem & ſingularem amorem in te, quo ne tibi quidem concedo; in altera ita me vinci à te gaudeam, vt non aliter, quam ſi id omnibus palam teſtatum relinquam, tibi ſatisfactum putem. Quod ſane non ſolum facio, ſed & fieri debere fateor. Deus Opt. Max. te nobis conſeruet. Nam qui litterarum dignitatem hodie ſuſtineat,

præter te habemus neminem. Iuuenes noſtri hoc tempore ῥεμβόμενοι neſcio quid μετεωρολογοῦσιν. Hoc vnum ſtudent, vt mulieribus placeant eorum ſtudia: aliter oleum & operam ſe perdidiſſe putant. Oraculum hoc à me accipe: ſi ego & tu morimur ſenes, per hos λεσχηνευτὰς non ſtabit, quo minus literarum interitum tandem videamus. At ego nunquam nouarum partium transfuga aliquid muginabor, vt inquit ille, cuius fructus ita mihi conſtabit, ſi illis diſpliceant labores mei. Habeo in manibus opus affectum de Emendatione temporum, in quo veternum excito omnium noſtrorum Chronologorum, qui omnes ὁμοθυμαδὸν in vnum id iuraſſe videntur, vt verum nunquam dicant. Primum omnium, nationum annos, tam veterum, quam recentiorum, explicaui: Atticorum, Macedonum, veterum Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, Æthiopum, Armeniorum. Huius rei ignoratione non tantum peccant Chronologi noſtri, ſed & ii, qui eorum dicta κυρίας δόξας putant. Præterea annum noſtrum quomodo corrigant ii, qui hoc opus hodie Romæ aggrediuntur, oſtendo, & multa alia eius generis adiicio: ex quibus omnium ſæculorum ratio penitus ignorata conſtet. Tu velim ſæpius ad me ſcribas, niſi graue eſt. Plantinus curabit literas deferendas. Vale. Cantamiliæ ad Croſſam flumen in agro Agedunenſi limitis Lemouicani, x. Kal. Iun. cIↃ IↃ LXXXI.

EPISTOLA VII.

G. SEGVINO. Accepi litteras tuas; ac Georgium Agricolam de ponderibus, & libros, quos vna conieceras, à Gagnoto noſtro. Librum Gallicum de nodo Veneris totum percurri, cui rei quem Latinum aptum & idoneum titulum attribuam, equidem in præ-

ſentia

ſentia non habeo. Veneris enim vincula in Pharmaceutria Virgiliana, quod auctor libri putat, aliter accipienda. Nam ea ad amorem conciliandum, & animum ab amore alienum in ſua iura redigendum: at iſte nodus ad contractum amorem diſſoluendum. Et ſane, nō puto huius faſcini nomen proprium apud antiquos extare. Atque adeo tantum abeſt, vt partem illam, qua viri ſumus, faſcinari ſolitam, vt hodie inter nos Chriſtianos, exiſtimem, vt veteres illi non ſolum pietatis imperiti, ſed etiam ſtulte ſuperſtitioſi, figuram pudendi virilis, ad faſcini omne genus expugnandum multum valere crederent. Itaque pueris veretilla è collo ſuſpendebant. Et hinc factum vt pars illa etiam faſcinum vocaretur. Non faſcinabatur ergo pars illa, quæ faſcino aduerſaretur. Non igitur nomen è vetuſtate petendum ei rei quam vetuſtas ignorabat. Nam tuum γλωττόδεσμα ſciunt periti medici non poſſe in hanc rem conferri, & chirurgia facile curatur. Eſt enim tantum linguæ vinculum; quo qui laborant, in Euangelio μογιλάλοι dicuntur, à veteribus Latinis attubi: quod verbum nos olim in Auſonianis noſtris lectionibus è tenebris eruimus. Qui enim ſcit quid ſit γλωττόδεσμος, potius linguæ humanæ meminerit; quam ligulæ calceorum. Neque vero nego apte poſſe dici Veneris vincula, & nodos Veneris, ſed non eo modo, quo Virgilius dixit, ſed tamen quo Latinitas pati poteſt. Nam & Salluſtius dixit *metum Pompeii*, non vtique quem metuebat, ſed quo metuebatur. Cæterum auctor illius libelli nihil, quod ad pietatem faceret, ſed plane omnia quæ ad rem, prætermiſit. Magnum campum habebat ad ſpatiandum; imo mehercule ad deſudandum, & multa præclara ad eam rem dici poterant. Expectandum igitur aliud ingenium quod eam materiam vberius perſequatur. Auide legam tuum Gallicum ex mē-

branis Faleſæi transfuſum, ſi per lituras & chirographi tui difficultates liceat. Nam quia eſt αὐτοσχεδίασμα, non ſine labore legam, & tamen ſtat ſententia totum legere. Neſcis enim, quam harum rerum cupidus ſim. Intererat Reipublicæ & Latinum & Gallicum edi. Nam cum Laodenſium epiſtola apte coniungi poterat. Quid illum Fortunæ filium impulerit, vt Latinum exemplar è manibus tibi extorſerit, non ſatis mirari poſſum. Quid? Faſtidit genus Nogaretorum? Atqui ille erat nobiliſſimus. Sed in eam rem multa habeo, quæ huic ſchedio committi tuto non poſſunt. Et interea puta me Harpocratem factum. Vale, mi Seguine, & nos ama. VIII. Eidus Nouembris CIↃ IↃ XC.

EPISTOLA VIII.

G. SEGVINO. Iucundiſſimis litteris tuis, quas vna cum libro Briſſonis accepi, reſpondiſſem, ſi per eum, qui haſce à me exegit, licuiſſet. ſed tanta fuit hominis properantia, vt longiores ſcribere nō potuerim. Malui tamen has quam nullas ad te illi dare. & iam cœpi in illum librum de Regno Perſarum auidiſſimos oculos coniicere. Sane, vt video, magno labore in eum congeſta ſunt veterum teſtimonia, neque iudicium, neque delectus abeſt. dicam tamen, quantum ex ungue leonem cognoſcere potui, illum mihi videri germanum illius immanis libri de Actionibus aut Formulis, quem paulo ante teterrimum hoc bellum ediderat. in vtroque enim plus laboris, quam induſtriæ, collatum eſt: & in quo parum dignitati atque exiſtimationi ſuæ conſuluit. Sed plenius de hoc alias. interea non poſſum ſatis miſerari hominis vicem, qui apud illos dignitatem ſuam retinere ſe poſſe putauit, qui nomen Regium, ſine quo nulli dignitati locus eſt, palam

Iam etiam ipſo auctore oppugnarunt. & cum ſcriberet de Regno Perſico, quod τοῖς ἀπὸ γένους tantum lege ipſa, ipſoque iure tranſmittebatur, quid illi mentis erat, cum hæc ſcribebat? Sed hæc in proximas meas literas differemus. Interea, tu vale, & nos ama. VIII. Kalend. Iun. Faſciculum literarum, quem vna tibi miſi, niſi graue eſt, Cæſarodunum Turonum deferendum cura.

EPISTOLA IX.

G. SEGVINO. Librum Briſſonis totum pellegi. in quo, vt alteris ad te literis ſcribebam, non eſt diſſimilis ſui, cum tam in hoc quam illo de Formulis opere, nihil antiquius habuiſſe videatur, quam veterum teſtimonia congerere, vt volumen procudat, nihil tam metuere, quam ne liber nimis breuis ſit. Sane in re neceſſaria, non ſolum prodeſt hoc facere, ſed etiam negligentia eſt, non facere. Rem vero vulgatiſſimam teſtimoniis velle probare, hoc vero eſt, quod Græci dicunt, μύρον ἐπὶ φακῇ. Mira docet nos, Perſas Regibus paruiſſe. Reges vero ipſos caſtra diligentiſſime foſſa & vallo muniuiſſe: ſtipatores, ſatellites, officia palatina habuiſſe. Si iſte ſolis Regibus Perſarum mos fuit, laudo diligentiam ſcriptoris. Sin res eſt vulgatiſſima, & omnium Regum, quid eſt tot teſtes citare, quam centones ſarcire? Non is ſum, qui adduci poſſim, vt aliorum induſtriæ obtrectem. Per me quidem hic liber aureus eſto, neque enim nego bene horas collocatas. Sed labor iſte Grammatici erat, non eius, qui Rempub. tractabat: tironis, non Præſidis. Quare, apud poſteritatem bene fortaſſe cedet pruritus gloriolæ, cũ homines inceſſet obliuio dignitatis eius. nũc venio ad locum illũ Pſalmi XCI. de quo quæris. Non metues à con-

ſternatione noctu, à ſagitta volãte interdiu, à peſte graſſante in crepuſculo, à vaſtitate in meridie. Iſtis quatuor generibus comprehendit omnia quæ hominibus imminent aut metuenda ſunt, vti mortalium vita multis malis obnoxia eſt. &, quia Hebræi τὸ νυχθήμερον quadrifariam partiuntur, in veſperum, in mediam noctem, in mane & meridiem, vt olim in libris de Emendatione temporum annotauimus, per noctem intelligit, mediam noctem, per crepuſculum, veſperum: & ait, nunquam per totum diem quicquam eorum, quæ hominibus impendent, metuendum eſſe ei, quem Deus tutum ab his omnibus præſtat, quique pietatem colit. Vaſtitatem καὶ ἐρήμωσιν Hebræi vocant קטב *Keteb*. quod proprie eſt vis maior καὶ θεομηνία. Quod quare *dæmonem* verterint ſeptuaginta neſcio. Hinc Sophiſtæ hariolati ſunt Dæmones in meridie vagantes. Et ſane vetuſtas tales Dæmonas meridie infeſtos eſſe credebat. vt ille paſtor Theocritianus:

οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμι
συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐντί γε πικρός, &c.

Sed hę nugæ ſunt. Significat enim, nec die, neque nocte, neque meridie, vllum genus mali imminere iis qui Deũ metuunt. Non poſſum narrare quanto gaudio me affecit Epiphanius, quem miſiſti. Ego illum totum deuorabo, cuius olim auidiſſimus helluo fui. Pauci agnoſcunt illum penum veteris Chriſtianiſmi. Sed quam gratiam tibi referam pro tanta humanitate tua? Si hiſcere audeam, nugas egero. ſi taceam, ingratiſſimus mortalium ſim. Quod ſolum igitur poſſum, non tacebo. & iſtam comitatem tuam ſemper prædicabo.

Vale. Prulliaci. Eid.
Iun. cIↃ IↃ
XCI.

EPISTOLA X.

G. SEGVINO. Remitto tibi Cornelium Gemmam. quem vt totum legam talentum non meream: melius enim iſlas horas collocauerim. Et miror eſſe,qui,quicquid ſomniant, verum eſſe ſibi perſuadēt. ac bene nobiſcum ageretur, ſi nec aliis perſuadere vellent. Hæc δοκησισοφία quam multos perdidit, & perdit quotidie? Nam Sophiſtarum Theologia nullam aliam incudem tundit. qui huic inſanienti ſapientiæ adeo familiares ſunt,vt veræ Theologiæ peregrini ſint. Accepi Max. Tyrium,quem libentius,vt olim fecimus, Græcum legerem. Henricus enim Stephanus & meliorem & auctiorem excudit. Si quos repetere vis ex tuis libris alios;mittam,vbi te velle ſciuero: quod,ni graue eſt,indicabis. Vale.ex arce Prulliacenſi. XIIII. Kalend. Nouembris.

EPISTOLA XI.

G. SEGVINO. Videris habitare in mente mea. Dolebat mihi me Campani demonſtrationibus carere, quia ille vir Euclidem multum illuſtrauit. Mihi autem non ſuccurrebat ſine codice, quod apud eum legeram,cum eſſem in Pictonibus. Tu inopiam meam leuaſti, ſitim expleſti. Quare ago gratias de codice Campani in Euclidem. Et iam plauſtrum librorum habeo. Quod quidem comitati tuæ acceptum refero, Beatum me,ſi tanta copia inopem me non facit,Beatiorem,ſi gratus ſatis ſim. Nunc quod poſſum,conor gratiam habere, quia non poſſum agere. Et, pone facultatem mihi deeſſe, voluntas ſane non deerit. Recte ambigis περὶ τῆς κοκκίνης χλαμύδος, quam alius Euangeliſta

κοκκίνην vocat. Sed πορφύρα eſt genus. Species ἁλιπόρφυρον & κόκκινον. Alterum ex oſtreo ſiue muricis ſanie, alterum ex grano ilicis humilis. Vterque color nomine purpuræ continetur. Et Plinius lib. xxxvi. cap. vi. dixit purpuram ex ſandyce. Purpura igitur non de marini tantum oſtrei ſanie, ſed ad alia extenditur. Tu vale, & me ama. Ex arce Prulliacenſi, vi. Kal. Ianuarii cIↄ Iↄ xciii.

EPISTOLA XII.

GILBERTO SEGVINO. Ecce iterum prouocas me beneficiis. Ego vero ceſſator ſum. neque habeo vllum ἀντίδωρον, imo nullas grates dignas quas reponam huic non vulgari humanitati tuæ. Supereſt vnus animus, qui fortaſſe ob hoc acceptiſſimus tibi eſſe poterit, quia ingratos odit. Eum igitur accipe teſtem tuæ in me beneficentiæ. Libros Gromatices in idem breuiculum conieci, in quod alios, vt eos vna tibi reddam, poſtquam vſus fuero. Quod quæris, ἡμῖν δ᾽ οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι μηδένα, Iohannis cap. 18. verſ. 31. ſine dubio ab illo non tantum collegio Sacerdotum, ſed conſilio Hieroſolymitano dictum eſt, quia ius gladii iis ademptum erat, Hieroſolymitana tetrarchia, morte Archelai, in prouinciam redacta, & per procuratores ſiue rationales Cæſaris adminiſtrata neque tantum ille cœtus qui Chriſtum ad mortem poſcebat, ex ſacerdotibus, ſed etiam ex aliis, qui non ex tribu Leui, conſtabat. quare mirus eſt ſtupor eorum qui id in ius Canonicum detorſerunt. Sane tantum abeſt, vt miniſtro verbi diuini (ſi modo illi miniſtri ſunt verbi Dei) liceat hominem capitis damnare, vt omnis adminiſtratio ciuilis eis adempta ſit. Sed quod ſequitur, ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ πληρωθῇ: tangit dictum Dominicum Lucæ xviii.

παρα-

παραδοθῆναι) τοῖς ἔθνεσι.nam dixit ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν.Satisfaciendum erat priſcis vaticiniis, Chriſtum ita fore exaltandum, vt exaltatus eſt ſerpens in deſerto. Id vero quid aliud quam σαυρωθῆναι? & quorum erat ſupplicium σαύρωσις? Sane Romanorum eſt propria crucifixio. vt igitur Chriſtus exaltaretur in crucem ex figura ſerpentis, & illi manus & pedes perforarentur ex vaticinio Pſalmi XXII. Romanis tradendus erat, qui vni ex omnibus populis damnatos in crucem tollebant. non enim id ſupplicium erat Iudaicum. Duo igitur in hoc loco conſideranda. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν οὐδένα ἀποκτεῖναι, nam iudicia capitalia ab illis ad Rationalem Cæſaris translata, item σημαίνων ποίῳ θανάτῳ. id enim omnino crucem deſignat. Vale Idib. Octob.

EPISTOLA XIII.

GILB. SEGVINO Gratiam ago de Philone, qui olim fuit familiaris noſter. Hodie vero eum excepimus, non vtique, tanquam peregrinum, ſed tanquam veterem hoſpitem. Seculum enim videtur, ex quo non viſitaui. & quanquam ille etiam de negligentia noſtra conqueri poſſit, potius nouam amicitiam cum eo contraham, quam vt nō cum eo in gratiam redeam. Faciam igitur, & aliquot horas de noſtris vigiliis illi ſuffurabor. De eo tibi poſſum narrare, quod mirari fortaſſe poſſis. Fuit ille Hebraiſmi imperitiſſimus. Atque adeo, vt tirunculi Chriſtianorum, nedum Iudæorum, poſſint eum in partes vocare. Tu miraberis, ego non miror. Eiuſmodi enim erant Alexandrini Iudæi, & reliqui Ἑλληνισταί. quo nomine diſtinguebantur à Iudæis Hebraiſtis, qui Biblia in Synagogis Hebraice & Chaldaice legebant. Iſti vero Alexandrini, Græca tantum legebant ea, quæ hodie extant, & quæ ipſe Philo & reliqui Iudæi fabu-

lantur à LXX. Iudæis Hieroſolymitanis iuſſu Ptolemæi verſa. quæ certe partim fabuloſa, partim vera probabo, cum tibi diſcendi voluntas inceſſerit. Hoc tantum ſcias, me, περὶ Ἑλληνιστῶν Ἰουδαίων, quorum mentio in Actis cap. VI. & XI. ſcire ea, quorum ignoratio interpretes Noui Teſtamenti hactenus excuſauerit, quia abſtruſiora ſunt, ſed fortaſſe, ſi audiuerint, aut non credent, aut aſpernabuntur. Et quia de Hebraiſmo ſermo incidit, opportune loci illius ex Pſalmo XX. venit in mentem: *Salutem præſta. rex reſpondeat nobis: cum clamabimus.* Hoc enim in calce epiſtolæ à me quærebas, an ita ſit in Hebraiſmo, vt poſui: quod ſane verum eſt. & illi Ἑλληνισταὶ interpretes ſeptuaginta, vt in aliis infinitis, ita hic claudicant. Verba Pſalmi omnes intelligunt, mentem autem auctoris in eo nemo aſſequutus eſt. A principio ad comma, *nunc ſcio quod Deus ſaluauit vnctum ſuum*, quod eſt ſeptimum, verba ſunt populi Deum orantis pro expeditione quam parat Rex. A commate autem ſeptimo ad vltimum, quod eſt ordine decimum, Rex reſpondet, gratias agens Deo, quod victoriam eius clementiæ acceptam referat, & non aliter, ac populus orauerat; Dei fatens præſentem opem ſenſiſſe. Itaque, quanquam preces concipi videntur à populo ante expeditionem; tamen hæc μιμητικῶς referuntur à populo iam parta victoria. Itaque totum carmen eſt εὐχαριστικὸν καὶ ἐπινίκιον. Tandem vltimo commate, iterum populus orat Deum, vt præſto adſit regi in periculis, ita vt ipſe Rex habeat vnde poſſit Deo εὐχαριστεῖν & reſpondere ac ſuccinere populo pro eius ſalute vota nuncupanti, quemadmodum nunc facit. Serua, inquiunt, regem. Et, quoties concipiemus illas preces, quæ continentur ſex illis verſiculis, ille contra ſuccinat illud ſolenne carmen quod continetur tribus reliquis verſiculis. Quod ſane non fiet, niſi poſt victoriam. Habeat materiam

Rex,

Rex, vnde poſſit ſæpe nobis reſpondere. Quam diuerſas omnes interpretationes ab hac leges? Sed hæc ſunt ludus iocuſque, præ vt in aliis cæcutiunt. Non incommode iniecta eſt mentio interpretum ſeptuaginta. Eorũ enim interpretatio opus mihi eſt. Si habes, tam avide accipiam, quam impudenter peto, ſi miſeris. Quod non dubito te facturum, ſi copia eſt, quæ tua eſt liberalitas, atque comitas. Matremfamilias tuam & liberos noli amplius eo mittere vnde tuto pedem referre non poſſint. Non enim eiuſmodi ſunt, vt ſicariis & belluis efferatiſſimis ludibrium debeant. Vale, atque nos ama. III. Eid. Nouembr.

EPISTOLA XIV.

GILBERTO SEGVINO. Biblia Vatabli cum Pſalterio Apollinaris & aliis libellis accepi. Sed fortaſſe opus eſt tibi aliis, quos antea mihi miſiſti. Quod ſi literis mihi ſignificaueris, remittam tibi, quos volueris. De ſeptuaginta interpretibus ſcito fabulam à Iudæis confictam, à Ptolemæo arceſſitos, in vnum locum coniectos; & non omnium qui in vnum locum conueniſſent & capita contuliſſent, ſed ſingulorum ſeparatorum qui diuinitus in eandem ſententiam conſpiraſſent, eam interpretationem fuiſſe. Quid ergo? cum coegiſſent eos Ptolomæi Græce contractus ſcribere, & annos à Ptolomæo Philadelpho putare, attribuerunt eam interpretationem ei Regi, qui eis eam neceſſitatem Græciſſandi, impoſuiſſet? ſed ſi hoc verum erat, oporteret reliquas Paraphraſes, Chaldaicam, Perſicam, Arabicam, quibus hodie vtuntur, quodam rege iubente ſcriptas fuiſſe. quod & putare ineptum eſt. Igitur Septuaginta interpretum paraphraſis Græca, eſt, nõ auctore Philadelpho, ſed Iudæorum ſuadente vtilitate conſcripta, qui parum

Hebraice

Hebraice ſciebant, Græce autem loqui & ſcribere ab ipſis Regibus cogebantur. Ea ſane, ſiue à Septuaginta, ſiue ab vno, quod verius eſt, conſcripta, mendoſiſſima & falſiſſima eſt; & Latina qua παπολάτραι vtuntur, quæ ab ea propagata eſt, longe deterrima. Sed hæc non ſunt huius loci neque temporis. Plura igitur coram. Vale.

EPISTOLA XV.

GILBERTO SEGVINO. Verum eſt deprauationem ſententiæ Samuelis interpretum inſcitiæ adſcribendam eſſe. vſus eſt enim auctor libri verbo quo Hebræi in eam ſignificationē non raro vtuntur. משפט enim eſt quod nos Latine dicimus *modus*. *Hic erit modus regis veſtri*, hoc eſt, ita ſe geret erga vos. Sic Numerorum XVIII. *Hic erit modus ſacerdotum*. & in eodem libro Samuelis, XXVII. *Sic fecit David, & is fuit modus eius*, id eſt, hoc fecit, & hoc modo ſe geſſit. Et Geneſeos XL. *Secundum modum priorem*, id eſt, *ad exemplum priſtinæ rei*. Exodi XXVI. *ſecundum modum qui oſtenſus eſt tibi in monte*. In omnibus his eodem verbo vtitur. & mille talium verborum adduxerim, quę ſint ſatis vel contumaciæ cuiuis retundendæ. Quare quid inde colligant Sophiſtæ ad ius monarchiæ infringendum, non video, etiam ſi vulgares interpretes ſequaris. nihil enim attulerint, quod non vno ictu debilitemus. Sed Sophiſtarum & aretalogorum hic eſt mos, vt in veteribus ſcriptis hariolentur ea, quæ ipſis ſcriptoribus nunquam in mentem venerunt, & inſcitiæ ſuæ velum ſeſe putant obtendere, cum, doctos, grammaticos vocant, ſeſe autem ſolos mirantur, ſe ſolos ſapientes prædicant. Tu autem illos miſſos fac, & me ama. Vale. In arce Prulliacenſi, XII. Kal. Iunias.

EPISTO-

EPISTOLA XVI.

CLAVDIO VERNELLÆ. Quod quæris de loco Cæſaris, non ſolum me, ſed & nobiliora ætatis noſtræ ingenia exercuit, & nondum, vt puto, neque docti homines ſibi, neque ego mihi ſatisfeci. Puto tamen Druidas tum Græce ſciſſe. Reliquam plebem non ſolum Græcas, ſed ne vllas quidem litteras ſciſſe. Nam Cæſar omnino de Druidibus loquitur, cum ait eos in publicis priuatiſue rationibus Græcis literis vſos. ſed ne id quidem placet. Nam illud Græcis delendum. Ait enim Cæſar illos in publicis rationibus tum literis vſos: ea autem quæ ad religionem pertinebant, memoriter tenuiſſe. Vt veteres Iudæi Kabbalam ſuam nunquam ſcriptis commendabant, ſed eam, vt à magiſtris didicerant, meditabantur. De Heluetiis vero quod dicit libro I. eos literis Græcis perſcripſiſſe in Tabulis rationem & numerum eorum, qui arma ferre poterant, id etiam mihi ſuſpectum eſt. Nam vnde barbara natio quæ Alpium finibus terminabatur literas Græcas didiciſſet? Quod ſi locus integer eſt, puto quoſdam ex illis à Maſſilienſibus didiciſſe, & Græce illam ſummam perſcripſiſſe, ne reliquis Gallis & finitimis notum eſſet, quot millia hominum è finibus Heluetiorum migrarent. Sane de illis locis Cæſaris, item de literis Q. Ciceronis nihil plane habeo quod vere affirmare poſſim. niſi hoc tantum, videri omnino Græce ſcripta fuiſſe; & hoc eſſe argumentum reliquos Gallos Græce neſciiſſe: quo magis reliquos duos locos quos adduximus, de mendo ſuſpectos eſſe debere. Hæc habui quæ dicerem, vel potius quæ non dicerem. Nam præſtat tacuiſſe quam parum dicere. Tu hæc boni conſule. Vale.

VIII. Id. Iulias. Iuſſiaco.

EPISTO-

EPISTOLA XVII.

FRANCISCO VERTVNIANO. Accepi Protrepticon Puellæ à te deſcriptum, à nobis Græce expreſſum, quo die me remiſit quartana mea. Nam proxima die tentari me commotiuncula ſenſeram, cuius rei tu teſtis es. Quamuis enim illa ad me non reuertitur, quo ſolebat comitatu & pompa, tamen eadem ipſa eſt. Pridie quam λῆψις mea eſſet, in venatu aprum cepimus, atque occidimus. Gratum etiam fuit, quod de ſomnio patris miſiſti. non tamen mihi prius ſatis erit factum, niſi ab ipſa matrona præſente præſens, rem ipſam ſciſcitari, atque adeo ipſas audire ac reddere voces, potuero. Brugnoli nomẽ quidem teneo; olim mihi à Mureto dictum: ſed tamen Epitaphium, ita vt in eius tumulo Venetiis conceptum eſt, ne Muretus quidem ipſe fideliter narrare potuit. Quod tamen dicebat, eiuſmodi erat, vt facile agnoſcerem diuinitus parenti meo ſomnium immiſſum eſſe, & omnia, quæ de illo pater retulit in verſus ſuos, vera eſſe. Ipſum præceptorem principis Benedicti aui mei fuiſſe, Noricum patria, profeſſione grammaticũ, hominem magni nominis. Quid vis præterea? Cum leges patris ſomnium, ſtupeſces, certo ſcio. Ipſe de Brugnolo ſcribit, & Brugnolũ iſtum ignorat. De methodo Græcam linguam diſcendi Poloni illius amici tui, tantũ dicam, vnicuique operam ſuam, induſtriam, laborem, & quod caput eſt, voluntatem ipſam eſſe pro methodo. Non tamen male iudicauit Sarmata ille, qui à minimis ad maxima progrediendum præcipit. Imo & tibi auctor ſum, vt illum ſequaris. Accepi alteras literas cum Commentario Contenti Pharmacopolæ in Dioſcoridem. cuius ego doctrinam, induſtriam, atque acumen laudo. Non eſt quod dubitet de emendationibus Plinianis ex

capite

capite de Cr[illegible]co. Nam tam veræ ſunt quam verum eſt, quod ipſe deprehendit, Robertum Conſtantini maſinum eſſe in bonis auctoribus tractandis; Nullius enim ignorantiam inſectatus ſum : à me ipſo enim incipiendum eſſet : impudentiam tantum ferre non poſſum: quam ſi ferrem in Roberto Conſtantino, mihi contra bellum gerendum eſſet cum modeſtia, cum qua mihi ſemper bene conuenit. Sed non tanti eſt Conſtantinus, vt modeſtiam meam ab eius impudentia ſuperari ſinam. Hoc dico, quia, vt recte Contentus noſter animaduertit, homo ineptiſſimus ex Plinianis male intellectis bonam ſententiam ſe eruere poſſe ſperauit. & quod Plinio ne in ſomnis quidem in mentem venit, tanquam Plinianam mercem nobis venditare conatur. Idem dico de Matthiolo, Amatho Luſitano, & aliis latrantibus caniculis, quibus Ladanum Plinii non bene olet, hoc eſt, qui Plinium putant κίσθον & κισσὸν confudiſſe. Vide quæ ignorantia eſſet, imo quod flagitium, neſcire vbi ab imperitis libris peccatum eſt in bono auctore. Plinii de Ladano verba ſunt. *Similiter, hoc & ibi fieri tradunt, vt & œſipum hircorum barbis genibuſque villoſis adhærens, ſed ederæ flore deroſo, paſtibus matutinis, cum eſt rorulenta Cyprus.* Hæc ſane, ita vti vulgo edita ſunt, nihil aliud quam meræ nugæ ſunt. Nam Plinius loquitur de Ciſtho. quæ autem hæc eſt imprudentia cum loquatur de Ciſtho, poſtea de ederæ flore verba facere? Qui Plinium reprehendunt, debebant potius aduertere, magis peccare Plinium cum de edera loquitur, cum tamē inſtitutum eius eſſet de Ciſtho loqui, quam ſi nactus exemplar corruptum κίσθον pro κισσὸν, aut contra κισσὸν pro κίσθον legiſſet. Tolerabile enim eſt peccare, vbi habeas, qui præeat errori. quod ſolet accidere illis, qui in vitioſa exemplaria incidūt. At Iuriſcōſultus, qui de prædio Mæui tractat, mox de prædio L. Titii verba facit, ineptiſſimu-

mus eſt. Ita Plinius,cum de Ciſtho loquitur,non potuit de ederæ flore loqui. Quid ergo eſt? Nempe id quod toties ex me audiſti: non omnibus datum eſſe bonos auctores emendare. Hoc enim vulgo homines aut non audent,quia neſciunt, aut audent, quia impudentes ſunt. Sed non hæc agimus : non enim declamatores ſumus. Aio Plinium peſſime hac in parte,vt in multis aliis,corruptum eſſe. Legendum enim, *genibuſque villoſis inhærens ſphærulæ flore deroſo.* cuius lectionis veſtigia apparent in antiquis Plinianis libris , in quibus legitur, *ſpærulæ flore deroſo.* Sphærula eſt τὸ σφαίριον, pilula. cum Plinius non haberet vocem qua corymbum exprimeret , ſphærulam dixit,vt ante eum Varro: & ſane Grammatici Græci , cũ κόρυμβος quid ſit exponunt, aiunt eſſe σφαίριον ἀνθῶν. Eiuſmodi corymbos habent ederæ, ciſthos, & alia,vt vulgo notum eſt. Elegantiſſime igitur Plinius τὸ ἄνθος κορυμβοειδὲς ſpherulæ florem vocauit. Sed quia contumaciſſima bellua eſt ignorantia, expugnanda nobis eſt altero exemplo Pliniano, eoque corrupto ex capite de Coronamentis. verba eruditiſſimi ſcriptoris hæc ſunt: *vtuntur & ſphærulis & corymbis ederæ flore purpureo.* Eruditus auctor indicat ἐπεξηγητικῶς Græcanico verbo quid intelligat per ſphærulam,cum corymbos interpretatur. Sed error manauit ex conſuetudine veterum librariorum , qui *Sferulis,* non *ſphærulis,* ſcribebant. Eant igitur iſti boni Dioſcoridis interpretes Pliniomaſtiges,& doceãt me,quomodo ex ferulis coronamenta fiant, vel potius quæ cognatio ferulis cum corymbis ederæ. Quod ſi me docuerint, viros putabo. Sed neque omni ex parte integer eſt Plinius noſter eodem capite de Ladano: *cum eſt rorulenta Cyprus.* Sane ſi mentem Plinii, hoc eſt, latinitatem ipſam cõtemplere, hæc non vnius aſſis ſunt. Si triuiales iſtos magiſtros ſpectes, fortaſſe erit, cum Cyprus maxime rore abundat. Pulcrum ſane commentum. Ita Plinius, non ſuo

ſed

ſed magiſtell[o]rum more, loqueretur. Nos contra contendimus, illud *Cyprus* abundare. Expungendum enim omnino. Elegantiſſima eſt ſententia, roſo ſphærulæ flore, cum ſcilicet ipſa ſphærula rorulenta eſt; roris enim illicio florem illum appetunt hirci. Allatrent ergo Pliniũ docti iſti viri, qui tamen belli ſibi videntur, ſi quod ipſi ignorant, Plinio imputant. At cui viro? ſane tanto, vt non mirum ſit, ſi vulgus illum improbet, cum minime auctor vulgaris ſit. Hæc ſunt quæ ad defenſionem maximi ſcriptoris contra ineptiſſimos homines ex tempore depromſimus. Plura enim & meliora tibi & Contento noſtro communicaſſem, ſi Plinium ipſum cum Theophraſto ac Dioſcoride, in manibus habuiſſem. Sed tantum abeſt, vt eorum copia mihi ſit, vt etiam atramento mutuatitio hæc ſcripſerim. Chartam etiam cui hæc illevi mutuo accepi. Tu Contento ipſi hæc cõmunicato. Et quia eum diligo induſtriamq; eius ac ſtudium maxime ex quibus potero augere volo, mone illum, niſi graue eſt, de mendo alio quod in eodem capite de Ladano hodie in vulgatis codicibus Plinii legitur in his verbis, *itaque attractis funiculis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri*. Quid (malum) ſibi volunt iſta? attractis funiculis. Qui Latine neſciunt, illa pro arbitrio ſuo alius aliter interpretatur. Ego certo ſcio, illud, *funiculis*, expungendum eſſe, & legendum: *Itaque a tractis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri*. Tractæ ſunt longæ illę productiones lanæ, in quas ſcilicet extenditur lana, cum in lanificio netur: quæ Græci καθάγματα vocant. Ab eo Latini in panificio tractas vocant paſtillos in longum productos; vt contra offas paſtillos in rotundum glomeratos. Auctores Cato, Varro, & Athenæus, qui Latinam vocem τράκτας vſurpauit. Ait igitur Plinius herbam illam prius in minimas tractas componi, deinde ex aliquot tractis in grandiores offas digeri. Hæc ni vera ſunt, niue hæc

mens Plinii fuit, me qui volet ſponſione prouocato. Quare non eſt, quod Contentus cauſſam ſuam teſtimonio Conſtantini meliorem, aut deteriorem fieri poſſe putet. Melius enim faciet, ſi ſcriptorem nihili nunquam in teſtimonium producat, quam ſi abutatur otio & diligentia ſua. Igitur apud Plinium *a tractis*, eſt poſt tractas factas, vt Latini loquuntur. Sed hæc non intelligunt iſti, qui noſtram in emendandis bonis auctoribus diligentiam cauillantur. Ego vero maximum ex eorum ignorantia fructum capio, qui videam eos non ſolum hæc noſtra, quæ ipſi impugnant, ſed etiã quæ ipſi ſcire videri volunt, ignorare. Illud quoque monendi ſumus, ne *Cyſthon* pro *Ciſtho* ſcribamus. Nam καχέμφατον eſt κύσθος. ſignificat enim in muliere eam partem, quæ honeſte nominari non poteſt. At Auſonius noſtras facetiſſime luſit in Grammatico, qui lugebat ſeplaſiariam. monet enim vt caueat ne cyſthon & ciſthon eiuſdem odoris putet. Cum igitur Plinius Ciſſum, hoc eſt, Ederam, cum Ciſtho non confuderit, vt apparet ex correctione noſtra, non eſt, quod diutius in eo laboret Contentus, vt de Ciſſaro, & Cittato teſtimonia adferat. Non enim hæc ad rem. Hoc tantum probandum eſt, falſum eſſe, quod Matthiolus, & alii volunt, Plinium κισσὸν & κίσθον confudiſſe. Quod autem edera κίσσαρος & κίτταρος vocetur, mirum non eſt. κισσὸς enim aut κιττὸς edera eſt. ἄρον eſt arum herba, cuius folia cum edera maximam cognationem habent. Compoſitum ergo κίσσαρος ex ciſſo, & aro. Quare male Virgilius Marcellus legit in Dioſcoride κίτθαρον, cum legendum ſit κίτταρον, vt & alibi. Nos cras, hoc eſt, pridie nonas Decembris proficiſcimur. Tu ſi quid ad hæc habes, reſpondeto, & Abennium aut huc mittito: vt tuæ mihi literæ reddantur, diligenter curabitur. Vale. 3. Non. Decembr.

CIↃ IↃ LXXIV.

EPISTOLA XVIII.

FRANCISCO VERTVNIANO. Non dubium eſt quin id mendum, quod in Theophraſti codicibus eſt iamdudum,& ante Pliniana tempora inoleuerit, ipſiq; Plinio viro ſummi nomi militiæque impoſuerit. Certiſſimum,apud Theophraſtum libro VI. κίσθον,non κισσὸν,legendum. Vnde propagatur error,non ſolum in libro , ſed etiam in mente Plinii, qui Ciſthon cum Ciſſo ſeu edera confuderit. Verba Plinii capite de ederis hæc ſunt : loquitur περὶ κισσοῦ δενδροειδοῦς: *ſigna eius: folia maxima,atque latiſſima , mammas erigentia.* videndum num apud Theophraſtum legatur βλαστοῖς in illis verbis ex Gazæ interpretatione , non tantum foliis, quæ maiora latioraque habet , ſed etiam germinibus : ſi enim in eodem Theophraſto, quem non habemus , legitur βλαστοῖς , hoc ſi ita eſt, non mirum , cur dixerit *mammas erigentia* , quod ſane ab omni ratione remotiſſimum eſt, neque quas mammas edera habeat video, quæ animal non parit.Ciſſos edera rigens proprie vocatur,vt ait Plinius; quia ſi ea quæ ſerpit humi , eſt χαμαίκισσος , ſine dubio ἐκ τῶν πρός τι , ea quæ ſurrecta eſt & rigens, erit κισσός. Indignum Leoniceno putare per κισσὸν ſpeciem Ciſthi intelligi.Doctiſſimi ætatis noſtræ viri eodem modo decepti ſunt,quo Plinius. Plinio Theophraſti codex mendoſus , illis Plinius , & ipſe mendoſus, impoſuit; in illis tamen requiro iudicium , vbi viderint Ladanum in ſegetibus naſci. ipſum in πτερώδεσι φυτοῖς notant Græci , & nos ſcimus , & ipſi docti viri non neſcierunt ; quo minus excuſandi,ne quid aſperius dicam. Age,naſcatur ſane in ſegetibus: Ladanum non eſt planta, ſed ſuccus plantæ,vel ros,vel ſi vis , ἰξὸς aut lentor:non igitur magis Ladanum naſcitur in ſegetibus , quam pix in montibus:

ſed Ladanum in lada, quæ eſt altera Ciſthi ſpecies, pix autem in pinu. Deinde quid eſt vtrumque Ladanum? nos vnum tantum veteribus notum ſcimus; ex quorum fide & vnum quoque eſſe Ladanum, non duplex aſſerimus. Omnium illud fortiſſimum argumentum eſt, quod Grammatici illa verba Plinii ſemper ſuſpecta habebant. Sed reſtituamus Plinium nitori ſuo, qui ſine dubio ita ſcripſit: *Et Ladano ſiſtitur aluus, vitroque quod in ſegetibus naſcitur contuſo & cribrato: Bibitur ex aqua mulſa, item melitite vino.* Plinius non tractat peculiariter de Ladano, ſed de iis quæ aluum adſtringunt. Vitrum eſt ἰσάτις, ex ejus paſtillis non parum compendij percipiunt Tectoſages Lauracienſes. Vitruuius, Mela, Cæſar, Marcellus Empiricus, alii diſertim ἰσάτιν herbam à Latinis *Vitrum* vocari ſcribunt. Plinius à Romanis Glaſtum vocatum ſcribit. id eorum lingua & olim & hodie vitrum ſignificat. Vitri herbæ duæ ſpecies. Altera ſpōte naſcitur, altera ſatiua, ea eſt, quā in ſegetibus naſci ait Plinius. Fallūtur qui ſegetes tantum putāt dici frumentú ſatum, dum omne, quod in aruo frumenti more ſeritur, dicatur ſeges. Deinde & in ſegetibus frumenti poteſt ſponte ſua naſci ἰσάτις. Quod ſi obiicitur nobis, Plinium intelligere plantam quandam, quæ Ladanū vocatur, non Ladanum quod è Ciſtho fit: Sane Plinius non debuit eius deſcriptionem omittere, cum facile cōfundi poſſit cum vero Ladano, idq; vel ob id maxime, quod duas ſpecies eius facere videretur, cū ait *Vtroq;*. Sed Pliniū de vero Ladano intelligere dubiū non eſt, qui illud poſtea deſcripſit, cum omnibus notū non eſſet. At Vitrum non deſcripſit, tum quia vulgaris herba, tum etiam quia non hic tractatur ſtirpium hiſtoria. Alibi enim abunde id facit. Non igitur Plinius per Ladanum plantā vllam intelligit. Deſcripſiſſet enim, vt iam dixi, vel eo nomine, vt ne cum vero Ladano cōfunderetur. Auellenda igitur ex animis doctorum hæc de

Ladano

Ladano Pli.[illegible]opinio. Apud eundum Plinium lib. XXVI. eodem loco diſtinguendum: *Aluum ſiſtit & chondris, ſiue pſeudodictamnum; hypociſthis, orobathion quibuſdam dicta, malo granato immaturo ſimilis, naſcitur, vt diximus, ſub ciſtho.* Apud eundem: *ſed ederæ flore deroſo paſtibus matutinis.* Non audemus affirmare veram eſſe coniecturam noſtram, *ſphærulæ.* Sed mirum, ſi Plinius putauit eam herbam eſſe ederam; cur poſtea Ladam vocet. ſane hic hæreo. Sed credo, quod propius vero videtur, Plinium & hic quoque κισσὸν pro ciſtho legiſſe, & omnino hiſtoriam de Ladano ignoraſſe: alioqui primum herbam non vocaſſet, quæ eſt θάμνος. deinde cum in Arabia ex fruticibus elici dicat, hic in Cypro ex herba; non ſcripſiſſet poſtremo, multa ſimul & ex herba elici & ex frutice. Nam in Cypro ex herba: in Carmania, & ſupra Ægyptum, ex frutice tranſlato per Ptolemæos. Ita videmus non ſibi conſtare Plinium. & omnino vt concedamus eū ſciuiſſe Ladanū quid eſſet, tamen neſciuiſſe vnde eſſet. Nam vide. Ait *attractis funiculis herbam eam conuolui.* Hæc ex Dioſcoride tranſcribebat: & iniuriam optimo ſcriptori facit, tū quia herbam vocat, quam ipſe θάμνον vocauerat, & nos ſcimus fruticem eſſe, tum etiam quia non intellexit quid ſcribebat. nam attractis funiculis dicit herbam eam conuolui, ita obſcure & ἀπόπτως, vt quid velit Dioſcorides, manifeſtum ſit; quid ipſe velit, ne ipſe quidem intellexerit. Quis vnquam intellexiſſet illud, *attractis funiculis*? Deinde peruertit verbum Græci ſcriptoris ὑλίζουσι, mutans in ἑλίσσουσι. Tolerabile erat, ſi dixiſſet Ladanum & pingue illud conuolui, non autem plantam ipſam. Ergo ſibi contradicit ſtatim. Nam non multo ante dixit, pingue ex herba collectum Ladanum vocari. Nunc, herbam conuolutam & in offas & tractas digeſtam Ladanum vocari. Vides nihil potuiſſe dici inconſtantius, niſi fortaſſe aut ſimilis, aut maioris inconſtantiæ fuerit,

non meminiſſe à ſe ſuperius ſcriptum, Ladanum, quod ipſe toxicon ait vocari, non aliud eſſe quam hoc, quod attractis funiculis colligebatur. Profecto nihil aliud dicere poſſumus quam Plinium & Ladanum & Ciſthon ignoraſſe. Hoc tantum dicamus, non poſſe legi *Edera floꝛe deroſo*, cum iam herbam vocari dicat Ladam. Non puto eandem Ladam & Ederam vocaſſe. Ibidem verba ita legenda: *Etenim illi Ladam vocant: huius pingue inſidere.* Rurſus conqueror quod Dioſcorides θάμνον herbam vocet. Libro XXI. cap. IX. omnino legendum, vt emendauimus, *ſphærulis.* Apud eundem libro XXIIII. cap. X. lege *trinis digitis flore capto*: vbi ſuperſtitio veterum notanda, in tribus digitis, vt apud Ouidium,

Et digitis tria tura tribus ſub limine ponit.

In eo putabant eſſe religionem. Politiani ſententiam & emendationem probamus. Quam inter Ederas diximus Ciſſos Erithranos, &c: Auicenna in hoc, vt & in aliis quoque nugatur. Notandum quotieſcunque Auicenna diuerſe de eadem re tractat, ipſum ignoraſſe quid eſſet. hoc ſciunt omnes, qui ſedulo Auicennam triuerũt. Fruſtra hac in re Plinio patrocinatur Politianus. Vbi etiam ridiculus eſt, cum ait, à Theophraſto florem ederæ χνοώδη appellari propterea, quod lanuginem habet intra ſe, vt roſa. inepte ſane. nam χνοώδης flos eſt proprie Liguſtri, Ederæ, Vitis. Eæ enim ἀντὶ τοῦ ἄνθους χνοῦν potius habent. At nullus χνοῦς in roſa, ſed flos roſæ conſtat ex foliis. vnde centenariæ roſæ à numero foliorum. At χνοώδης ἄνθος dicitur, quod folia non habet, ſed pro eo χνοῦν. Perperam Leonicenus Ladam latinum putat. Tantum abeſt, vt latinum ſit, vt Plinio homini Italo, quia id popularibus eius ignotum fuit, veniam demus, quod ignorarit. Ruellius lib. I. c. LXVII. errat cum Plinio, qui ait ſuccũ illum conuolui, & in offas digeri. nam error fuit Plinii, qui ἑλίσσουσι pro ὑλίζουσι legerat in Dioſcoride.

de. Alius errat, cum dicit, multiplicem Plinio Ladani legendi rationem eſſe. Ipſe enim duas tantum agnouit: vnam ſponte, hoc eſt, ex villis caprarum; alteram arte, hoc eſt, funibus attractis, vel neruo arcus ad illas plantas attracto. Prius vocauit terrenum, quia fere οἱονπῶδης, alterum factitium, quia ingenio hominum non ſponte colligitur, &, vt verius dicitur, quia non φύσει, vt illud ſuperius, ſed θέσει. De Braſſauola aliquid addidiſſem, ſi tanti hominem feciſſem, vt eius ſcripta legere non pigeret. Sed quia iamdudum mihi perſuaſi, & ex eius ſcriptis comperi, nihil aliud eum virum fuiſſe quam cymbalum ineptæ medicorum plebis, eum miſſum faciam. Non dignus eſt, vt in hunc cenſum veniat. Stypticitas verbum eſt in officinis natum, non Pergami, neque in Co Inſula. Latine diſtringendi facultas, Græce τὸ ϛυπτικόν. Hæc ad te fuſius quam antea ſcripſi, quia & chartulam & atramentum erogaui. Tu, amabo, quamprimum reſcribe. nam ante diem XIII. Kalend. Martias in aulam profecturus ſum. Vale. Malauallæ, IV. Non. Februar. CIƆ IƆ LXXV.

Epistola XIX.

FRANCISCO VERTVNIANO. Nondum vt video occluſiſti ſeplaſiã tuam. Ladanum enim tuum iterum nobis in ea proſcribis, ne quid denique deſit vnguentariæ tuæ. Sed, niſi fallor, abunde puto tibi ſatisfactum à nobis poſterioribus meis literis, quas ad te de eadem re nuper dedi. Nõ dubito quin fideliter eæ tibi ſint perlatæ. In illis videbis, aut potius vidiſti, quid ſit mei iudicii de tota re: præſertim de Plinio noſtro, quem hac in re tueri non poſſum. Quanquã meliorẽ partem culpæ in corrupta exemplaria, quibus vſus eſt, deriuandam putem, vt illud, quod negari non poteſt, μαϛὺς, pro βλαϛὺς

ςοὺς legiſſe; tamen mirum, adeo cæcum fuiſſe, qui non viderit, tam inepte μαςὺς ſtirpi, quam βλαςὺς animali tribui. Mitto quod ciſſon Erythranon à Græcis vocari ait, quod nuſquam ab illis proditum eſt, cum potius ὑπόκιςις ἐρύθρανος dicatur, vt tamen hoc ait ipſe. Prudens, an deceptus ciſthum cum ciſſo confundat, neſcio: hoc vnum ſcio, hac in parte non illi vitio vertendum fuiſſe: cum ciſthos frutex vulgo ab aliis κίσθαρος, ab aliis κίσσαρος vocaretur. Quod conuincit, non Plinium κισσὸν vocaſſe κίσθον per ſe, ſed in eo ſequi vulgus. Propterea ciſthi deſcriptionem cum ederis commiſcuiſſe. Sed de his ſatis. Venio ad Leonicenum. Equidem de eo viro non niſi honorifice prædicare debemus, vel eo nomine, quod primus philoſophiam & medicinam ipſam, cum humanioribus literis coniunxit. Primus enim ille nos docuit, homines, qui ſine bonis literis medicinam tractant, eſſe ſimiles iis, qui in alieno foro litigant. Scis quid velim. Et mirum præterea accepi de eo viro. A pueritia, imo à cunabulis ipſis ad xxx. annum morbo comitiali adeo tentabatur, vt cum ad ſe redierat, pertæſus vitæ, pene ſibi manus afferret. Sed poſt trigeſimum annum plane eo malo defunctus, omnibus membrorum ac ſenſuũ officiis integer, nulla morbi ſuſpicione, ad xciv. annum peruenit. Et, ſi bene memini, triduo antequam decederet de vita, operam dederat lectioni. Felicem ſane ſenectam, quæ prius portum apprehendit, quam nauigationis incommoda ſentiret. Hæc ego pręfari volui in honorẽ ſummi viri, qui cum ſummo honore legendi & docendi munus, cum ſumma tranquillitate vitæ curſum obiuit. Tamen multa ſunt quæ in eo homine requiras. Et primum, ridicule mauult Græcarum literarum cognitionem Plinio adimere, quam ſtirpium. At contra vulgo ſcriptorum euenire ſolet. Ipſi enim non ſine eruditione ſcribunt, ſed pleraque o-

mnia ſine experientia. Et facilius eſt me diſcere ex libris, præſertim in vrbe habitantem, aut melioribus occupatum, quam colles & prærupta montium perreptare, vt vnam ſtirpiculam eruam. Quin etiam neceſſe eſt, Plinium non vidiſſe hypociſthiden, quia in Italia non naſcitur, potius quam, vt concedamus eum Græcarum literarum ignarum fuiſſe. Quamuis enim in corrupta exemplaria non incidiſſet, tamen quia quid eſſet ciſthus ignorabat; propterea potuit ciſthum cum ciſſo confundere. quia ciſſum nouerat, ciſthum ignorabat. Vide quam vera loquar, quamquam aliena à ſententia Leoniceni. Ego ſane melius cum Plinio, Theophraſto, Dioſcoride de ciſthi viribus diſputabo, quam cum Contento noſtro Pharmacopola de forma. Ciſthum enim nunquam vidi, ſed quid ciſthus ſit optime ſcio. Quid eſt igitur quod vult ipſe, Plinium non potuiſſe ignorare id quod vulgo Pharmacopœorum notum erat? Pulchrum ſane argumentum. At ego illi oppono Nicandrum, qui de iis rebus ſcripſit, quarum ipſe prorſum ignarus erat. Oppono Aratũ, qui ἀναστρολόγητος luculentiſſimo poëmate τὰ φαινόμενα deſcripſit. Ridiculum eſt, mi Sanuertuniane, Leoniceni argumentum, atque Leoniceno indignum. Deinde putat ſe non magnam iniuriam facere Plinio qui ei detrahat Græcarum literarum cognitionem, vt eum ſtirpium peritiſſimum faciat. Quid? num poteſt facere vtrumque, & literarum Græcarum & ſtirpium ignarum? nugę. Videndum eſt etiam, vtrũm Plinium pro literato homine accipi velit, an pro pharmacopæo. Sane pro literato, ſi ſapit. At, vt eius verbis loquar, non minus dedecus erit homini literato literarum Græcarum cognitionem adimere, quam pharmacopæo ſtirpium. Tædet me illius ineptæ epiſtolæ, quæ neque docte, neque Romane, hoc eſt, Latine ſcripta eſt. Itaque reliqua quæ ſequuntur non attingam.

Pulcre enim à te animaduerſum eſt de clauſula Plinii, quam corrumpit.& alia omnia, quæ non repetam. Tu ſatis per te ſapis, nec alieni conſilii eges. Hoc tene, Plinium eruditiſſimum ſuæ ætatis hominem, Latinæ elegantiæ obſeruantiſſimum, non mirum aliquando in vertendis Græcis hallucinari. Hoc non ſolum illi, ſed & Ennio, Attio, Ciceroni accidit. At quibus viris? qui ſunt columina priſcæ Latinitatis. De quorum erroribus ſatis alibi demonſtraui. Vale. Malaualle in limite Lemouicano. VI. Nonarum Mart. cIↃ IↃ LXXV.

EPISTOLA XX.

FRANCISCO VERTVNIANO. Ternas à te vno die accepi, ſed omnes eodem argumento, addo etiam eadem indole animi tui, hoc eſt, illa amoris in te mei ſignificatione. Qui erit vnus character tuarum literarum, vt, cum eo obſignatas ad me mittes, ſemper poſſim agnoſcere eſſe tuas. Gratum etiam officium tuũ, quo me erga puellam Catharinam Rupæam & matrem eius proſecutus es. Omnes literæ tuæ, vt iam dixi, idem continebant. In quo præcipuis duobus reſpondebo: *de Critico* & de verbo *Macte*. Ac primum de eo, quod prius ordine eſt, de Critico. Non eſt quod vos Aſclepiadæ gloriemini de vetuſtate Medicinæ veſtræ, qui nobis obiicitis Machaona & Podalyrium. Habet & iſta doctrina quam Grammaticam vulgus vocat, neque tamen intelligit, habet, inquam, & vetuſtiſſimos ſuos vindices. Linum & Palamedem, & Cadmum & alios. Sed hoc nihil ad Criticum. Ita ſane. Volebam tamen neſcius ne eſſes, eam à maximis viris nõ ſolum cultam, ſed etiam excultam fuiſſe. Qui enim de ea libros reliquerunt, maximi viri, etiam in aliis ſtudiis, fuerunt, Crates, Ariſtophanes, Nicander, Callimachus, Apollonius ille Rhodius, Chryſippus, alii heroes magni. Illi igitur in monumẽtis ſuis reliquerunt nobis, Grammati-

ces tres partes eſſe. Quarum primā τεχνικὴν vocarunt, ſecundam ἱστορικὴν, tertiam ἰδιαίτερον. Τεχνικὴν πραγματείαν vocant eam, quæ in elementorum & ſyntaxeos diſciplina tota eſt. Ἱστορικὴν, eam quæ in mythologiis poëtarum, in Oratorum & Hiſtoriarum deſcriptionibus, locis, montibus, fluminibus verſatur, & ſi quid ſimile. Ἰδιαίτερον intelligi volunt, quæ non illis finibus contenta eſt, ſed vlterius euagatur, & in abditiora ſapientiæ penetralia ſe inſinuat: cum ſcilicet ſpurios verſus poëtarum à veris & legitimis diſcernit, deprauata emendat, falſo attributa ſuis auctoribus aſſerit ac vindicat: omne genus Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum recenſet, atque excutit. Hanc partem propterea κριτικὴν vocarunt. Atque vt veteres Romani quatuor partes anni ſingulas in tres alias diuiderunt, vt de vere dicerent, ver primum, ver adultum, ver præcipitatum: ita etiam iure merito per illos gradus voluerunt φιλόλογον ad perfectiſſimam φιλολογίας cognitionem peruenire. Itaque primam illam τεχνικὴν omnes vulgo de fæce pædagogorum quotidie tractant, vt ſibi videntur. In ea tamen excelluerunt clariſſimi viri veteres, Herodianus, Tryphon, Apollonius Alexandrinus apud Græcos; apud Romanos autem Scaurus, Donatus, Cæſar ipſe & Plinius Secundus. Illam tertiam, id eſt, nobiliſſimam omnium, ac vere Philoſopho dignam, tractarunt Græci, Crates, Ariſtophanes, Ariſtarchus. qui propterea & vulgo κριτικὸς dictus eſt. Romani autem infiniti. inter quos Varro, Siſenna, Ælius Iuriſcōſultus & alii. Mediā, quæ ſecūda eſt, inprimis Hyginus, Palæphatus, Stephanus, & Cæſar etiam, coluerunt. Quanto tertiam illā quam alias pluris fecerint, ex nomine intelligere potes. Non enim ab officio vocarunt. vt à tractanda arte primam τεχνικὴν, ſecundam, ab enarratione hiſtoriarum ἱστορικὴν. Sed quia non omnium eſt, ſed pauciorum, neque

que in quibuſuis autoribus, ſed in nobiliſſimis verſatur, ἰδιαιτέραν, quaſi peculiarem, vocarunt. Hæc nos de Critice. quam cum iam plene cognoſcas, illi merci pretium iam recte dicere poteris. Quanti enim tibi iudicanda ſit, ſcire poteris. Verſus Homeri illi tantum admiſſi ſunt, quos Ariſtarchus probauit. Comœdiæ Terentii, quas Calliopius. Sic Tragœdia vetus Achilles Ariſtarchi, quod ab eo emendata eſſet. *De Macte* quod petis, plane tractandum eſt nobis non κριτικῶς neque ἱστορικῶς ſed τεχνικῶς. A ſignificatione igitur. *Mactum* veteres Romani vocant auctum. Herbam adultam Cato vocauit *mactam*. nempe quod ita aucta eſſet. *Macta hoſtia*, cum frugibus & mola, aucta erat. Sic *macta ara*, quod verbenis aucta & cumulata. *Mactare hoſtiam poſtea*, pro cædere hoſtiam, dicebant κατ' εὐφημισμόν. ne ſcilicet cædem nominarent. Quare mactare pro cædere? quia nunquam cædebatur, niſi frugibus macta eſſet: à præcedentibus conſequentia, vt vulgo Rhetores & Dialectici Scholaſtici loquuntur. Vt veteres Chryſippei ἀπὸ τῶν προηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα. Nunquam mactabant hoſtiam quin dicerent: *Macta eſto hac mola ſalſa.* Sic cum Deo alicui vinum libabant: *Macte hoc vino eſto.* Sed cur vocandi caſu *Macte*. In hoc quoque eſt τεχνικὸν Grammaticorum. Nam *mactus eſto*, dicendum erat. Sed vtriuſque linguæ auctores ita loqui ſolent. Theocritus:

---ὄλβιε κῶρε γένοιο.

dicendum erat ὄλβιος. Tibullus:

---*Huc venias hodierne.* hodiernus. Perſius:

Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.

milleſimus. Auſonius creber eſt in hoc genere loquendi. Quare & *Macte eſto*, pro mactus. Propterea non mirum ſi in Atticiſmo ἡ κλητικὴ confunditur cum ὀνομαστικῇ: cum contra hic videamus vocandi caſum cum nominatiuo commutari. Sic igitur dictum, *Macte eſto virtute.*

Habes

Habes ἀκανθολογίας Grammaticorum, ſed quæ ſeria ducant. Quid? non [illegible] & veteres illi Aſclepiadę cum ab arte deficiuntur, ad Phyſica, & πειράμματα confugiunt? Sed hoc quod dixi eo tolerabilius, quo minus aliter dici potuit. Nam Grammatica quomodo tractabis, niſi Grā-matice? Vale, & me ama. VIII. Kalend. Ianuarias.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA XXI.

VERTVNIANO. Occupationes meas cognoſcere hinc potes, quod non ſtatim reſcripſi tuis. Etiam, ſi placet, loci huius ſolitudini aſcribas. In quo nec chartam nec calamum reperire multos dies potui. Extorſi hanc, vt hæc qualiacunque illi oblinerem diluto atramento hoc & miſero. quod, ſi per latinitatem liceret, albamentum potius vocarem. Acceſſit huic ſcriptioni literarum iuuenis qui iſtas ad te tulit. qui daturus Iuri operam proficiſcitur Pictauium. Quem ſummopere commendo tibi. Sane quicquid officii in eum contuleris, in me collatum putabo. Commendo, inquā̃, illum tibi, de meliori nota. Vt ego ſentiam tandem, quā̃tum amicitia tua illi profuerit, quam & mihi profuiſſe quotidie comperio. Si eſſet mihi res cum homine ignoto, adhiberem ea commendationum artificia, quibus eum tibi charum eſſe vellem; Nunc, cum & tu me, & ego te norim, fac vt meam commendationem plurimum ponderis apud te habuiſſe cognoſcam. Non ſolum eos puto ſuaues amicitię fructus, quos mutuo percipimus, ſed & eos qui ex ea ipſa amicitia ad alios ſunt manaturi. Nunc ad tuam venio. Politianum & Manutium laudo. vtrunque recte ſenſiſſe aio. Nam de Scala illo nihil dicam aliud quam totius Latinitatis hominem ignarum fuiſſe. Itaque de eo οὐδεὶς λόγος: non magis ſane quam de Megarenſibus, quos ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ ponit-

ponit oraculum. Hæc non debent ſollicitare animum tuum. Neq; enim ſi *Ferrumino* verbum diſplicuit homini ignaro, propterea diſplicere debeat tibi homini melioribus literis exculto. Hæc omnia non ſunt vnius aſſis. Quare illis omiſſis ad ea veniamus, quæ de ciſtho & edera Plinius dixit. Non dubium eſt, antiquiſſimũ mendum in Theophraſti libris inoleuiſſe: κισσὸς & κίσθος. Id ſcilicet impoſuit Plinio, homini, non vt iſti volunt, Græcarum literarum imperito, ſed qui melioribus occupatus, ſtatim de mendo iudicare non potuit. Id quod & oculatiſſimos fallere ſolet. Neque tantum id Plinio impoſuit, error alienus nempe: ſed & ſuus Plinium in alium peſſundedit. Quantum enim crebra Plinii lectione aſſequi potui, deprehendi, ipſum Plinium, omnia quæ ex variis auctoribus excerpebat, ordine literarum, quem Alphabeticum vulgus vocat, in ſua digeſſiſſe aduerſaria, neglecto, qui potior erat, ordine naturali. Vt ſcilicet, quærenti, nullus labor eſſet reperire quæ vellet. Hoc verum eſſe cognoſcet accuratus Plinii lector. Nam & vrbes ſæpenumero & ſitus locorum, non ordine, ſed literarũ ſerie deſcribit. Ita gemmas, ita herbas ipſas. Quia ſic in aduerſariis repererat. Sic κισσὸς & κίσθος eandem ſeriem poſcebant literarum. Propterea immiſcuit hæc ſimul. Non ea tantum dico, quæ apud Theophraſtum legerat: (nam manifeſte ibi legit κισσὸς pro κίσθος:) ſed cum iam hæc cõfudiſſet, in errore perſtitit, quẽ nõ mutauit. Vt lib. XXI. c. IX. Ea enim quæ de edera, plane ciſthi ſunt. Quia meminerat, ita à Theophraſto dictũ, in eo in quo falſo κισσὸς pro κίσθος legit. Itaque non poſſum eam culpam ab eo amoliri. Quin etiam illud excuſare nõ poſſum, quod ea quæ Dioſcorides clare dixerat, ipſe obſcure dixit, *attractis funiculis*, c. XVII. lib. XII. Quis enim hæc intelligat? ea cauſa fuit, cur de mẽdo ſuſpicarer. Iam vero lectionem illam in ſuo loco tutam & incolu-

ſolumem m[illegible]nere cēſeo. Nam plane *attractis funiculis* eſt ἐπιτονουμένων χο[illegible]. quod cum deſcriberet Plinius ac verteret ex Dioſcoride, ipſe non intellexit. Primum quia ſi intellexiſſet, non ita obſcure ac præciſe dixiſſet. Deinde non aliud putaſſet ab illo quod τοξικὸν vocari ait. manifeſto enim errore *toxicum* ab eo quod *attractis funiculis*, vt ipſe vertit, colligitur, diſtinguit. Idem enim plane eſt. Sed quia ex diuerſis auctoribus deſcripſit, cum ex ſuis aduerſariis referret in hiſtoriam, diuerſum putauit. Deinde an non plane agnoſcis, neſc. iſſe quid ſcriberet, cum *attractis funiculis herbam conuolui*, ſcripſit? non enim herba ipſa conuolui debebat, ſed ſuccus inuolui in lanis quibus inuoluti nerui arcuum aut funes erant. Sed nullo dubio legit in Dioſcoride ἑλίσσουσι pro ὑλίζουσι. (nā hoc factum quia codicem mendoſum nactus erat. ea. n. culpa imperiti librarii fuit.) ſed hoc conqueror, quod ἄππα ſcripſit. Et modo ex auctoribus deſcriberet, intellectum & ſententiam loci ſusque deque habuit. Impoſuerunt etiam illi auctores qui eam plantam herbam vocabant. Ego ſi ſapiam, nunquam θάμνον cum herba confundam. Non mirum igitur ſi libri noſtri tot mendis ſcatent, cum eo tempore, in quo librarii ipſi doctiſſimi erant, mendoſi libri, non ignaris tantum, ſed etiam magnis & doctis viris, negotium faceſſebant. Et tamen extiterūt hodie qui nos male cogitantes vocēt, quod diutius operam in bonis auctoribus emēdandis ponimus. Ego infinitis locis olim notaui, quantum Plinius huiuſmodi rebus deceptus fuerit. Sed de his alias. Hoc dico, etiam videri mihi Plinium in deſcriptione ederæ apud Theophraſtum pro βλαστὰς legiſſe μαστὰς, quia β veterum ſimilis eſt μ. Ita enim ſcribebant μλαστὰς. quod non audeo affirmare, quia codicem Theophraſti non habeo. Tu vide an Theophraſtus cap. vltimo libri tertii ſcripſerit βλαστὰς. vbi Gaza vertit, *non tantum foliis, quæ*

maiora

maiora latioraque habet, verum etiam germinibus. Nam ſi ita eſt vt Theophraſtus ſcripſerit βλαςὺς, non dubium eſt quin Plinius legerit μαςὺς, quare verterit *mammas erigentis*, lib. XVI. cap. XXXIV. Sed vt dixi, non audeo affirmare. Tu celeriter de eo reſcribas, velim. Pergo ad reliqua. Et, vt Plinius ipſe ordinem in naturæ deſcriptione ſæpe neglexit, ita ego in eius mendis confutandis nullum ſeruabo. Male vulgo locus ille diſtinguitur, lib. XXVI. cap. VIII. *Alium ſiſtit & chondris, &c.* Legendum enim plane, *Aluum ſiſtit & chondris, ſiue pſeudodictamnum, crobathion quibuſdam dicta. Hypociſthis malo granato immaturo ſimilis naſcitur vt diximus ſub ciſtho, &c.* In quo chondris non idem eſt cũ pſeudodictamno, quod imperitiores poſſet fallere: ſed aliud vult eſſe chõdrin ſeu chondrida, aliud pſeudodictamnum. quæ idem eſt cum orobathio. Vides quam inepte hypociſthis hic cum iſtis confuſa fuerit. Plinius enim manifeſto ignorauit quid eſſet hypociſthis. Illud vero fatendum non eſt, quod legit libro XXVI. cap. VIII. *Et ladano ſiſtitur aluus vtroq;, quod in ſegetibus naſcitur, &c.* Primum rogo te, quid cenſes eſſe vtrumque ladanum? Oportet qui ingenio ſunt meliore hoc me doceant. nam ego quidem plane ignoro. Deinde quis vnquã vidit in ſegetibus ladanum naſci? O infelices nos qui authores tot deprauatos legimus, vel potius ingratos, qui ſtudiũ hoc bonos emẽdandi auctores male collocari putam⁹? Ego vero eſſe duo ladana, item ladanũ in ſegetibus vſquam naſci, nego ac pernego. Quanquam ſcio, ſi bene memini, hoc multos qui de ſtirpibus ſcripſerunt annotaſſe. Obſecro vos poteſt ciſthos aut laudanũ in ſegetibus naſci, id eſt, ἐν σποϱίμοις? Quod, vt ait Dioſcorides, ἐν πετϱώδεσι φυέταις. Apageſis has nugas. Quid ergo eſt? Quid aliud quã quod toties clamaui? nos videri bellos, ſi elegantes videri poſſimus. tũ etiã acutos, ſi emendatores librorum ignaros vocemus. Aio igitur legendũ eſſe:

Et ladano ſiſtitur aluus, vitroque, quod in ſegetibus naſcitur, *&c.* Vitrum Latine eſt quod Græce ἰσάτις, neque aliter Latini vnquam vocarunt. Vitruuius lib. IX. *Vitrum*, inquit, *quod Iſatim vocant*. De Britannis: *Vitro ſe inficiunt*. Idem Cæſar. Sed in omnibus deprauata erat lectio Plin. l. XXII. c. I. Modo *lutum*, modo *vltro*, modo *glaſſo* excuſum erat. Nos veteres codices ſequimur. Marcellus Empiricus *Iſatim* vitrum manifeſto vocari ſcribit. Neque mirum. Galli, vt hodie Lauracienſes Ictoſages, colebant eam herbam, quam hodie in paſtillis digerunt. Vnde & paſtillum vocant. Ipſi, inquam, Galli *glaſtum*, auctore ipſo Plinio, vocabant. Atqui *glaſtum*, eſt vitrum. Et Germani hodie ita vitrum appellant. Scis porro duas ſpecies Iſatidis. Eam quæ ſponte naſcitur: alteram, quæ ſeritur. Cuius multas ſegetes vberrimas in Tectoſagibus noſtratibus vidiſti. Ea eſt quam naſci in ſegetibus notauit Plinius. Vt diſtingueret ab ea quæ non colitur ſed ſponte naſcitur. Totum locum ita lego, *Et ladano ſiſtitur aluus, vitroque, quod in ſegetibus naſcitur, contuſo & cribrato. Bibitur ex aqua mulſa, item melitite vino.* Scis quid μελιτίτης οἶνος ſit. Iam dubitari non debet me recte emendaſſe, lib. XII, cap. XVII. *ſphærulæ floræ deroſo*. Nam, vt alias tibi ſcripſi, *ederæ* legi non poſſet. aliter quam inepte Plinius ederam vocaſſet, qui fruticem odoratum vocat eum vnde ladanum colligitur; ſane fruticem odoratū ederam non vocaſſet. Præterea non dixiſſet *ſyluas depaſci caprarum morſu*, cum ſyluas edera facere non poſſit. Sed ſphærulam pro corymbo dixit, quia cum ciſſum cum ciſtho confuderit, ciſtho corymbum attribuit, quod vocatur ſphærula. Neque dubium quin *Cyprus* expungendum ſit, in quo legitur *rorulenta Cyprus*. inepta enim eſſet loquutio. Quod ais de eo, *Nec non & fruticem, &c.* idem verbi gratia eſt, fruticem eſſe ex quo Ladanum colligatur. Sed id ex alio ſcriptore appoſuit. De reliquis

ad te prope diem ſcribam. quia alio nunc vocor. & vix huic conſcribendæ tempus ſuffurari potui. Tu iſta boni conſules quæ deprauate adeo à me ſcribuntur, vt verear, ne à te intelligi poſſint. Ego ad Irlandi & Dugniani literas reſcribam: quos cum noſtris & Contento ſalutabis. Nam fuſius de his ego ad te ſcribam. Salutat te Caſtaneus heros cum vxore optima. Vale. & reſcribe quam primũ poteris. Malauallæ in limite Lemouicano. v. Kalend. Februar. cIↃIↃLXXV.

EPISTOLA XXII.

FRANCISCO VERTVNIANO. Verum eſt quod è limite Lemouicano anno tibi ſcribebamus, non intellexiſſe Plinium quæ ſcriberet. Non quia potuerit ſi licuiſſet, ſed quod non vacaret, homini & vrbanis & militaribus rebus diſtricto. Cum autem innumerabiles illius viri deprehenderimus errores, quos & talento, vt ait ille, qui multum illi faueamus, mutari vellem⁹, tamẽ quia toties hoc nobis libros eius legentib. vſuuenit, diſſimulare omnino non potuimus. Nam vt alia commiſſa eius taceam, in vna cedria ter offendit, lib. XIII. cap. V. & lib. XXIV. cap. V. Primum quod eam ex cedrelate arbore, quæ tantum in Libya & tractu Atlantico, manare ait. Deinde, quod cum cedriam ex Dioſcoride ad verbum verterit, tamen aliam ex cedrelate elicit, aliam ex cedro. Tertio, cum ſuccum picem vocat. Atque hic poſtremus error flagro ſane dignus eſt. Pulcherrime enim Græci tria hæc diſtinguunt, κόμμι, χυλὸν, ὀπὸν. Quibus duo addes, ῥητίνην, πίσσαν. Ita vt ſi aliud pro alio pronunciet medicus, capital profecto faciat, vt ait Plautus. Iugulabit enim hominem. Cum cedriæ ſuccus non ſit, quare vocat igitur? χυλίζεται planta cum læditur. ὀπὸς ex vulnere elicitur. At de cedria id non dixeris. Sane idem Plinius alio flagitio caput ſuum obligauit lib.

lib.xx.cap.xviii.cum opium ſuccum vocat. Et tamen, cum partem an... aduerſionis ſuæ ex Dioſcoride deſcriberet, non meminit, autorem illum Græcum, ſeorſum περὶ τ̃ χυλίσεως, item & περὶ τ̃ ὀπίσεω. agere. Hæc in anteceſſum quaſi perſolui tibi: vt parti eorum quæ petis ſatisfaciam. Ne mireris ſcilicet, in aliis erraſſe Plinium, qui in his appellationib. non ſolum ipſe errat, ſed & in errorem quaſi manu ducit alios. Noli autem dubitare, quin vertere verba Dioſcoridis voluerit, εὐθετεῖ, &c. l. 1, c. cvi. quo maiorem reprehenſionem meret, qui id membrum diſiunxit, alteramq; partem infra reddit, ἰξυδερκὴς ἐστι, &c. Sed id non mirum in eo, qui primum, de cedria & cedrelate agat, deinde de ſucco cedri, tanquam ea omnia ad verbum non ex Dioſcoride ſub titulo vnius cedriæ acceperit. Sed de eo ſatis. Vereor autem, ne & cedriam, & cedrum, vnde ea, ipſe ignorarit. hui⁹ enim culpæ verba cum ſua arguunt. Sed vt conſtat, cedriam neque ex cedrelate, quæ Romanorum citrus eſt; neque ex cedro Libani eſſe: ſic etiam ex oxycedro, quæ facie tota iunipero ſimillima eſt; quare corrigendus eſt locus inſignis in Theriacis Nicandri:

μηδέ σέ γε χραίσμη πολὺς κάθος, ἢ ἐκ κέδροιο,
ἄρκευθος, σφαίρη τε, &c.

Legendum enim:

μηδέ σέ γε χραίσμη π. λ. ἢ ἐ κέδροιο
ἀρκευθίς, &c.

Vocat ſphærulas cedri ἀρκευθίδας, propter miram ſimilitudinem, quam habet cum iunipero, cuius, vt ſcis, baccæ vocantur ἀρκευθίδες. De Henrico Stephano quid aliud dicam, quam id, quod ſtultum hic doceret οὐδὲν ὑγιές. Sed vide quæ nos in ora marginis tui libri notauimus, & nihil amplius require. Caſtaneus intra biduum proficiſcitur Lutetiam: inde Legatus Regius Romam profecturus. poſtea ſpero eſſe veſter. Vale. Prid. Id. Febr.

EPISTOLA XXIII.

IANO DOVSÆ. Epiſtolam quam ad te ſcribit ὁ θαυμάσιος Velſerus, quæ cum iis quas ad me dedit, mihi reddita,mitto tibi, Vir Nobiliſſime. Eius opera à Republ. Auguſtana Georgii Monachi manuſcriptum impetraui chronicon.ex quo ſpero me totum fere Euſebium Græce loquentem è mortuis excitaturum. Breui illum codicem mihi redditum iri ſpero. Itaq; mirã illius Chronici editionem nunc adornamus. Græcus Procopius iam prælo à Dauide Hoeſchelio committitur. Meum manuſcriptum integros ſex annos penes ſe habuit Vulcanius.qui hanc gloriam Hoeſchelio præripere,imo huic Academiæ impertiri illam poterat. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Iam quinque menſes integros detinet me ingratus labor Indicis Inſcriptionum.A ſummo mane ad tempus cœnæ,nihil ago aliud. Ita miſere exercitum me habet hæc carnificina. Quidni enim ita vocem?Tamen multa præclara,& quæ prætermitti non debebant,quæque non niſi à perito colligi,& ſuo reddi poſſunt ordini, ſunt in illis monimentis. Hoc præſtari à me poſſe,amici mihi perſuaſerunt.Sed non ego credulus illis.Tamen victas manus dedi ; precibus eorum delinitus potius, quam vlla induſtriæ fiducia. Vale ſumme vir.Lugduni Batav. XIII.Kalend. Februar. cIↃ IↃ CII.

EPISTOLA XXIV.

IANO DOVSÆ. Quanta voluptate me affecerint literæ Georgii tui, dicerem, ſi voluptas noſtra aliquem caperet modum.Sed profecto tanta fuit, vt Vulcanus noſter narrare tibi poſſit, quanti beneficii loco habeam,me tui gaudii participem fieri. Boni patris filium

lium ſciebam, neque alium, quã eiuſcemodi patris bonum eſſe poſſe. Sed tamen, mirę me affecit indoles illa epiſtolæ, qua coniicio illum ſupra aliorum patrum filios eſſe, non vulgaris erga patrem pietatis & obſequii. Habes quo amiſſi deſiderium lenias, & in cuius caritate acquieſcas. Habebis participem otii liberalis, ſocium ſtudiorum, & columen Muſæi tui. Libri, quos adfert, ſunt bonæ notę, vt & eius indoles. Vtinã tam felix eſſẽ, vt eum hodie aduentoria exciperem. Sed quantum ex literis eius coniicio, non diutius aberit. Expectabo ergo illũ, vt ne tibi quidem patri de amore erga illũ concedã. Stephano exemplar vnũ de emẽdatione temporum Illuſtriſſimo Mauritio Landſgrauio deferendum dederã. Sed, vt, video, lentum ęſt negotium, ac lenitus maxillis comedendum eſt, ſi eius in Germaniam profectionem expecto. Aiunt enim nondum profecturum Illuſt. Ioannem Comitem. Si igitur, mi Douſa, dum ille hic reſidet, interea fieri poterit vt liber ille Landſgrauio curetur deferendus, magna ſolicitudine me liberabis, magnamque à me inibis gratiam. Oro te igitur, ni graue eſt, vt Stephanus videat, an aliqua iniri poſſit ratio, vt Comes Iohannes, eo illum deferendum curet. Meum erit alioqui hoc facere: & tamen quomodo id ſine periculo fiat non video. Hoc fac, iterum oro obſecroque. Vale mi nobiliſſime Douſa. Lugduni Batav. xv. Kal. Maias.

EPISTOLA XXV.

IANO DOVSÆ. Quantum nomen huius ſcholæ ſit, nobiliſſime Douſa, quotidie vel ex ipſo concurſu exterorum experimur. Qui hoc emporium bonarũ literarum nunquam peterent, niſi doctiores hic ſe poſſe fieri putarent. Nobis vero, qui tantum temporis hic fuimus, vt peregrini iam nobis eſſe non videamur,

de bona autem voluntate erga hanc ſcholã totamq; gentem ne genti quidem ipſi cedimus: nihil eſt antiquius, quam vt celebritati eius glorięque ſemper conſulamus. Euerardus Medicus, qui has tibi reddidit, & à doctrina mihi & à moribus cariſſimus, magno mihi ornamento & vtilitati fore huic Academiæ videtur, ſi in ea locus ei dignus vnquam eius meritis contingat. Ecce commodum nunc vacat hortus Academiæ. Qui præfectum nõ ſolum ſtirpium hiſtoriæ, ſed totius naturæ conſultiſſimũ deſiderat. Quorum vtriuſq; ita peritum hunc eaque dignum prouincia præſtamus tibi, vt non alium illius rei, quam te ferre iudicem velim. Quare dolui non ſemel, hominem & harum regionum popularem tantaque & doctrina, & cognitione rerum, & peregrinatione multa exercitatiſſimum, mihi homini Gallo, quam vobis popularibus ipſius, notiorem eſſe. Idē Dom. Iohanni Grotio & aliis iamdudum queſtus ſum. Quare in veſtra poteſtate eſt, virtutem eius amplius non ignorari, tantoq; Academiam hanc ornamento non priuari. Oro te, mi Douza, vt etiam de noſtris Philologicis compelles eum. Ni ſummum tuum expleuerit iudicium, ni maiora quã hic nomine eius ſpondeo pręſtiterit, tunc me nulli fidei habeto. Peto igitur, vt in hac cauſa ſuffragio iuuare eum velis. Nemo eſt quem pluris feceris, ſi hominem noueris. Ita ſpondeo, ita mihi affirmanti credas velim. Vale mi Nobiliſſ. Douſa. Lugduni Batauorum, VII. Eid. Quintiles.

EPISTOLA XXVI.

IANO DOVSÆ. Rem nouam quæ mihi non admirationem tantum ſed etiam dolorem attulit, celare te non potui, mi Douſa. Audio, in Conſilio veſtro, quod nuper hic habuiſtis, de admittenda Rami doctrina actũ. Atque vtinam de eo actum tantum, non etiam de-

decretum eſſet, vt accepimus. Quod ſi fit, funditus de Scholæ huius incolumitate, quæ ex omnibus Europæ Academiis dignitatem literarum ac nobiliorum ſcientiarum ſuſtinere nunc videtur, actum eſt funditus. Nam per Deum Immortalem, quid erit aliud, quam Venetorum factiones & Praſinorum inter ſe committere? Quid eſſet, ſi Theologia Pŏtificia induceretur? Putas fieri hoc poſſe, vt non ex diſſimilitudine doctrinę grauiſſimæ cōtentiones primum, mox pernicies ipſius Scholæ ſequatur? Atqui idem poſſe, & fortaſſe grauius accidere, ex doctrinæ huius nouitate ſpera, quæ non poteſt introduci ſine alterius pernicie. Quid diſſimilius quam Ariſtotelis doctrina ac Rami? quid procliuius, quam ex tam diſſimilibus duarum ſectarum inſtitutis, iurgia, rixas, ὕβρις, colophonem denique omnium, cædes oriri? Quare tuū erit, ꝓ tua prudentia, ꝓſpicere, mi Douſa, ne quid tale fiat, ſi quidem decretum eſt; aut ne decernatur, ſi propoſitum iam eſt. Ego procul tempeſtatem hanc de ſpecula proſpicio. Tuum eſt occurrere illi. Certe meum fuit conſilium, aut ſi id mauis, dolorem meum, communicare tibi. Oro autem te per ius amicitiæ, ne aliquis collegarum tuorum aut alius reſciſcat, à me tibi de hac re verba facta, aut vllam epiſtolam ſcriptam. Vale mi nobiliſſ. Douſa. Lugd. Batauor. Eid. Martiis Iulianis cIↄ Iↄxcviii.

EPISTOLA XXVII.

IANO DOVSÆ. Quam inique agatur cum Molinæo noſtro, qui tibi has reddidit, quamque iniuſtis modis eum accipiant homines omnibus bonis infenſi, malo te ex eius ore, quam ex meis literis cognoſcere. Honorarium trium menſium, quibus ab Hollandia abfuit, abiudicatum eſt ab eo, totumque tempus illud peregrinationis, quam à Curatoribus impetrauerat, imputatur

 tur

tur illi.cum tamen & eo tempore diſceſſerit, quo à lectionibus publicis ceſſatur, & ſi quæ lectiones ab eo præſtandæ erant,eas eius vice collega eius Truttius obiverit:vt neque Academia cum eo expoſtulare iure poſſit de profectione, quam cum ſuperiorum venia ſuſcepit,neque de eius munere,quo, eo abſente, functus eſt eius collega. Supereſt vt bonitate cauſſæ fretus ad Curatores confugiat, & ius ſuum obtineat. Oro te,mi Douza, vt amico noſtro communi ,eximia eruditione iuueni,optimeque de illis literis,quas profitetur, merito,pro tua virili ſuccurras. Patrem tuum ores, vt eius rei rationem habeat quantum habere opus eſt eum, qui & primas in hac Academia obtinet,& qui Molinæũ multum iuuare poteſt. Tu patrem monendo non parũ opis adferre potes.Hoc ſi feceris, & rem dignam te feceris,& mihi optatiſſimam. Vale, mi Douza, & nos ama.Lugdun. Batauorum x. Kalend. Decembris. Patri tuo,lectiſſimæ Matri tuæ,& Fratribus ſalutem dico.

EPISTOLA XXVIII.

FRANCISCO DOVZÆ F. Quam doleo vicem tuam,mi Douza.Vereor ne Chirurgus aliquid ἐδολεῤῥάφησε.Nam ita ſolent.Memini quum vlcuſculum credidi cuidam plano curandum, quod triduo conſaneſcere poterat. id vero nebulonis illius improbitate factum,vt ne duobus quidem mẽſibus curari potuerit. Certe hoc inprimis tibi animaduertendum. Nam horum morem & moras noui. Remitto ad te epiſtolas Græcas;quas cur edi nolim, alias coram, &, vt ſpero, cauſã tibi probabo.Ego numeros in reliquis emendaui. Adoleſcens quidam Burdegalenſis curabit,vt mihi quidem pollicetur,vt amici,quos habet Burdegalæ,Bibliotheas veteres Senatorum excutiant. Nam procul dubio

&

&multas adhuc&præclaras eruent,ſi quidẽ de diligentia non remittant. Nos hic multa efferimus quotidie funera,ſi quidem vobis credendum : quorum ſermone cymba Charontis turbæ Leidenſi non ſufficit. Sed non ita eſt. Frequentior enim fuit lues,quam nunc. & tamen nũc quoq; ſæuit. Sed Deũ miſerebit huius vrbis,&exercitus noſtri,in quo longe maior ſtrages. Vale,mi Douſa. Patrem,matrem, & omnem familiam, ſaluere iubeo. Lugd. Batauorum XVI. Kalend. Iuliani.

Libros περὶ ἱστορίας ζώων pluribus tibi non commendabo. Satis eſt mihi perſpecta ſedulitas tua, vel potius amor in me,& in manes parentis. Iterum vale.

EPISTOLA XXIX.

IANO DOVSAE F. Iam incipiebam tecum expoſtulare de ceſſatione tua. nam quid poteram aliud ſuſpicari, quam nos tibi excidiſſe? Sed bene eſt, quod occupaſti oſtendere,, quanti facis te omnem ſuſpicionem mihi demere de te aliquid iudicandi; quod noſtri vtriuſque intereſt ne in mentem quidem mihi veniſſe. Nam ſane ſequius de te ſuſpicari,neque indoles tua, neque fides tua toties mihi explorata, ſinunt. Sed tu quid iſthic agis? quando te redonabis nobis? an quædã καλλιπάρῃος te ibi retinet, tædetque te Βατάβικῶν formarum? Si hoc non, quid igitur credam te in illis regionibus ῥέμβεσθαι? Scito te maximo ſtudio à nobis expectari. Oro te interea,vt deſcriptio illa Græca Conſtantinopoleos,auctore Codino, edatur Græce & Latine. ſed oportet vna cum Curopalate Iunii. Multum inde in hiſtoria recentiorum Conſtantinopoleos Cæſarum iuuabimur, in qua multa ſunt ἰδιωτίζοντα, quæ ſine Curopalate temere explicari nos poſtulemus. Nihil vidi ineptius,ieiunius, falſius & impudentius libro

Clauii in Elenchum noſtrum de anno Liliano. Validiſſime confutabitur. ita vt ori ferreo per me erubeſcere liceat. Contra nihil vidi abſolutius commentario Caſauboni in Suetonium, quem tandem ante octo dies recepi. expecto libros reprehenſorum noſtrorum. Scito nos * * * * * * * * validiſſime demonſtraſſe. cuius demonſtrationis exemplaria in Gallias & Angliam miſimus. Amicorum iudicia de illo expectamus. Poſtea edemus. Magna infamia eorum & flagitium, qui nobis obtrectantur. Ab illis confeſſionem exprimemus, & niſi graue eſt, volo vt hoc dicas omnibus, quoſcunque noſti, & fide mea illis ſpondeas, me aliam editionem τῶν * * * publicaturum, ſed non tam cito. Sponde tamen. Oſtendemus plane vitium anni Iuliani, quod miror à tot millib. hominum non animaduerſum. Liber noſter De emendatione temporum imitatur motus Planetarum. nam in eius editione & celeritatem & retrogradationem diſcimus. Vno verbo dicã: tædet me lentitudinis operarum. Edetur tandem tamen. Plurima ſunt quæ non ignorari intereſt bonarum literarum. Vale mi Douza, & cito redi. XIIII. Kal. April.

Scito librum Clauii in meum Elenchum eſſe multorum. neque enim ſtilus Clauii eſt, neque vnus. Exemplar luculentum Germanici, ſed multis mendis inquinatum, eſt nunc in manibus patris tui: vna cum Manlio, cum vetere codice collato. Qui & ipſe non tanti momẽti eſt. Tamen in Germanico ſunt multi verſus, qui in excuſis deſiderantur: quanquam mendoſiſſimi, vt dixi. In procinctu ſum vt reſpondeam Clauio. quãquam non multum propero. Fratres tuos à me ſaluta.

Epi-

EPISTOLA XXX.

FLORENTI. CHRISTIANO. Non reſpondeo litteris tuis. ea eſt feſtinatio pueri, vt nō ſinat me ne illarum quidem ſuauitate frui. Tamen mitto ad te Aratum & Diras meas: ſic enim eas appello. nihil enim habent Æſchyli. quod ſcio tamen habituras, quia cenſuræ tuæ & iudicio eas committo. Nihil enim mihi gratius feceris, quā ſi pro iure amicitiæ, ea quæ placuerint, quæque contra non placuerint, ſignifices mihi. Ita enim & amicitiæ noſtræ ſatisfeceris, & mihi vltro gratiſſimum feceris. Ignoraui quid tibi acciderit ab iſtis ϛρατηγοῖς vrbanis. & profecto miror, quoties recordor. Narrauit enim omnia puer tuus. Interim tamen perfundor aliqua voluptate ex literis tuis, quæ nihil mihi ſatisfacient niſi eas toties repetam, dum ſentiam mihi ſatisfactum eſſe ex earum ſuauiſſima lectione. Videris oro, ne Dirarum quaterniones diſtrahantur. Et ſi quædam (pauca vero ſunt) inueneris quæ tibi videantur à Græca lectione diſſentire, ſcito ex noſtra correctione id eſſe. Vale.

Non habeo aliud exēplar Eumenidum. Quare peto à te vt illud quamprimum vbi vſus fueris ad me mittas. Promiſi enim alicui.

EPISTOLA XXXI.

PETRO PITHOEO. Mi Pithœe, iam cogimur nobis ipſi diſplicere: non ſolum quia iis negotiis diſtricti ſumus, per quæ non licet te videre: ſed etiam, quia in ſummis occupationibus noſtris non poſſumus non tibi moleſti eſſe. Mittimus enim ad te librum noſtrū in Appendicem Virgilianam, cum Catalectis veterū Poetarum. Qui neſcio an aliquem fructum ſtudioſis daturus ſit: tibi certe non minimum debebit, ſi eius edendi

curam

curam ſuſceperis. Non habeo enim, cui ita mea committam. Profecto non eſt quem plus diligam. ita enim mihi perſuaſi. Multos enim iſtic habeo, quos amicos mihi fecit occaſio, congreſſus quotidianus: te vnum vero deſignare poſſum quem doctrina mihi coniunxit. Quare cum te obteſtor per amicitiam noſtram, amabo, mi Pithœe, ne putes nauci: ſed tantum obteſtatio noſtra apud te valeat, quanti mihi doctrinam tuam fieri non obſcure ſentire potes. Itaque accipies librum à Pererio noſtro, & ſi quid veterum Poetarum habes ἀνέκδοτον, inſere Catalectis noſtris. Illud etiam te rogo, Sotadicum illud Petronii, vt apponas in fine Catalectorum noſtrorum ſub titulo MISCELLA PETRONI, vbi ſpatium ei reliquimus. & ſi me amas, addes aliquid commentatiunculæ tuæ ad Lectorem. Vix enim videor epiſtolam præmiſſurus. adeo faſtidimus. videro tamen. Neque enim non faciam, quod tu cenſebis. adde etiam, quod iubebis. Sed vrgendæ ſunt iſtæ operæ, ſi modo poſſunt aliquid de ignauia remittere. Qui enim à nobis olim exemplaria emebant, ipſi vltro nobis emendi ſunt. Sed vrgebis, ne nunc, quum ipſi perfugium nullum ceſſations habeant, libri mei editionem morentur. quod antea in Varrone meo factum. Seorſim in charta annotaui ordinem librorum Appendicis Virgilianæ, quem tenebunt operæ in excudendo. Id quoq; tuæ curæ erit admonere ex præſcripto illius chartæ. Carmen longum Petronii ſtatim poſt epiſtolam Lucani collocari volumus; & omnium vltima Catalecta diuerſorum Poetarum. Deinde ſeorſim coniectanea in Appendicem. Si hęc recte & ordine procurentur, nō dubito quin acceptiſſimus futurus ſit liber, præſertim iis qui hanc delicatam literaturam colunt. Sed nos vix tandem potuimus tranſcribere, ita interpellamur quotidie. Taceo ſummam penuriam librorum, per quam non

licuit totum opus exædificare: plura enim Conieсtanea addidiſſem: nam ſum hic in agro Lemouicenſi, hoc eſt ἐν Σκυθῶν ἐρημίᾳ, longe a chartis meis. Vbi, niſi fortaſſe tabularum aliquot ſchedas, nullum præterea libri nomeõ neque audio neque video. Et noſtri te non miſeret? Sed aliquando εἰς Ἀθήνας reuertemur. Tu ſimulac literas noſtras acceperis, niſi forte moleſtum eſt, ad me reſcribas velim, literaſque des Pererio. Ac ſi quid noui aut ex Italia aduectum, aut iſthic natum recens eſt, nobis ſignifices velim: vel Pererio ipſi, qui ad me deferendum curabit. De Petronio tuo etiam aliquid expecto. Danieli, quia ei non ſcribo (vereor enim ne Aureliæ ſit) quum poteris, meis verbis ſalutem mittes. Non ſoleo enim noſtros obliuiſci. Vale. Poſtridie Idus Aprilis. Fratri tuo optimo adoleſcenti plurimam ſalutem. Datum Caſtellomilani in agro Lemouicenſi. Quantum ad textum Opuſculorum, & reliqua Appendicis Virgilianæ, nihil decreui attentare. Tu tantum quæ tibi videbuntur leuiuſcula mutabis. & non niſi quæ tuto mutari poſſunt. Ego chartæ meæ quã legent operæ, notas Codicis Antuerpienſis appoſui. tamen ſunt multa quæ temere mutata ſunt à neſcio quo ***, quæ tu reſtitues. Cætera bene habent.

EPISTOLA XXXII

PETRO PITHOEO. Diu dubitaui, mi Pithœe, an is caſus, qui omnibus bonis cõmunis fuit, tequoque inter alios mihi abſtuliſſet. Nam ſuperioribus bellorum tempeſtatibus ita iactatus fui, vt cum omniũ bonarum rerum iactarum fecerim, tum & amicorum quoque maxima parte mulctatus ſim. Me miſerum, qui & illis ſuperſtes ſum; & illorum qui perierũt caſum deplorare, & me qui illis caream miſerari cogor. Tamen, quãtum

tum ego video, non ita infelix ſum, qui te ſuperſtitem habeam, quem putabam in illa naui ciuili vna cum aliis naufragium feciſſe. Bene ſit: iam ſane renatus ſum. & qui mihi pene ipſi ablatus eram, iam plus iuſta mei parte viuo, qui tibi reſt tutus ſim. Euge mi Pithœe, tot amicos perdidiſſe nō tanti ſit, quanti te vnum ſupereſſe, talem, & tantum amicum. Ne viuam, niſi te vno plus incolumi gaudeo, quam tot mortuis antehac dolui. quamuis tantum doluerim, vt præſtiterit me omnes lętitias ignoraſſe, quam tantum dolorem doluiſſe. Me ſane poſt illam omnium facultatum & fortunarum mearum deformitatem, tantum, non dicam illarum, ſed mei ipſius pertæſum eſt, vt coactus ſim ibi patriam quærere, vbi natus non ſum; eamque damnare, plus dicam, eam diris defigere, quæ me tam infelicem ſuſtulit, vt alumni rationem non haberet. Veni ergo ex illa Valētiam, hoc eſt, ex turbulentiſſimis fluctibus in tranquilliſſimum omnium virtutum & humanarum literarum portū, Iac. Cuiacium, qui me ex illa naui iam nauſeantē, omni bonorum ſtudiorum guſtu refecit, languentēque recreauit, & iam prope deploratum, imo & mihi meiſque rebus omnibus diffidentem ad lucem iterum reuocauit. Deus benefaciat optimo, & incomparabili illi viro, qui me tanta ſpe ſuſtentauit, vt nunc non dubitem ſub illo, ſi nihil aliud, ſaltem illis ipſis veſtigiis inſiſtere, quibus tu tantus Juriſconſultus ad illa penetralia iuriſprudentæ peruениſti. Vide quid de te mihi perſuaſi. Virtutem Pithœi aſſequi prorſus diffido: eo tamen duce & auctore nihil non audebo. De Catalectis noſtris idem poſſum dicere, vel potius deplorare, quod de me ipſo. in meo enim exilio, aut in militia quamdiu fui, putaui penitus intercidiſſe illa. Quid enim illa ſupereſſe oportebat, vbi ego eorum auctor & capite & fortunis ita oppugnarer, vt nihil aliud quam γῆν περὶ γῆς cogita-

ta-

tarem? Quum tamen Deus Optimus Max. me meis (quid dico meis, qui nihil habeo?) quum ergo me Deus amicis reſtituiſſet, offēdi domi iam ante biennium allatum mihi fuiſſe illum librum Pariſiis, ab amico meo Carolo Seuino. Sane non multum lætatus ſum me recepiſſe illum, cuius interitu ita non afficiebar, vt illum periiſſe, an viuere, ſuſque deque ferrem, imo & (ſi verum amas) periiſſe optarem. Nunc tamen ita mutaui ſententiam, vt me voti mei pœniteat. Auximus enim Catalecta noſtra pluſquam centum Poematiis, quæ antehac nunquam excuſa fuerunt, & quorum multa ſunt Petronii. Id quod iudicatum prius è ſtilo: poſtea & verſibus quibuſdam, qui iam editi ſunt, confirmatum fuit. Tantum ſumus φίλαυτοι in iudiciis noſtris: & ignoſces illi philautiæ, ſiue ſtultitiæ meæ. Sane luculentiſſimum Culicem, Cirim, & Ætnam, atque adeo Moretum ipſum edemus, & propediem Lugdunum ego & Iac. Cuiacius deferē⁹. Cui ego iam dicaui, & auctore illo Gryphio promiſi. Habeo & alia multa, quorum alias te certiorem faciam: Tu vero ne me cela ſi quid aut politiſſimi ingenii tui fœturę habes; aut ſi quid bono dolo tuo ſuffuratus es ex illis Cœnobiorum ſellariolis & clanculariis latebris. Expecto literas tuas quamprimum. Vide, niſi mihi reſcripſeris, maximo te piaculo obſtrinxeris, vnde neque preces, neque vota amicorum te ſoluerint. Vale, & me ama. Fratrem, Auratum, Lambinum, noſtros, & Danielem ſaluta. Valentiæ Allobrogum VIII. Kal. Quintil.

EPISTOLA XXXIII.

PETRO PITHOEO Binas à te accepi. Euge mi Pithœe, bene me ſperare iubes, quū te nihil officii prætermiſſurum erga me ſpondes. Ego bene noui ingenium tuum tam benignum, vt, etiam ſi non ea amicitia inter nos

nos intercederet, tamen non diffiderem humanitati tuæ; quam non ſolum reis, quorum patronus es, debes, ſed etiam literis, de quibus egregie meritus es. Recte mones de Pimpuntii libro: & in maximam partē gloriæ ponerem, hanc à Clar. Viro inire gratiam, niſi viderem, & parum eius intereſſe meum cum eius nomine communicari, & hoc modo editionem libri mei, cui rei maxime ſtudeo, differri vererer. Quare oro te, ne hac vna expectatione patiamur negotium frigeſcere. Vrge Pererium: ni faciat, rei repetendæ tua autoritas eſto; ſecundum eam vindicias poſtulato. An ſatis νομικῶς dixi? Volo, inquam, qui celeriter editionem præſtabit, ei vti dedatur; non qui nec præſtabit nec faciet. Amabo mi Pithœe, mihine excidiſſe *faſciculam*, pro *faſceola*? ſane præcipitem manum voces licet, quæ tám προπετῶς exarauit: ſed ingenium, quo duce exarauit, omnino excuſare non potes? tamen ſemper habui *faſceolam* in animo quũ ea ſcriberem. & neſcio quo modo ab ea obligatus ſum, ne, quod ſentiebam, ſcriberem. Sed tu διορθώσεις & hæc & alia, in quibus ſemipaganus ego volutatus ſum potius, quam verſatus. De Somnio Ouidii nihil neceſſe eſt, quum poſſit cum Ouidii libris coniungi. Nos ea tantum collegimus, quæ ſunt quaſi λείψανα autorum ſuorum Nam de Lucani Epiſtola aliud conſilium fuit, quod nunc non expono. Illud vero, *Pulchrum quod videt eſſe &c.* nunquam ſane comedie leporem: ita inlepidum eſt. Quare nunquam mihi placuit. Verſiculum Mæcenatis & Adriani, quia non integrum Epigramma eſt, nolui apponere. Quot enim tali iure poteram? At, *Debilem facito*, adhuc habeo in protographo meo: & idcirco omiſi quia imperfectum mihi videbatur. tamen quia tibi placere video, vt ponas, tibi autor ſum, quod (puto) locum habere poterit in titulo de Fortuna. De Innulo neſcio quid dicam aliud, niſi vt putes, eadem

me

me ſentire quæ tu. ita vt ſi adhuc in ea ſententia es, quãdoquidem non deterior mea eſt, atque adeo mea potius deterior, apponas margini aut in textum reponas. De verna, cuius deſiderium me ſollicitum habebat, gratiam habeo, & vt apponas in Titulo amatoriorum, etiam atque etiam rogo. Cætera marmorum epigrammata aut ſaxea aut muta exiſtimo. quorum multam ſiluam Romæ & in aliis Italiæ oppidis vidi. Quare omnia reiicimus præter vnum & alterum: quorum fuerit illud ſecundum tuum de Lyda; quo tamen in noſtris Catalectis patienter carebimus. præſertim quum extituri ſint, qui ea omnia in libellum relaturi ſint, in quo & pauca mediocria, & pauciſſima bona, & plurima mala contineri neceſſe fuerit. Vale VIII. Kal. Iul. Saluta fratrem tuum. Scripſeram iamdudum ad Lambinum; cuius literas opera tua expecto. Caue ne iſtis μώμοις pateat liber noſter. Si enim viderint; ilicet perimus. Videbunt enim quod nuſquam ſcripſi. Iterum vale. Verſus Mecænatis ſunt Ithyphallici, ita:

Debilem facito manu; debilem pede, coxa
Tuber; adſtrue gibbum: lubricos quate dentes.
Vita dum ſupereſt, bene eſt: hanc mihi vel acuta
Subdas, ſuſtineo, cruce * *

Verſus Calui ita etiam legi poteſt:

---quo credas hunc ſibi velle virum?

Nam ita legitur in Seneca. Vt ſenſus ſit, Pompeius digito caput ſcalpit, vt credas nihil aliud eſſe quam fœminam, & virum deſiderare. Tu, quem facimus Ariſtarchum noſtrarum lucubrationum, iudicato. ſed prior lectio magis placet *---quid credas hunc ſibi velle virum?* Nam per faſciam vult intelligi affectare regnum, per geſtum digiti mollem ſe profiteri, & ita aperte Marcellinus. Vale. Saluta Gifanium noſtrum.

EPISTOLA XXXIV.

PETRO PITHOEO. Dederam ad te literas poſtridie idus Apriles, ſi bene memini, quas tibi nondum redditas poſtea ſenſi; ſed, puto, vna cum iſtis accipies. In illis de libro meo ad te nonnulla ſcripſeram: quæ hic, vt repetam, cauſæ non eſſe puto. Sex quia maxima penuria librorum laboro in hac ſolitudine, (in qua & bonorum quoque hominum non magna copia eſt, nedum doctorum,) non potui ita Coniectanea mea locupletare, vt illi, quibus prouidetur in diem bona ſupellex librorum. Quare quæ inter ſcribendum non ſuccurrerant mihi, & nunc mihi ad manum ſunt, amabo, mi Pithœe, cura vt diligenter libro meo inſerantur. Primum in Catalectis mutilum diſtichon Calui in Pompeium

———digito caput vnò
Scalpit.

Illud inquam ita ſupplendum eſt:

Faſciculo qui crura ligat, digito caput vnò
Scalpit; quid credas hunc ſibi velle virum?

Quod quidem ſupplementum ex Ammiano Marcellino, qui ad hoc epigramma alluſit, diuinauimus. Deinde in Culice, vbi annotamus pro- *hirſuta per artus*, legendum eſſe - *hic ſuberis arbos*: ibi in finem annotationis appones hæc: [Si quis vulgatam lectionem retinere vult, tuebitur illam teſtimonio Ouidii, qui x 1. Metamorphoſeωn ait - *hirſutaque vertice pinus*.] Porro in iámbo illo, *Iacere me, quod alta non poſſim, &c.* vbi admonui apud Plautum *pulmoneos pedes* pro *panticoſis* poſſe ſumi, addes: [Vel Plautus *pulmoneos pedes* dixit, *tumidos*: ſicuti Plinius *pulmonea quædam poma* vocata ait, id eſt, vt ipſe interpretatur, ſtolide tumentia.] Oro te atque obteſtor,

teſtor, mi Pithœe, ne committas vt hæc tibi excidant, ſed pro tua prudentia, ita vti reponenda erunt, cura diligenter. Deinde iſtos ἀμβολιεργοὺς vrge, qui in diem differunt editiones bonorum librorum: qui, vt vos reos, ita illi me comperendinando excruciant. Si enim hunc librum non mitius acceperint, quam antea Varronem meum, iam proculdubio hæc vis erit. Sed libera nos metu, & de toto negotio vt geſtum fuerit, celeriter mihi reſcribito. Vale. Datum Caſtromilani in Marca Lemovicenſi. Pridie Nonas Maii.

Epistola XXXV.

Isacio Casavbono. Eximia eruditio tua, mi Caſaubone, expreſſit à me primum admirationem tui, deinde etiam amorem. Quem ſi non, vti debeo, palam & apud omnes profitear, malignus ſim æſtimator non ſolum tui, ſed etiam literarum, quæ in hac ſenectute ſtudiorum, & pene interitu ſuo te vindicem vnicum nactæ ſunt, à quo dignitati & vigori priſtino reſtituantur. Quum primum mihi ſaliuam mouiſſent Theophraſtei characteres tui, dicam ſerio, de poteſtate mei exiui, neque me continere potui, quin ea de te prædicarem, quæ & meritum tuum, & amor meus poſtulabant: quanquam quicquid de te dixero, omne infra virtutes ingenii tui fuerit. Quantum enim memoria repetere poſſum omnes, qui de literis bene meruerunt, nullus ſuccurrit, qui aut meliora quam tu præſtiterit, aut de quo præſtantiora ſperare poſſimus. Sic mihi perſuaſi: neque me fallit opinio mea. Omnia me tua delectant, eruditio, iudicium, oratio. Nihil eorum prædicauero quin prius laudauero. Ceteri fortaſſe, qui meliore iudicio ſunt, plura dixerint de te, vt faciunt; ſed præcipua laudum tuarum nemo libentius commemorauerit

rit quam ego. in quo ſi mihi indulgere videor, non tāmen tibi adulabor. Neque enim is ſum, qui in laudandis aliis officii aut exiſtimationis meæ obliuiſcar. Nos vero, qui nihil vnquam niſi abortiuum edere potuimus, nihil aliud quam veſtigia tua premere poſſumus, & quę à nobis infeliciter tentata, ea tibi explicanda relinquere. Tuum enim eſt hoc facere, non eorum, qui ab omni doctrina & humanitate imparati, noſtra potius carpunt, quam corrigunt. Dignitas earum literarum, quas illuſtrandas ſuſceperamus, fecit, vt omne quod ſcripſimus, curioſe rimari ſint aduerſarii. ærugo autem & maleuolentia eorum, vt aliouorſum, ac à me ſcripta ſunt, accipiantur. Sed tu quantum ab eruditione potes in illis animaduertendis, tantum ab æquanimitate poteris in excuſandis. Deſultoria enim ſemper fuit vita noſtra, neque vllo loco me conſiſtere paſſa eſt ſiue infelicitas mea, ſiue vis maior; ita vt optimum ſtudiorum coagulum otium mihi ſemper defuerit. Deinde & illa, quam in te non agnoſco, ὀψιμάθεια καὶ αὐτοδιδαξία, facile mihi parabunt patrocinium, quod ab hoſtibus exſpectare non poſſum, qui mihi obtrectant, non ob eam, quæ in me eſt, ſed quam in me hariolantur eſſe, virtutem. At hæc querela erat alius loci & temporis. Tu, mi Caſaubone, fac, vt amicitia tua nobis pateat, ad cuius aditum vſque nos admiratio tui deduxit. Si quis eſt, qui in eam admitti, & non poſtremum in ea locum habere debet, is ego ſum. Strabonem, Athenæum, Suetonium tuos, auidiſſime exſpecto. Quicquid ex ingenio tuo prodibit, erit plane τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. Binas à te accepi literas, pene eodem tempore; quarum prioribus quum heri reſpondere vellẽ, alteræ me in ipſo articulo oppreſſerunt. Vtinam plures accipiam! Vale.

Lugduni Batauorum. Nonis Maii

cIɔ Iɔ xciv.

EPISTOLA XXXVI.

ISACIO CASAVBONO. Trinas à te accepi literas; & iam priuſquam poſtremas acciperem, binis prioribus reſponderam vnica epiſtola, quam Thomſonio noſtro in Angliam proficiſcenti dedi: iſque in ſe recepit illam tuto tibi redditum iri. Nunc ſi illa in manus tuas peruenit; ſin autem, ſcito me officio non defuiſſe. Neque enim committam, vt in ſcribendo omiſſior tibi videar: quandoquidem non alio monitore mihi opus eſt, quam illo, quo te amplector, ſingulari amore meo, per quem mihi non licet eſſe negligenti: quanquam non ſum ignarus quanto cum periculo committantur literæ noſtræ propter & longinquum & præcipue latrociniis infeſtum iter. Quod ſi ſerius noſtræ literæ alterutri deferuntur, fruſtra id inter nos expoſtulemus, quum illæ, quas dixi, neceſſitates & impedimenta hoc ſatis excuſent. Poſtrema tua epiſtola narrabas ἀκροβολισμὸν tuum cum inſectatore nominis mei. Agnoſco antiquú morbum hominis. neque enim nunc primum mihi obtrectari incipit: neque vni, quum olim omnibus ſui diſſimilibus par bellum indixerit. Quod ſi omnibus rupicibus & Marrucinis reſpondere vellem, nulla finis futura eſſet; & bonarú horarum, quas melius collocarim, iacturam fecerim. Nunc quum me à te diligi ſciam, quid eſt, cur me horum latratibus appeti doleam? Valeant, inuideant, allatrent. Ego eorum mucronibus magís perſtringi me, quam pungi ſentio. Satis mihi eſt me à probis, doctis & ingenuis amari: quibus valde diſſimiles eſſe oportet, qui me oderint. Sed tibi, mi Caſaubone, multos optimos viros amicos peperit virtus tua: in quibus Douzas patrem & filium præcipuos habes; & alios, quos referre non eſt opus. De ſtudiis noſtris, nihil

dum certi ſtatuimus. Bibiothecam enim meam in Gallia tribus locis diſſipatam reliqui; neque magis mihi conſtat quando eam videbo, quam quantum hic manendum mihi ſit. Biennio enim Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ me oppugnarunt: & quum fruſtra id tentarent, literas à Rege elicuerunt, quibus me expugnarent, & huc pellicerent, nihil aliud à me exigentes, quã vt in hac vrbe maneam, & præſentiam meam commodem. Fui ergo literis Regis de conſtantia propoſiti labefactatus. Sed hoc cœlum paulo inclementius experior, quam vt hæc ætas illi aſſuefieri poſſit. Etiam cum morbis mihi negotium eſt; quos metus eſt ingraueſcere potius, quam leniri poſſe, quamdiu hic manſero: & tamen ante viginti dies omnes iuuenes de integritate & agilitate membrorum prouocabam. Mitto ad te Cyclometricum noſtrum, cum Meſolabio. Mittam & alia quædam propediem. Vale. Lugduni Batauorum VIII. Eidus Iulias, forma veteri.

Puto te meas iam accepiſſe, & Bezam, & Golardum. Omnibus enim ſcripſi: quos, niſi graue eſt, cum reliquis collegis à me ſaluta.

EPISTOLA XXXVII.

ISACIO CASAVBONO. Gaudeo meas literas tibi redditas eſſe, & à Wultone Anglo ſatisfactum. Non ſine ope Thomſonis hoc tibi contigit; neque ſine voluptate eius fore ſpero. Sed mirum fuit ἕρμαιον illud de poſterioribus meis literis, quod eas tam inopinatus caſus tibi in manus obtulerit. De me quid ſcribam, aut quid non ſcribam, neſcio. Homines περίεργοι καὶ κακοήθεις me pro Theatro habent: in quo petulantiæ ſuæ mimum agant. Nullæ feriæ Francofurdienſes præteribunt ſine aliquo horribili & ſacro in me libello.

bello. atque ita ἀεὶ Λιβύη τι καινόν. Cyclometrica mea fuerunt σφηκίας ἐρεθισμός. Omne ἑσμὸν forum excalfecimus. Omnium fucorum & crabronum examina in me coëunt. Sed eluctandum eſt, οὐ πο ἐκκακητέον. Certum eſt nos * * * ἐπιστημονικῶς demonſtrare; quem maleuoli noſtri agnoſcent tandem cum flagitio. De illis plauſibus & Lauſannenſium iubilationibus, quod ſcribis, nihil dum comminiſci quiui: niſi fortaſſe intelligis librum Lucumonis, hoc eſt partum elephantinum, quem ille hominum, quantum eſt, κακοηθέστατος tam multos annos in me parturit: quamuis ſciat me opus noſtrum De emendatione temporum ſub prælo habere, quod opus eſt illi ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν. Scito me hoc de me vere pronuntiare ſolitum. Nemo in me hactenus ſcripſit, qui non aut demens aut ignarus, aut ſceleſtus fuerit; aut ſane tribus his ſimul virtutibus exornatus. Sed, vt dixi, πταίσομεν, ἀχνύμενοί περ. Quid? patieris has proximas Nundinas κορυβαντιασμοὺς ſolos maleuolorum noſtrorum dare; & tuus Suetonius & Athenæus in alia ſpectacula differetur? Noli nos, amabo, diutius expectatione torquere. At mihi dolet, quod nihil nunc ad manum, quo tuum Suetonium iuuem. quanquam qua ope illi opus, quam à te expectare non poſſit? Tamen ad quæſita tua conabor ἐπιψηφίζειν. *Pueritiam habuit exercitatam & luxurioſam.* Eleganter, hoc eſt, deſultoriam, & licentius euagantem. Et ſcis in alia transferri. In Caligula lego indubitate: *ne quis reſpondere poßit præter eum.* Vox tyrannica, ſed ſatis acuta: ſe ſublaturum Iuriſconſultos, ita vt ipſius voluntas ſit pro iure, & nemo ſuperſit, qui conſulatur, præter eum, hoc eſt Caligulam. Ibidem: *decimas maturius dabat.* intelligit, niſi fallor, ἐπινέμησιν Theatralem, ſparſiones nummorum & miſſilium: quæ ſuppeditabantur ex neſcio qua exactione decimarum, quæ ſparſioni nummorum theatrali

dicatæ erant, vt legimus *Locar* ſiue *Lucar* dicatum fuiſſe mercedulæ Hiſtrionum. Vide an in Xiphilini Domitiano σφαιεία hunc locum illuſtrare poſſint. Hactenus enim poſt longum tempus id memini. Neque aliud adferre poſſum, quum librum non habeam, neque vlla præſidia ſtudiorum mecum ex Gallia detulerim. *Aſticos ludos* lego, non *Haſticos.* Ἀςικὸ ἀγῶνος, inſtar eius, qui Athenis ἐν ἄςει, in pleriſque Græciæ ciuitatibus, cuius meminerunt veteres. & neſcio quid tale in Cornelio Tacito. *Quid? Thelegonius tibi videor.* Placuit diu *Thelygynnis*, Θηλύγυνις. Sed videtur *Thelegonius* nomen hominis illo ſæculo notæ fatuitatis: neque dubito verum eſſe, quanquam fortaſſis variari potuit in nomine. *Mitellita* conſtanter in omnibus melioribus manuſcriptis extat. Tametſi neſcimus cauſam, aut ἔτυμον nominis, tamen propter conſtantem librorum conſenſum retinendum. Reliqua, *ab Syrtro*, mihi ſuſpecta. Sed quid occupationes tuas moror? Vale & omnes veteres amicos noſtros ſaluta: in quorum collegium vti olim ego adoptarer tam indignus fui propter imperitiam, quam Lucumo Lauſanenſis propter leuitatem, ne quid aſperius, id eſt, verius dicam. Pridie Kalend. Septembris.

EPISTOLA XXXVIII.

ISACIO CASAVBONO. Quod binis literis ad omnes tuas reſponderim, poſterioribus ad te ſignificaui. Eas Commelini noſtri obliuione an negligentia periiſſe, ex tuis vltimis, quas nudiuſtertius tantum accepi, & cognoui & dolui. Intereſt enim mea, quam creberrime apud te & amoris mei & officii teſtimonium extare. Quod ſi poſſé aut eorũ quibus meas trado, culpam aut calamitatem præſtare, quæ extra illorum culpam, præſertim his miſerrimis temporibus, interuenire

ſolet;

ſolet; cauſæ non eſſet, quin tibi ſupplicium darem, qui literas commiſiſſem homini, cuius diligentiam parum ſpectatam haberem: nunc quum ei commiſerim, qui plurimum & tua cauſa & mea velit, hãc literarum amiſſionem infelicitatem potius noſtram quam amici incuriam interpretabimur; præſertim quum ille ἐπικινδυνώως ægrotauerit, vt ex morbo ingens ſurditas conſecuta ſit. ſi quidem amici Heidelbega verum ſcripſerunt, ab eo nihil auditi, niſi quod Stentorea vox homini in aurem intonuerit. Apologiam tuam, vel potius meam, Wultonus mihi nuper reddidit. Quid mi Caſaubone, parum eſt te de me priuatim bene meritum eſſe, niſi etiam me hoc publico beneficio onerares? Ecquam gratiam à me vno ſperare potes, quam ómnes tibi referre debent? Honos in vnum collatus eſt; beneficium ad omnes peruenit. Tamen & honoris, quo me indignum fateor, & beneficii, quod cum publica vtilitate coniunctum eſſe voluiſti, & publico nomine, & meo gratias ago. Pari liberalitate fortaſſe te prouocarim, niſi verear, ne χρύσεα χαλκείων. Sed de his alias. Tuæ vero in Apologiam lucubrationes eo magis me oblectarunt, quod, vt taceam nihil me apud eam legiſſe, niſi Caſaubono dignum, deprehendi meam de coniungenda Apologia ſententiam à te confirmatam eſſe; quod vulgus ex vna Oratione duas Apologias effecerat. Triginta & amplius anni ſunt, quũ admodum iuuenis illam Orationem à me emendatam Pictauiis edere decreueram: ſed editionem eadem calamitas, quę & reliquorum meorum ſtudiorum curſum interpellauit. De Strabone etiam gratiam habeo, quem propediem totum deuorabo. Puto te & Cyclometrica mea, & Epiſtolam de Vita patris mei accepiſſe. Habebis etiam Canonem Hippolyti Epiſcopi, & Appendicem ad Cyclometrica noſtra, quum primum nactus fuero, cui tuto committam. Epigrammation in Suetonium

 mitto,

mitto, non quod te dignum ſit, ſed quia à me exegiſti. Literas tuas ad Wultonum Anglum, & Thomſonium ſedulo perferendas curabo. Vale, mi Caſaubone; καὶ μὲ φιλοῦντα φίλει. Lugduni Batauorum XII. Kalend. Decemb. cIↄIↄXCIIII.

Imperii procerum, Tranquilli tradita libris,
Geſta, vetuſtatis obſoluere ſitu.
Cæſaribus patriam dederat, nomenque, genusque
Tranquillus lucem reddidit Iſacius.
Tradere res æuo memori, non vltima laus eſt:
Cæſaribus lucem reddere, Cæſareum eſt.

EPISTOLA XXXIX.

ISACIO CASAVBONO. Non te diutius tenebo: multis enim negotiis diſtrictus ſum, per quæ neque tibi longiores, neque vllas ad Bezam & Golartium noſtros dare poſſum: quum vobis omnibus non dudum ſcripſerim, quum literas tuas ad Wultonium & Thomſonem in Britanniam miſi. Ego ipſi Thomſoni de tuo negotio latus iterum fodicaui: de Wultonio appellando. vt & hominẽ lentitudinis admoneat, & te hac cura, in quam ille te, vel potius ἀνχίνοια benignitas tua coniecit, liberet. Suboluit enim de tota re. Nam non raro hariolamur. & hic ſane fuit quædam εὐστοχία anea. Buzenualius legatus regis omnia vult tua cauſa, & te geſtat in ore. Is etiam pro te Britanniam literas ad amicos ſuos, quibus notus eſt Wultonius, dedit. Per nos non ſtabit, mi Caſaubone, quin tibi ſatisfiat, & (ſi opus eſt) etiam pipulo flagitabimus. Non dubito quin iam acceperis, quas antea tibi ſcripſi, Bezæ, & Golartio. Certe Thomſoni negotium dedi. neque puto deerit officio ſuo. Ego illis prioribus gratias egi, quas potui vtique, non quas debui, de tuo illuſtri munere. Apologiam dico Apuleianam;

nam; de Strabone; & quod ſupereminet omnia, de tuo in nos ſingulari amore. Epigrammation ſubieceram in tuum Suetonium, quod quamuis non eſt nauci, tamen quia ita tibi viſum eſt à me nugas exigere, habe tibi quicquid eſt, qualecunque. Vale. Lugduni Batauor. Kal. Februar. ſtylo nouo cIↃ Ic.xcv.

EPISTOLA XL.

ISACIO CASAVBONO. Ante octó dies tantum accepi eruditiſſimum Commentarium tuum in Suetonium. Nihil vidi abſolutius in eo genere. neque hactenus quicquam mihi contigit in eo legere ſine ſumma admiratione. Ego te harum literarum principem & iudico & profiteor: neque aliter dicent, quorum iudiciis liuor non obſtat. O vtinam vna eſſemus, quod quidẽ ego iam diu molitus ſum; & quidem hactenus, quanquam fruſtra, tamen non ſine aliqua ſpe reliqua. Literæ quas hodie mane Lutetia accepi, aliquam ſpem faciunt aduentus tui Lutetiam. Si quidem hoc verum eſt, nunquã te pœnitebit profectionis tuæ. Quamuis enim iam omnis doctrina conclamata eſt, tamen ſuperſunt quædam illius aurei ſæculi reliquiæ, quæ te ibi retinere poſſint. De libro noſtro De Emendatione temporum, quid tibi dicam? Lentum plane negotium. Neque vero illam editionem aliter vocauero, quam παλιγγενεσίαν. Totus enim ab integro interpolatus eſt. An morſus hominum Marrucinorum effugiet, id vero non auſim affirmare. Hoc autem certo promitto, bonis viris opus noſtrum placiturum. Cyclometrica omnia recudemus. Sed non eſt properandum. Properantiæ enim meæ pœnas luo, propter quam tot nebulonum obtrectationibus me obieci. Sed ingenue fateor, Deũ hanc ἀναισθησίαν & quaſi νάρκην immiſiſſe caſtigandæ ſecuritati meæ.

Vtinam

Vtinam is candor eſſet reprehenſoribus laborum meorum qui eſt mihi! Modeſtius mecum agerent quam faciunt. Hoc vnum me cōſolatur, validiſſime nos demonſtraturos, id, quod propoſuimus, circulum eſſe æqualem ſex quintis Hexagoni in ipſum inſcripti. Non poteſt dici, quanta inuidia laboremus. Sed de his alias. In Claudio Suetonii TELEGENNIVS, vt eſt in melioribus manuſcriptis, eſt nomen celeberrimi & notiſſimi tunc in vrbe ſtulti. Nā TELEGENNIA gens fuit. Lapis vetus; DIS. MANIBVS C. TELEGENNI. OPTATI. Neq; dubito quin ea ſit vera lectio. De Athenæo fidem libera. Et vale mi Caſaubone, ac nos ama. Lugduni Batauorum XIIII. Kal. Apr. CIↃIↃXCVI. Strenue reſpondebimus Clauio. Sed oblitus ſum indicare, quid ſententiæ meæ fuerit ſemper de loco Suetonii ſuper hora & tempore ortus Augusti Cæſaris. Ait natum IX. Kalen. Octobris paulo ante ſolis exortum. Alibi dicit eius horoſcopū eſſe Capricornum. Hæc ſunt τῶν ἀδυνάτων. Nā multo tempore ante natum Octauium, ac reformationem Faſtorum & editionē anni Iuliani, XXIII. Septembris incidebat in Iulium hodiernum. Ergo Auguſtus natus Cancro horoſcopante non Capricorno. Hoc certo certius, ſi quidem natus eſt ante exortū, aut exortu ipſo Solis. Quomodo igitur Capricorno horoſcopante? Nam nummi ſignati nota Capricorni, qui & hodie plurimi extāt, fidem faciunt rei. Quid dicemus igitur? Semper hæc fuit ſuſpicio mea, Auguſtum Sole Occidente natum. Nam quandiu Sol Cancrum obtinet, eo occidente, oritur ἀκρονύχως Capricornus. Hæc eſt vetus ſuſpicio mea: quæ nuper confirmata eſt verſibus nondum editis ex Arateis Germanici Cæſaris. in quibus plane γένεσις Auguſti eſt ἀκρόνυχος, oriente Capricorno. Hic eſt fructus doctrinæ meæ de emendatione temporum: qua duce mira in eo genere deteximus. Quid tui ſit iudicii

de

de illo loco Suetonii, libenter ex te audiuerim, niſi graue eſt. Vale iterum, mi Caſaubone, & nos ama.

EPISTOLA XLI.

ISACIO CASAVBONO. Literas, quas ad me Nundinis vernalibus miſiſti, non accepi. Quum enim is cui dederas, ab hoſtibus captus, mox redemptus, literas quas à vobis habebat, oraret ſibi reddi, illæ in conſpectu eius laceratæ ſunt. Ea eſt humanitas iſtorum zelotarum, vt ne chartæ quidem parcant. Golartius noſter vna opera nos & mœrore & lætitia afficit de tuo morbo, & de repentina reſtitutione. Quare alloquor te tanquam ἐκ παλιγγενεσίας. Opto, vt hoc vno periculo omnibus perfunctus ſis; & ſeruatus, ſerues eas, quæ ad te confugiunt, humaniores literas; quæque in hac vltima ſenectute ſua ſolam vitam ſe ſpirare putant quam tu viuis. Tua omnia mihi cariſſima ſunt: totus ſum in tuarum lucubrationũ lectione. Ab illis, & mihi fructus literarum omnis, & voluptas lectionis. Neque falſus iudicii de Suetonio tuo. Idẽ ad me ſcripſit nuper Clariſſimus Iuſtus Lipſius, qui tribus verbis de illo opere tuo ponuntiauit, quod à me pro dignitate pluribus non poteſt. Idem ſperamus de Athenæo: quem ideo nobis debes, non ſolum quia pollicitus, ſed etiam quia præter te, qui illum auctorem in integrum reſtituere poſſit, habemus neminem. Vtinam te iuuare poſſem, quod à me exigis: ſed neque ſunt eæ vires noſtræ, neque vllos libros nobiſcum hinc ex Gallia detulimus. Præterea multa deſunt, quæ ex manuſcriptis ſuppleta à me memini libro generoſiſſimi ac μακαρίτου Lud. Caſtanæi. Itaque fieri poſſet, vt quædam corrigenda putarem, vbi vna vocula ex manuſcripto ſuppleta ſententiam planam redderet. Scis, quam periculoſa ſit hæc alea. Tamen non deſperandum eſt, poſſe in

verſibus

verſibus poetarum multa feliciter emendari, etiam ſine ope codicum ſcriptorum. & memini me multa talia in libris amicorum [illegible] eſtituiſſe. De conditione Mompelienſi non eſt q[illegible] dubites illi tuam præferendam, niſi forte adeo ἐμφιλοχωρεῖς. Certe & tranquillior & longe melior, à cœlo, ab hominum moribus, ab omni denique commoditate. Si meis auſpiciis vitam meam ducerem, illum ſolum nidum ſenectæ mihi optarem. Tibi ego nihil ſuadeo, qui per te ſapis. ſed mei animi ſenſum tibi aperio: quod quidem neutri noſtrum fraudi eſſe putem. Meis libris De emendatione temporũ anima hac editione addita eſſe videtur. Eadem eſt doctrina, quæ ſuperioris editionis: ſed, quod in actionibus dicebatur, de eadem re alio modo Nondum tamen illi operi maturo eſſe per multas cauſas licet. Pręcipuę ſunt moles & difficultas editionis à literis peregrinis. Quemadmodum Dei ſumma clementia conſecuti ſumus, vt tantum opus longe melius effecerimus, ita ſperamus de Cyclometricis noſtris, quorum imbecillas demonſtrationes omnino damnamus. Ipſum autem τετραγωνισμὸν non aliud eſſe, quam quod diximus, validiſſimis contra omnes etiã doctorum hominum oblatrationes demonſtrationibus conuincemus. Multa prodibunt in nos his autumnalibus nundinis. ſed in quæ iam ἐπηλειφόμεθα. Vale mi Caſaubone, ac nos ama XVIII. Kal. Septembris Iuliani CIↃ IↃ XCVI.

Epistola XLII.

Isacio Casavbono. Et literas tuas, poſtquam ſcriptæ ſunt; & Suetoniũ minoris formæ poſt literas tuas longo interuallo accepi. Et harum & illius nomine maximas tibi gratias ago. Nuper vero ab amicis accepimus te in Volcis Arecomicis lares poſuiſſe. Quid meæ ſenten-

ſententiæ eſſet, quod ex me ſcire auebas, tametſi non plane profiteri auſus eram, tamen ad animum tuum migraturientem non paruum protelum fuiſſe illas meas vltimas lit eras ſentio. *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet.* non te pœnitebit inſtituti, ſiue voluntatem tuam ſecutus es, ſiue conſilio meo paruiſti. Vtinam liceret mihi res meas cõponere ex ſententia mea. Vnum ciuem donarem Magalonenſibus veſtris. Sed iamdudum intelligo me mihi natum non eſſe; ne meas quidẽ res mihi natas. Nam quid de illo homine iudicare debes, qui in Nitiobrigibus prædia ſua habet, in Turonibus libros, in Batauis larem? qui totfariam diſtractus eſt, nuſpiam integer eſſe poteſt. Domum habeo, inquilinus ſum. Bibliothecam habeo, alienis libris vtor. Nobilis ſum, dubitatur, contradicitur. Dedi operam literis, ignariſſimus ſum, & omnis eruditionis alieniſſimus. Ne quæras alios teſtes. Hoc dicunt omnes qui volunt id eſſe, quod negant nos eſſe. Sed ad te redeo, qui Arecomicos Allobrogibus prætuliſti. ἀγαθῇ τύχῃ. Ego interea hic ῥητορεύοντας βατράχους audiam, dum te perſtrepent luſciniæ. Nam illæ Dauliades nunquam in hanc palæſtram aduolarunt hactenus. Quare triennium ſolidum illarum querelas deſideramus. Me nubila hic intra parietes ſummouent: te in media hyeme ſudum aeris & amœna camporum oblectabunt. Quid quæris? Inuideo tibi. Cæterum de hac humaniſſima gente quod querar, cauſæ non eſt. Eorum hominum comitas facit, ne in his horridiorib. tractibus vllam amœnitatem mei Garumnæ deſiderem. Et quantum video, me component, ſiquidem illi ſummo Parenti omnium placet. Nam ille ſolus dirigit vela noſtra. interea ſeneſcimus. Ad incommoda quæ adfert ætas, accedit huius cœli inclementia, ne vno itinere ad mortem properemus. Quotidie noui inimici ſuccreſcũt: veteres amici abeunt.

EPISTOLA XLVII.

ISACIO CASAVBONO. Literis tuis omnibus reſpōdi: & ne illis accideret, quod alias contigerat, ſedulo caui. Diuerſis.n.itineribus literas meas direxi. Vt quanquam ſero, tuto tamen ad te deferrentur. Nam & in Angliam Thomſoni miſi. qui non ſolum curaturum ſe, vt tuto ad te perferrentur, promiſit, ſed aliis poſtea literis totam à ſe rem confectam ſignificauit. Alteras præterea Francofurtum, cum Canone Hippolyti Epiſcopi miſi. Neq; illis contentus, tertias, ne officio deeſſe viderer, adieci. Omnibus, vt & iſtis, gratias immortales de munere tuo eximio, tibi egi: quo me & memoriam meā proſecutus es, & vna opera conditionem tuam & amicitiam meā poſteritati teſtatam reliquiſti: qui tāti feceris amicitiā noſtrā, vt eam cum doctrinæ tuæ teſtimonio coniunctam eſſe volueris. Ago, inq̃, tibi gratias, mi Caſaubone. Vnicus mihi ſupereſt gratus animus, quo me à nemine ſuperari patiar: præterea ingenuitas, qua quotidie me ſum̄um eruditionis & virtutis tuæ admiratorem profiteor. De Wultone illo tuo ſatis tibi illis omnibus literis ſcripſi. Scito enim negotium hoc non ſolum mihi, & Thomſoni, ſed aliis quoque ſum̄is viris, qui te de doctrina tantum tua norint, curæ fuiſſe. Hominem iſtum ἀγνώμονα quibus maxime potuerūt modis acriter appellarunt. Et ſane, vt nuper mihi ſcripſit Thomſon, pipulo prouocatur. Neq; enim aliter ἀγνωμοσύνην hominis mouere potuit. Et totus in eo eſt Thomſon, vt omnib. modis ab eo exigat, quo tibi plane ſatisfiat. Et faciet, vt ſpero. Nūquā ad eum ſcribo, quin illi hoc negocium com̄endem. Speramus in diem, luculentum Suetonium tuum ꝓditurū. Ego in eum authorem nihil habeo quo poſſim eruditas lucubrationes tuas iuuare. Si quid inter legendum in illum animaduertimus, id chartæ com̄endatum eſt, non

memoriæ meæ. Sed libros omnes in Gallia reliquimus. Noſtrum opus De emẽdatione temporum cuditur, ſed βραδέως procedimus. Et ſane lentum eſt negotium. Puto me inueniſſe modum, quo & rei tuæ familiari, & ſtudiorum tuorum otio conſulatur, ſi poſſim parere, quod iam parturio: ſi hoc fit, ſcribam ad te Auguſto menſe. Si hoc decolaſſit, aliud μηχανήσομαι, quod priore ſaltem deterius non erit. Sed nihil ſignificabo, donec rem totam plane curauero. Scito enim, te mihi non ſolum carum ſed & curæ eſſe. Vale, mi Caſauboni; & eum, qui ſe amore in te vinci non patitur, ama. Lugd. Batauorum, III. Non. Iulias.

EPISTOLA XLVIII.

ISACIO CASAVBONO. Athenæum μηχανικῶν, cum literis tuis miſit ad me nuper ampliſſ. Senator I. Gillotius: quas vero alteras ad me dediſſe ſcribis, nullas accepi. Scito autem me non ſolum Athenæum, ſed Cteſibium, Bitonem cum Philonis Byzantini De re militari, & mechanicis Iulii Africani neſcio cuius habere. Quod opus magnum, fruſto panis quæſiuit olim Hieronymus Commelinus Lutetiæ. Quem hominem nullus bonus liber fugere poterat vbicumque lateret, tanto odore erat ad eiuſmodi res veſtigandas. Itaq; poſt mortem eius gentilis eius Iohannes Commelinus, ingentem ſyntheſim manuſcriptorum codicum, quos ille Lutetiæ conquiſiuerat, nactus, huius voluminis & aliorum mihi copiam fecit. Videbis autem inſtar eius voluminis Lutetiæ apud Lud. Seruinum Aduocatum Fiſcalem, virum doctiſſimum: ſi quidem non mentiuntur qui hoc mihi retulerunt. Intereſſet Reipublicæ literariæ eos ſcriptores edi, ſi per huius ſæculi faſtidium liceret, in quo bonarum literarum, vt & virtutum & morum pernicies in diem ſuboleſcit. Magnum vero [illegible]-

μα

μα in illis ſcriptoribus animaduerto, quod figuræ non reſpondent demonſtrationibus aut deſignationibus auctorum. Literæ præterea, quæ in contextu ſunt, quibus tanquam indicibus demonſtrationes omnes deſignantur, eæ non adhibitæ ſunt figuris. Itaque inutilis prorſus labor eſt ille, quicunque in comparandis demonſtrationibus cum figuris impendetur. Audio tuas in Athenæum Notas, Lutetiæ excudi, quod & poſtea etiam ex tuis vltimis cognoui. Nil niſi magnum & te dignum à te expectamus. Senatus Pariſienſis, inprimis proceres & primarii Senatores, nihil non mouent, vt literarum intermortua ſtudia ſuſcitentur: quo nomine decretum eſt te illuc vocare. quod ſi fiat, (& fiet, vt puto) triumpho. Vicinum enim te habebo. quid ni enim, cui in dié ſcribere, & à quo literas accipere ſæpius potero? Scripſit ad me Florentia Thomſon noſter, ſe inuitum illic detineri, vbi nihil videre ſe, quo patriam deſerere cogeretur: neque vſpiam frigere magis bona ſtudia, atque adeo literatos ipſos. Addit ſe Photii Lexicon vidiſſe, ex quo non leuem fructum perceperit. Ego quoq; videor mihi non inutiliter poſſe Zonaræ Lexicon tractare, quod eſt in libris ſoceri tui, ſi per te & affinem tuum Paulum Stephanum eius vſura breuis mihi contingat. De qua re tibi nuper ſcripſi, quum tibi meum opus De emendatione temporum miſi. Idem adhuc rogo, & à te contendo, ſiquidem impetrabile eſt: ſin aliter, verbum non amplius addo. Vale, mi Caſaubone. Lugduni Batauorum, IV Nonas Auguſti Iulianas CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA XLIX.

ISACIO CASAVBONO. Ecce commodum accepi tuas Lutetiæ datas; quum in eo eſſem, vt nouas à te eli-

elicerem, Gratulor ergo mihi, te hanc operam præuertiſſe. Nunq̃ enim ſatur literarum tuarũ eſſe poſſum. Quum illę preſto non adſunt, confero me ad tua pręclara ſcripta, & quotidie tibi μανθάνειν. Puta te videre illũ quem baculo Cynic⁹ non potuit eiicere à Schola. Multos, mi Caſaubone, habes amatores doctrinæ tuæ, plures quotidie in prædicatione virtutum tuarũ ſuccreſcũt. Omnes mecum paria faciunt: verũ in amore nemo me vicerit. Certe nemini concedam. Gratulor tibi de cõditione Pariſienſi, ſi quidem firmam putas fore. cui tei ſpero non defuturos proceres ampliſſimi ordinis. qui tui ſtudioſi adeo non eſſent, niſi & literarum eſſent. Et ſane nuſq̃ tecum melius agetur, quã ſi inter illos degere potes, qui ex naufragio & ſenio literarũ ſoli ſuperſunt, non tantum Senatus ſui, ſed & omnium bonarum artiũ ornamenta. Vbi ſemel eorum familiarib. congreſſib. vti licebit, vix tibi credes, tot tantorumq; heroum fecundam eſſe Galliam: vt deſperatis rebus literarum, ex illis traducib. literæ in totã Europam ꝓpagari poſſint. De meo De emẽdatione temporũ opere, ô amice magne, vereor, ne amor quædam à te expreſſerit, quæ à me abeſſe & fateor, & doleo. Sed, vt dixi, amori tuo hæc concedo. Si videris aliquando me numerũ ꝓ numero ponere, quæ Hipparchus παροράματα, non ἁμαρτήματα vocat, oro te pro æquanimitate tua illa corrigas. Hæc.n. communia ſunt omnib. qui tam longos ἐπιλογισμοὺς tractant. Sed aſini non fatebuntur: qui hæc omnia, & omnem humanitatem morum & literarum ignorant. De Lexico Zonaræ εὐφήμει. non tibi diffidebam, ſed affini tuo, qui fortaſſe me non nouit. Sed putaui, quia aliquid de bonis ſoceri ad te pertinet, te iure tuo id poſſe excipere, aut concedi à cohæredibus: ſin aliter, orabam te, vt impetrares à Paulo Stephano. Fortaſſe ſunt ἄνθρακες θησαυρός. Vellem tamen aliquot dies eius copiam mihi fieri; idq; vt per te etiam admi-

adminiſtretur, oro atque etiam oro. Vale, mi Caſaubone. Lugduni Batauorum, vi. Non. Octob. Iulian. cIↄ Iↄ xcviii.

Epistola L.

Isacio Casavbono. Modo accepi tuas, quas Lutetia Nonis Octobrib. ad me dediſti: quibus ſtatim reſpondere placuit: non quod aliquid noui haberem præter illa quæ ſuperioribus meis ad te ſcripſi, ſed ne quid omitterem temporis aut occaſionis, quo, me ſemper meminiſſe tui, neque vllius rei memoriam iucundiorem mihi quam tui, tuorumque laborum, quibus nos beas quotidie, fidem tibi faciam. Scripſi alteris literis quid de conditione Lutetiana ſentirem. Omnia candida equidem cenſeo: ſi vel res tibi cum theſaurariis non ſit, vel ſi tanta vales apud eos gratia, vt maiorem tui rationem, quam magnatum, quos quotidie fruſtrantur & ludificantur, habeãt. Mira hodie iſthic καὶ τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν αὐλικῶν μεθοδεία καὶ χρηματισμός. Sed amici illi tui literarum bono nati, euocare te Lutetiam non debent, niſi ea lege, vt non minus rei familiari tuæ conſultum velint, quam famæ. Verum hæc melius coram tecum diſputarem. De tuis in Athenæum Commentariis omnia magna ſpero, neque fruſtra ero. Plus tu vnus in illo libro potes, q̃ omnes qui has literas tractant. Meus * * * * excuditur: ſed tam lentum negotium eſt, vt nulla ſpes ante annũ abſoluẽdi detur: cuius ἀμβολιεργίας cauſſas multas reddere poſſem, ſed quib. te obtundere nolim. Scis quam operam priore editione in ſcriptore illo nauauerim, ex quo tot millia mendorum ſuſtulimus, tot traiectiones locorum reſtituimus: & tamen ſuccreuit illi editioni curuorũ corrector, qui ne Latine quidem ſcit, tantum abeſt, vt Aſtronomica nouerit. cui ne ſemel quidem verũ dicere contigit,

tigit, neque in illa editione **** neque in Nodis in ** ******. Amicus meus eſt, potius propter meos mores, quam ſuos. In hac editione Maniliana præter infinita menda beneficio codicis Gemblacenſis ſublata, traiectionem LIV verſuum in III libro in nobiliſſima Diſputatione de inæqualitate dierum animaduertimus. Multa quoque alia egregia addidimus. Subiiciemus librum elegantiſſimum Ptolemæi nunquam antea viſum περὶ ἀπλανῶν καὶ δύσεων, κρύψεων καὶ ἐπιτολῶν τῶν ἀστέρων. Iam putabam te Geneuam rediiſſe, vt cui neceſſariam videam profectionem familiæ herciſcundæ. De Lexico Zonaræ, ſi dignum iudicas inſpectione noſtra, oro te vt agas cum Paulo affine, vt tibi commodet: tu vero Lutetiam Gilloto, viro ampliſſimo, poteris mittere. Ego vſuram eius menſtruam tantum peto. Et fortaſſe citius eo defúgar. Certus ſum Paulum Stephanum omnia mea cauſſa velle, neque mihi hoc denegaturum. Si Lutetiæ maneres, facilior eſſet tibi inde huc tranſitus, quam Lutetiam ab Arecomicis tuis. Itaque nihil eſt quod magis optem, quam te Lutetiæ bona & tuta valetudine habitare, vt te videre poſſim aliquando. quod vt fiat, etiam atque etiam opto. Vale amiciſſime vir. Lugduni Batauor. III. Eid. Octobres Iulianas CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA LI.

ISACIO CASAVBONO. Quouſque tandem te expectabunt amici Pariſienſes: certe quantum poſſum, ego illorum vota meis precibus adiuuo. & iam te mallem eſſe Lutetiæ, ſi quidem de migrando [illegible]. Sin aliter, non auctor tibi ſim hinc diſcedere, vbi ſtudiorũ tuorũ ſpes & rei familiaris opes fundatas habeas potius, quam

eò te conferre vbi omnia plena aleæ. Meminiſti quod obiiciebam de faſtidio quæſtorum: deuorandum illud tædium potius, quam vt vlla ſpes nummuli affulgeat. Eſto. Pluant illi imbres aureos in gremium tuum. Cogita μορμολυκεῖα pædagogorum. In oculis tuis, in lucem hominum præclaras vigilias tuas lacerabunt. Non enim aliter ſe doctos probatum iri ſperant, quam ſi alios indoctos conuincere poſſint. Non timeo, inquies, empuſas iſtas. Neque mehercule ego cenſeo facias. Sed tamen quibus hæ muſcæ ſomnos turbant quotidie, quē ſincerum fructum ſtudiorum ſuorum capere poſſunt? Qui elegantiores in iſto genere hominum eſſe videntur, ne ipſi quidem parcent nomini tuo. & quamuis diſſimiles aliorum eſſe, aut ſaltem videri velint, tamen idem omnium finis eſt, ruina alienæ gloriæ ad famam ſibi gradum facere. Viuit adhuc quidam magni nominis, &, ſi illi credimus, amicus meus, vix vllam lectionem in auditorio tranſegit ſine reprehenſione noſtri. Auditores eius ad me dictata attulerunt. Dii boni, quæ deliramenta? quem putabamus Latine doctiſſimū, vix nobis viſus mediocriter Latinitatem intelligere. Sed aliter non putant ſecum bene agi, niſi alios pueros, ſe ſummos viros probauerint. Perpende igitur omnes rationes tuas, explora omnia euenta, antequam te huic aleæ committas. Tuæ gloriæ ſummus fautor ſum, ſed & patronus & tutor. tamen magni amici noſtri promittunt nobis omnia candida fore. Equidem velim; & fortaſſe nimius amor meus in te etiam tuta quæque timere ſuadet. De Notis ad ** illius iam conſtat mihi. Statim in aditu ipſo ita acceptus ſum, vt vlterius progredi animus defuerit. Si vis videre, lege *** lege præceptorem Cypriani, dices profecta abeo, qui nec Latine intelligat. Amicus meus eſt, & iuuentuti pro ſua facundia ſatisfacit, & ſane eiuſmodi vir vt eius ratio habenda ſit.

animaduerſiones meas nanciſci, impertiar. Tu interea meo beneuolo in te animo fruere. Opus De emendatione Temporum menſe Maio abſolutum iri ſpero. Hoc volui dicere, editum. Nam iamdudum opera noſtra non deſideratur. Typographi ceſſatio eſt, non mea. His nundinis multa in nos prodibunt. Nobis plane conſtat de circuli quadratione, tametſi omnes obganniant. Quum omnium furor detumuerit, tunc dicemus, *Poſcimur Aonides.* Et ſane quod perperam demonſtrauimus, nunc certum eſt, ita demonſtratum iri, vt obtrectationi amplius locus non ſit. Vale, mi Caſaubone. Lugd. Batauorum, 3. Eid. Februarii Iuliani 1597.

EPISTOLA XLIII.

ISACIO CASAVBONO. Proximis Nundinis Golardi noſtri filio hinc ad patrem proficiſcenti literas ad te dedi. Quia illis abunde ſcripſi, neque te puto longiores à me exigere velle, neque meum eſt longiores ſcribere; quum prioribus illis omne exhauſtum ſit; quod ad te nunc ſcriberem. Tantum his indicare tibi volui, me nolle punctum temporis prætermittere, in quo vel ſalutare tantum te liceat. Itaque huic adoleſcenti Batauo, bono, bonis prognato, non potui facere quin has darem, quum ſcirem eum ad vos cogitare; quum tamen incertum ſit, quo tempore has accepturus ſis. Nam longa nauigatione Burdigalam petit, & inde aduerſo flumine Toloſam. Quando ad vos veniet, ſcit tantum qui ventos in ſua poteſtate habet. Ego vero eius iter votis proſequor, vt ad te meas quamprimum deferat. Scripſi ergo ad te vltimis meis literis quam gratum mihi ſit te incolumem in Volcas perueniſſe. Nam acce-

ptum & optatum aduenisse, & tua virtus meruit, & vota illorum qui te arceſſerunt, ſatis declararunt. Opto ex animo, vt illa res tibi tuiſque fauſta ſit: vtque illi tam tibi grati ſint, quam te illis gratiſſimum fore confido. Textum Athenæi editum quidem ſcimus, ſed per anni tempeſtatem mercatoribus Francofurtum ire non licuit. Caſtigationes in totum auctorem vel à te, vel à nemine ſpero. Tertullianus Fr. Iunii propediem exibit. Meus liber De emendatione Temporum, ex quo ea editio hic inſtituta eſt, millies interpellatus eſt: non mea, ſed typographorum (qui ſuas res agunt, non meas) culpa. Equidem valeo, & in hac ineunte ſenectute nil ad valetudinem & integritatem corporis, deſidero, ſi dentes excipias: qui ex nimia huius cœli humiditate, ſine vlla læſione ſui, aut dolore meo, integri & ſolidi mihi decidunt. Viuo, inquam, mi Caſaubone, vni tibi maximo viro & pauxillis quibuſdam tui ſimillimis, carus; cæteris valde inuiſus, nullo meo merito: ſiue illud inuidia eſt, ſiue odium, ſeu vtrumque. Libri quotidie in me excudũtur. Expecto quam mox per illos mihi reſpirare liceat. Et ſane, per ipſum qui me hactenus tutatus eſt, licebit. Tunc licebit dicere: *Poſcimur Aonides.* Sed quid te meis querelis ſolicito? Tuas vltimas Bongarſius ad me miſit. Itaque de illis cura te libero. Tu vale, & me ama. VI. Kal. Maias Julianas, Feria III. cIↄ Iↄ XCVII.

EPISTOLA XLIV.

ISACIO CASAVBONO. Vltimas literas tuas nudius ſextus accepi; priores, quibus ad meas reſpondebas, expecto à mercatoribus, quibus iter tutum ſtrauit captum his diebus oppidum Berka: cuius præſidium

viam illam latrociniis infeſtabat. Te ex tuis literis bene valere, gauiſus ſum: & vt ſemper valeas, oro illum, in cuius manu eſt omne. Meum opus De emendatione temporum his nundinis prodire non potuit: abſoluendo deerat index, qui iam abſolutus eſt, & προλεγόμενα, quæ propediem edentur. Votis tantum licuit feſtinare. Nam maturare noſtræ poteſtatis non fuit. Aliquando enim τρίμηνον, aliquando menſem, creberrime ſeptem, quatuordecim & plures dies, ceſſatum eſt. Vt erat à nobis paratum, anno ante editum oportuit. Sed quid iuris in alios habemus, qui nullum in nos habemus? Certe, mi Caſaubone, ſi res fuerit nobis cum æquis lectoribus, non eſt, quod vlla amplius in temporum ratione controuerſia relinquatur. Aut enim, qui demonſtrat, nihil facit, aut nos εὑρήκαμεν. Satis eorum qui hæc tractant, μισαλήθειαν & φιλαυτίαν admirari non poſſum. Omnes in hoc vnum conſpirare dicas, vt auertant oculos ne verum videant. In eorum poteſtate ſitum eſt, ad lucẽ caligare: ſed nobis vt idem faciamus, eo minus perſuadebunt, quo magis eos partim ζηλοτυπία, partim odium veritatis ad ſcribendum impellit. Itaque id aſſequũtur, vt ne ſemel quidem verum dicant. Tota anni Græci explicata ratio, quantam rebus Græcorum facem allucet? Res ante mille trecentos plus minus annos ignorabatur. Veriſſimus dies Exodi in priori editione indicatus, in hac firmiſſimis argumentis demonſtratus eſt. Iã quotidie noua ſuccurrunt ſub acumen ſtyli; vt ſolet in illis, quæ feliciter demõſtrantur. Et quidem in προλεγομένοις, in confutandis ſomniis Chronologorum, adhuc ἀκριβέστερον explicantur. Tot millia errorum detexiſſe, hoc vero eſt τὴν σφηκίαν ἐρεθίζειν. Hoc enim fruſtra euitare poſtulem. Sed certus ſum offrænatum os iri pertinaciæ, & tot Chronicorum, Annalium, Faſtorum editiones retexendas, vt noſtris rationibus verum in-

veſtigetur. Satis etiam mediocriter eruditis notum, quam ſtrenue nugatus ſit, qui ad Elenchum anni Liliani reſpondit, ac quam falſus ſum iudicii in eo homine, qui præter Geometriæ peritiam, in reliquis omnibus puer eſt. Sed hæc omnia priuatæ diatribæ reſeruantur. Tu vero indica mihi, per quos recte tibi opus meum mittere poſſim. Nam ſane ego neſcio. Mittam tamen, ſi tibi videtur, Geneuam; niſi interea aliter animatus ſis. Spartianum cum aliis debes Reipublicæ & bonis omnibus, qui te plurimi faciunt. Sunt autem non pauci in hac ſolitudine literarum, quæ quotidie creſcit interitu eruditorum. Nam & his diebus optimum doctiſſimumq; virum Fr. Raphelengium amiſimus. Magnā Orientales linguæ, quarum ille non mediocrem vſum habebat, iacturam in illo fecerunt. Certe, quantum video, me quoq; tot amicos ſequi neceſſe eſt. qui relict⁹ videor οὐραγὸς, non vt imperem, ſed vt agmen cogam. Nondum vidi Athenæum tuum. Eruditæ ſunt Notæ & Caſtigationes ſoceri tui in Xenophontem, quas ad me miſit: forſan παραλειπόμενα quædam potero ad eum mittere, ſi mihi vacat. Sed de his poſtea videro. Valde nos ſuſpenſos habet Samarobrina Ambianorum. In obſidionis illius euentu non ſolum ſumma res Gallicana ſed & fortunæ harum prouinciarum vertuntur. Tres naues mercatoriæ omni commeatu aliiſque rebus inſtructiſſimæ, quæ ante biennium in Indiam profectæ ſunt, nudi⁹ ſext⁹ reuerſæ ſunt. Portum Iauæ maioris tenuerunt. Lucrum magnum nautæ feciſſent, ſi aliquem modum & rationem in commercio tenuiſſent. Nunc quum peſſima fide cum Indis egerint, non permiſit Deus vt aliquem perfidiæ ſuæ fructum perciperent. Onuſtæ tamen naues aromatis redierunt. Rem omnem alteris literis proximis narrabo tibi. Nunc vale, & nos ama. Lugduni Batauorum. Feria v. xv. Kalend. Septembr. cIↄ Iↄ xcvii.

EPI-

EPISTOLA XLV.

ISACIO CASAVBONO. Binas à te literas accepi; longo quidem interuallo, alteras, quæ me, vt omnes tuæ ſolent, magna voluptate affecerunt. Nihil enim à te, quod non me aut meliorem faciat aut lætiorem. De Athenæo mechanico quod vltimis illis narras, gratum fuit, & vt diligenter videas cui committas, oro. Gillotus Senator Pariſienſis vir optimus lectiſſimusque, & tuus & meus, operam daturum ſe mihi ſpondet, vt omnia quæ ad illum miſeris tuto ad me perferantur. Tuta eſt ratio illa, ſi quidem & viæ, & homini, cui tuto credas, conſultum fuerit. Scio enim quantum interuallum terrarum inter nos: quantoque diſcrimine à vobis & ad nos vltro citroque commeetur. Non enim primum hæc diſco. Tuum Athenæum nudiustertius accepi. Notas ego cum omnibus doctis tuique ſtudioſis auidiſſime expectam⁹; quas animo percepi vere tuas fore, à quo nihil non magnum expectare debemus. Neque me fallet ſpes mea. Hoc ego de me tibi ſpondere non poſſum. Videbis enim quam diſſimilia noſtra ex illo libro quem tibi mitto, recocto & fortaſſe adhuc crudo: Nam etſi aliquid boni exciderit nobis imprudentibus, aut non credent aut diſſimulabunt iſti, quibus omnia mea ſunt ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν. Scis de Libya dictum, aliquid monſtri ſemper alere. Quid dicet poſteritas de nobis, qui tot monſtra quotidie parimus? Κακοήθεις, ζηλοτύπους, nigras animas, Tartarea ingenia? Ego ſane hæc peperi. Abſq; me fuiſſet, hæc examina veſparum non prodiiſſent. Crede mihi, quicquid ſcriptitamus, magis inuidiam accēdit, q̃ ſitim literarum extinguit: nulla mea culpa, ſed latente quadam vi fati mei; quod quale ſit, dicere non poſſum. Scio tamen & ſentio hoc ita eſſe: Vtinā nihil vnq̃ ſcripſiſſem! Quicquid boni feci, omne id inuideor: ſed, quid non

non facient maleuoli, quum & ſuccum loliginis in aliis reperiam. Vidiſti ne vnquam editionem ** * * * * * * ** **? Tantum otii ab re tua fuit, vt Notas hominis illius patienter legeris? Si igitur legiſti, quid aliud putas voluiſſe fartorem illorum centonum, quam probare me operam luſiſſe: & tamen vix ſemel aut bis, certe rariſſime, contigit illi aliquid frugi in medium proferre. Miratus ſum me tantis meritis meis (quare diſſimulem?) tam male meritum de literis, vt opus fuerit purpuræ noſtræ (glorioſus ſum, patere me verum dicere) illos pannos aſſui? Amicus meus eſt: ſaltem hominem amo, & ſanctiſſime iurare poſſum me illi non inuidere. neq; enim cauſſæ eſt. Decreui illum hodie aut cras conuenire, vt doceat me vnde acceperit illam linguam Latinam, quam omnes ignorant, illas locutionum ἰδέας, quas & omnis antiquitas & ſæculum hoc omne ignorat. Manilium meum, cum ſcripto Gemblacenſi collatū recudo. Infelix fatum illius Poetæ, vt neq; poſteri eius meminerint, neq; eius exēplaria vlla bona fide ſcripta extent: omnia enim inquinatiſſima ſunt: præſertim illud Palatinum, q̃ ille corrector noſter ita laudat, vt ex eo doceat, ſe nunquā manuſcriptū exemplar legiſſe. At Gemblacēſe longe minus deprauatum eſt, & tamē inquinatiſſimū. Scis in illis ſterquiliniis ruſpandis quo iudicio vtendum ſit, vt aliquot paucas miculas auri eruas. Nā amicus ille noſter putauit non micas auri de illo ſtercore eruendas, ſed totū ſterquiliniū pro auro habet. Monui illū de quibuſdam autorū locis. Neglexit, & contraria poſuit. Eſt plane ἰδιογνώμων, & αὐθέκαστος. Itaque vides paucis datum eſſe in his literis ſapere. Fruſtra labor & vigiliç operas cōtribuunt, niſi ab ingenio adiuuentur. Vides quā familiariter tecum agam. Hanc fiduciam mihi facit, quod & ſoli ſumus, neque quiſquam eſt hic ſuperſtes, qui ſermones noſtros aucupet. Itaquç oro te, ne vllus me tibi hæc
ſcri-

ſcripſiſſe ſentiat. Tu reliqua meminiſti. Commelinus magno dolore meo, nec minore Græcarum literarum damno deceſſit. Vxor eius Francofurto rediens luem peſtilentem, qua iam laborabat, cōmunicauit illi. Ambo pene eodem tempore vitam reliquerunt, liberiq; aliquot de multis quos habebant. Vale mi Caſaubone. xvi. Kal. Apriles Julianas. cIↃ IↃ xcviii.

Epistola XLVI.

Isacio Casavbono. Frequentiores à me acciperes, ſi quis meas ad te tuto deferret: imo ſi quem nobis caſus aut bona ſors obiiceret, qui ad vos iret. Non enim operæ parcerem, neque committerem, vt meum officium deſiderares. quod ſi quem nanciſcimur, cui noſtras literas committere poſſimus, ſcito nos hoc magni ἑρμαίου loco habere. Tam rara eſt occaſio literas ad te dandi, quū frequentiſſima ſit ſcribendi. Iſte qui has pertulit, Geneuam commodum ibat. Nolui tam bonam occaſionem amittere: & fortaſſe cumulus acceſſerit, ſi Geneuæ meas accipies. Vbi te adfore familiæ herciſcundæ, Golardus noſter ad me ſcripſit, ſi quidē deceſſus illuc te euocauerit τοῦ δεῖνα. Magna vero iactura Græcarum literarum ille deceſſit, ſi præterita eius in literas beneficia ſpectes. quæ maiora fuiſſent, niſi ipſe literis, imo potius ſibi, defuiſſet. Equidem non poſſum facere, quin eius & viui actus & mortui vicem ægre feram. Doleo, ꝙ non præſtitit quæ potuiſſet; doleo, ꝙ amicum perdidi. Sed oro te, mi Iſaci, vt typographio vnico totiꝰ Helleniſmi cuſtodi, culpa illiꝰ ruēti, veſtra opera aliqua fultura accedat: Quę à principio tā exigua eſſe nō poteſt, vt nō maximæ ruinæ obſiſtere poſſit. q̃ neceſſe eſt expectari, niſi mature illi occur-

enim dubitem adhuc multa ſupereſſe, quæ diuina ingenia expectant, quum illa ſciam adhuc peſſime excepta, & à me ideo relicta, quia ἀνηκέστως afflicta? Oro te igitur, magne amice, vt ſi quæ in illis deprehenderis (deprehendes autem multa) quæ meliora fieri poſſint, vt in libellum conijcias, & in lucem edas; neque expectes de ea te aut iudicium aut voluntatem meam. Satis à me probantur quæ à Caſaubono prodeunt. Scito autem, quod tibi mitto exemplar vix potuiſſe emere. Nam Commelini filius omnia me inconſulto conuaſauit. Itaque neque compingere curaui, quia tempus non dabatur, neque citius mittere potui, propter præpoſteram horum lucrionum diligentiam. Tu, quicquid eſt laboris noſtri, boni conſule, quia noſtrum, non quia probari puto. Tuas diatribas in Athenæum quando habebimus? Animaduertiſtin' traiectionem ſimilem Manilianis in illo ſcriptore? in tua editione pagin. 177. v. 7. εἰσὶ δ᾽ αὐλοὶ ὄντι ἐλάσσονες τῶν τελείων, coniungenda ſunt cum illis pag. 182. 19. μετὰ Φοινίκων φησί, τόνδ᾽ ἡμίοπον, vſque ad finem libri. Quæ ita optime cohærent. Quæ interiecta ſunt, ad materiam initij primi libri de conuiuio & conuiuijs pertinent. Tu hæc, puto, aut iamdudum deprehendiſti, aut melius in ſuos artus reſtitues. Nam non dubium eſt eam eſſe traiectionem, quam indicaui. Quantum eiuſmodi luxationes Manilio noſtro nocuerint, ſatis in noſtris Caſtigationibus notatum. Aueo ſcire quod ſit conſilium tuum de migratione, & de conditione Pariſienſi. Vale, mi Caſaubone, ac nos ama. XII. Calend. Octobris Iuliani CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA LIII.

ISAACIO CASAVBONO. Quas à te mihi reddidit heri Thyſius noſter, illis nunc reſpondeo. Eæ datæ erant

 pridie

pridie Eidus April. Alias enim à te acceperam Lugduno, vbi adhuc eras. Tuus Lutetiam reditus plus mihi admirationis an voluptatis attulerit, haud facile dixerim. Miratus ſum illuc rediiſſe, vbi tui maximam eſſe obliuionem cur crederem, multa argumenta concutiebant. Sed bene, quod melior ſtatus rerum tuarum ἐγχεί-ρημα illud, quod ex nimio meo in te amore excitabatur, eluſerit. Quantum igitur miror hanc mutationem, tantum equidem gaudeo, & gratulor mihi, omnibuſque tui ſtudioſis, qui non ſolum cum vtilitate publica te iſthic eſſe cupiunt, ſed etiam cum aliqua dignitate, & quod caput eſt, cum quiete quantam pati exiſtimatio tua poteſt. Nam fruſtra ignobile illud otium optaueris, quod omnes μουσοπάτακτοι appetunt. Hoc non ſinit neque tui nominis, neque illius loci, vbi degis, celebritas. Nam ἐν πλοίῳ πάντων ἥδιστον ἁμαρτάνουσι τὸ ζῆν, quam vt cum otio, aut ignorabilis viuas. Neque tam abſtruſum eſt Muſæum, in quod te abdere paras, ex quo te non ſtrepitus & concurſus amatorum tuorum exciet. De crabronibus ita ſtatuas, non nocere niſi irritatos, ſtrepitum autem aut βόμβον neminem vnquam læſiſſe. Conſilium vero laudo de familia relicta. Nam melius, interea è ſpecula mutationes animorum Gallicanorum intueri, quam te ſummamque rerum tuarum tempeſtatibus horum ingeniorum credere. Eiuſmodi ſunt, facile accenduntur, ſed facilius tepeſcunt. Quare ἀψικορίαν illam ſolum vereor, cui te in dies immittere oportet, ne te imparatum opprimat. Sed τὸ θεῖον ἡμῖν βέλτιον βουλεύσεται. & ita ſpero. Omnia mira & diuina mihi promitto de tuis in Athenæum lucubrationibus. Vt meæ ad illas comparatæ aliquid lucis habere poſtulent? fruſtra. Ego bene noui mea. Neque eſt, amice, cur Manilium meum tanti facias. Hoc ad me-

dioctia

diocria ingenia aliquid ad tuum nihil. Neque tam noſtra amo, vt non & vitia viderim: quæ mihi cum aliis ſcriptoribus quidem communia ſunt; ſed tamen vitia. De Mimiambis Græcis, hui quid tibi venit in mentem tam male otium tuum perdere? Pueris ſcripſimus, non tibi, ſi modo à pædagogis extorquere poſſimus, vt ea vtiliora pueris credant, quam quæ, ex neſcio quibus Colloquiis & Dialogis non nauci, vulgo in ſcholis docent. Sed Deus bone de Orpheo ne à nobis pene pueris olim conuerſo idem cenſes? Ego vero & multa male à me concepta iudico, & tam mihi ignoſco, quia per ætatem illam conſequi hanc veniam poſſum, quam de me peſſime mererer, ſi tam mendoſum opus lucem pateret videre. Sed hæc aliàs. Quum mihi conſtiterit de tranquillitate ſtudiorum tuorum, tunc apud te pluribus agam. Interea ſcito me optima & firmiſſima valetudine [illegible] καὶ [illegible] vti. quanquam ſexageſimus annus de rebus noſtris componendis, ad incertos rerum humanarum euentus, nos monet. Cui quidem rei non inuitus me accingo; ac propediem vltimæ voluntatis meæ tabulas conſcribam. Sequor vocantem: non me imparatum excipiet. Vale, mi vnice amice. Lugduni Batauorum, XIII. Cal. Maji Iulian. CIƆ IƆC.

EPISTOLA LIV.

ISACIO CASAVBONO. Vellem ad te longiores dare, quod potuiſſem, ſi per puerum à pedibus Legati Gallici liceret, quem remittere ad herum cogor. Gratulor tibi de conditione Pariſienſi, ſi quidem è re tua eſt. Quod vt ſit, opto; & quidem erit, vt ſpero. Athenæum autem an expectemus, noli quærere. Id vero ex me quotidie omnes ſciſcitantur, quaſi ego ſim

rorum perlegero. Verum tibi Thomſon noſter de Commentario parentis mei in *τὰ περὶ ζώων ἱςορίας* dixit. Sed huic operi interuenit calamitas. Nam Franc. Douza Iani F. deſcribere illud ingens corpus cœpit, vixque dimidia parte abſoluta, peregre profectus eſt. Reliqua nunc *mihi*, in hac ſenectute & in ſummis occupationibus meis deſcribenda ſunt. Itaque fortaſſe ego prius *pallentibus vmbris* occumbam, antequam illud lucem videre poſſit. Tamen ad deſcriptionem, poſtquam moleſtia operis, quod nunc adorno, defunctus fuero, me conferam. De notis tuis in Nouum Teſtam. ſecurus eſto. Ego illi malo, quod te cruciat, occurri. Quandoquidem ita acceptum tibi, non edentur illæ. quas quidem nondum vidi. Eas Daniel Heinſius, & ſupra ætatem doctus, nominiſque atque operum tuorum ſtudioſiſſimus, vnus habet, quantum ſcire potui. Ipſe niſi fallor, aliquid nunc ad te literarum dabit. Elegias eius ſi ad te peruenient (& peruenient quidem) miraberis. Si perget, vti cœpit, dabit in lucem quod ingenia morari erudita poſſit. De odio improborum aduerſus pietatem, non eſt quod te tantopere moueat. hoc debebat, ſi hoc nouum eſſet, bonos, primum nunc ab improbis laceſſi. A Deo incipiunt: in nos mitiores eſſe non poſſunt. Ego in hac militia veteranus ſum. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Huic peſti præſentius remedium non video, quam eorum ſimultates negligere videri. Vnam tantum linguam habent, quam in bonos diſtringant: reliqua illis arma & Regis patrocinium, & legum excutiet frenum. Denique bene nobiſcum agitur, quod latrare, non etiam mordere poſſunt. Vale, mi Caſaubone.

VII. Eid. Nouembris Iuliani.

CIƆ IƆ C.

EPISTOLA LVI.

ISACIO CASAVBONO. Ita me lectio tuarum in Athenæum Notarum afficit, vt nunquam ab eis niſi inuitus recedam. Quod ſi obfirmarem me non inde recedere, niſi quando ſatietas me cœpiſſet, nullus huius futurus erit: nunc vero nullus eſt, niſi quem neceſſitas aut rei domeſticæ cogit, aut curandi corporis imperat. Ego nihil niſi magnum à te expectare ſoleo. Nunquam meum me decepit iudicium: nunc vero etiam votum ſuperauit iſte nouiſſimus fœtus tuus. Vtinam eſſemus vna, nunquam te amitterem, quem te aut quæſtionibus meis laſſarem, aut ad inueſtigationem aliorum te locorum pellicerem. Sunt enim, neque tu negabis, alia multa, quæ diuinas lucubrationes tuas poſſunt augere. Et mihi, cornici poſt cygnum, neſcio quæ videor non infeliciter diuinaſſe: niſi hoc hariolari ſit. Quum per otium licebit (multis enim occupationibus diſtringor) per literas interpretes capita conferemus. Iamdudum meus Euſebius cogitabat foras, & miſere cupit prodire. Impetum vero noſtrum liberi viri ampliſſimi & Senatoris Domini Petauii, cuius pagellas quaſdam manu propria deſcriptas ad nos miſit Gillotius noſter, retardauit. Quãquam ex medio libri quam ex hoc principio melius, quanti ſit exemplar illud, colligere poſſum. Non obſcure tamen optimæ notæ eſſe video. Et ſane dignus eſt liber, propter quem vadimonia ſua differat editio noſtra. Nolo tamen te neſcire, reſtitutionem integram illius operis Euſebiani non ex vllo manuſcripto exemplari, quantumuis bonæ notæ, poſſe explicari, quantumuis bonæ notæ, poſſe explicari. Nam diu eſt, quum ille liber carnifices manus correctorum ſentit, ante mille aut amplius annos. Itaque nullius pene momenti ſunt, quæ ex manuſcriptis exemplaribus editionem noſtram exornare poſſunt, præut illa ſunt, quæ illi acceſſerunt ex induſtria noſtra, quod mihi ſine vlla glorio-

gloriola apud te amicum profiteri liceat. Nam quid vetat inter vos verum dicere? Vno morbo laboramus, penuria librorum. Immani precio bibliothecculam adorno: quæ cum al[illegible] mediocribus collata ne plebeii quidem bibliopolæ [illegible]na dici poſſit. Et tamen non audeo fateri, quanti [illegible] ſcruola mihi conſtent, quæ noſtros ſacculos exhauriunt, & deſiderium vel potius ſitim noſtram non explent. Quantum librorum erat in ædibus ſoceri tui, quos ille in ſitu obſoleſcere & perire ſinebat, quos ego magno precio mercarer? Sed hæc eſt fatalis egeſtas mea, quæ mihi ſemper comes hærebit, neque vnquam ab amplexibus noſtris diſcedet. Sexageſimus & vnus annus monet me aliud curare. Itaque nudiusſextus teſtamentum meum conſcripſi manu propria: non ſolum de bonis maternis ſuprema mea ordinaui, ſed etiam de reculis, quas hic habeo. Amicis partem relinquo, vt ſint meæ potius in eos beneuolentiæ teſtimonium, quam vt legati nomen mereantur. Videor mihi magna aliqua ſarcina leuatus quod vltimum voluntatis meæ iudicium profiteri mihi in mentem venerit, priuſquam aut ſubitus morbus eo me adegerit, aut maior vis omnem opportunitatem mihi ademerit. Vtinam Græcum illum χρονόλογον tuum, cuius in literis meminiſti tuis, nobis adipiſci liceret. Ecquid ſpei reliquum? Vide, amabo, an nobis illius copia fieri poteſt. Reliquum Commentariorum patris in τὰ περὶ ζώων ἱστορίας proxima æſtate, niſi quid humanitus contigerit, deſcribam. Quod de Galeno à ſe deſcripto ille memoriæ prodit, ſcito ex illius bonis nihil ad me perueniſſe: præter Commentarios illos, & opuſcula Galeni manu ipſius tam eleganter, tam æquabili litera deſcripta, vt ab homine Græco, non Latino profectum id exemplar dicas. Quod vnicum eſt operũ Galeni, quæ nocturnis horis, dũ per militiæ vacaret munia, deſcribere, & illa tempore meliori parti vitæ ſuæ ſuf-

ſurari

non facient maleuoli, quum & ſuccum loliginis in aliis reperiam. Vidiſti ne vnquam editionem τ* * * * * * * * * *? Tantum otii ab re tua fuit, vt Notas hominis illius patienter legeris? Si igitur legiſti, quid aliud putas voluiſſe fartorem illorum centonum, quam probare me operam luſiſſe: & tamen vix ſemel aut bis, certe rariſſime, contigit illi aliquid frugi in medium proferre. Miratus ſum me tantis meritis meis (quare diſſimulem?) tam male meritum de literis, vt opus fuerit purpuræ noſtræ (glorioſus ſum, patere me verum dicere) illos pannos aſſui? Amicus meus eſt: ſaltem hominem amo; & ſanctiſſime iurare poſſum me illi non inuidere. neq; enim cauſſæ eſt. Decreui illum hodie aut cras conuenire, vt doceat me vnde acceperit illam linguam Latinam, quam omnes ignorant, illas locutionum ἰδίας, quas & omnis antiquitas & ſæculum hoc omne ignorat. Manilium meum, cum ſcripto Gemblacenſi collatũ recudo. Infelix fatum illius Poetæ, vt neq; poſteri eius meminerint, neq; eius exẽplaria vlla bona fide ſcripta extent: omnia enim inquinatiſſima ſunt: præſertim illud Palatinum, ꝙ ille corrector noſter ita laudat, vt ex eo doceat, ſe nunquã manuſcriptũ exemplar legiſſe. At Gemblacẽſe longe minus deprauatum eſt, & tamẽ inquinatiſſimũ. Scis in illis ſterquiliniis ruſpandis quo iudicio vtendum ſit, vt aliquot paucas miculas auri eruas. Nã amicus ille noſter putauit non micas auri de illo ſtercore eruendas, ſed totũ ſterquiliniũ pro auro habet. Monui illũ de quibuſdam autorũ locis. Neglexit, & contraria poſuit. Eſt plane ἰδιογνώμων, ἢ αὐθέκαστος. Itaque vides paucis datum eſſe in his literis ſapere. Fruſtra labor & vigiliç operas cõtribuunt, niſi ab ingenio adiuuentur. Vides quã familiariter tecum agam. Hanc fiduciam mihi facit, quod & ſoli ſumus, neque quiſquam eſt hic ſuperſtes, qui ſermones noſtros aucupet. Itaque oro te, ne vllus me tibi hæc ſcri-

Digitized by Google

ſcripſiſſe ſentiat. Tu reliqua meminiſti. Commelinus magno dolore meo, nec minore Græcarum literarum damno deceſſit. Vxor eius Francofurto rediens luem peſtilentem, qua iam laborabat, cōmunicauit illi. Ambo pene eodem tempore vitam reliquerunt, liberiq; aliquot de multis quos habebant. Vale mi Caſaubone. XVI. Kal. Apriles Julianas. cIɔ Iɔ XCVIII.

EPISTOLA XLVI.

ISACIO CASAVBONO. Frequentiores à me acciperes, ſi quis meas ad te tuto deferret: imo ſi quem nobis caſus aut bona ſors obiiceret, qui ad vos iret. Non enim operæ parcerem, neque committerem, vt meum officium deſiderares. quod ſi quem nanciſcimur, cui noſtras literas committere poſſimus, ſcito nos hoc magni ἑρμαίου loco habere. Tam rara eſt occaſio literas ad te dandi, quū frequentiſſima ſit ſcribendi. Iſte qui has pertulit, Geneuam commodum ibat. Nolui tam bonam occaſionem amittere: & fortaſſe cumulus acceſſerit, ſi Geneuæ meas accipies. Vbi te adfore familiæ herciſcundæ, Golardus noſter ad me ſcripſit, ſi quidē deceſſus illuc te euocauerit τοῦ δεῖνα. Magna vero iactura Græcarum literarum ille deceſſit, ſi præterita eius in literas beneficia ſpectes. quæ maiora fuiſſent, niſi ipſe literis, imo potius ſibi, defuiſſet. Equidem non poſſum facere, quin eius & viui actus & mortui vicem ægre feram. Doleo, quod non præſtitit quæ potuiſſet; doleo, quod amicum perdidi. Sed oro te, mi Iſaci, vt typographio vnico toti⁹ Helleniſmi cuſtodi, culpa illi⁹ ruēti, veſtra opera aliqua fultura accedat: Quę à principio tā exigua eſſe nō poteſt, vt nō maximæ ruinæ obſiſtere poſſit. quod neceſſe eſt expectari, niſi mature illi occurratur.

etiam dubitem adhuc multa ſupereſſe, quæ diuina inge-nia expectant, quum illa ſciam adhuc peſſime excepta, & à me ideo relicta, quia ἀνεγκλεςως aff-cta? Oro te igitur, magne amice, vt ſi quæ in illis deprehenderis (depre-hendes autem multa) quæ meliora fieri poſſint, vt in li-bellum conijcias, & in lucem edas; neque expectes de ea te aut iudicium aut voluntatem meam. Satis à me probantur quæ à Caſaubono prodeunt. Scito autem, quod tibi mitto exemplar vix potuiſſe emere. Nam Com-melini filius omnia me inconſulto conuaſauit. Itaque neque compingere curaui, quia tempus non dabatur, neque citius mittere potui, propter præpoſteram horum lucrionum diligentiam. Tu, quicquid eſt laboris noſtri, boni conſule quia noſtrum, non quia probari puto. Tuas diatribas in Athenæum quando habebimus? Animad-uertiſtin' traiectionem ſimilem Manilianis in illo ſcri-ptore? in tua editione pagin. 177. v. 7. εισὶ δ' αὐλοὶ ὅτι ἐ-λαιοτονες τῶν πλειων, coniungenda ſunt cum illis pag. 182. 19. κατὰ μεταφοραν ιξίων φησὶ, τὸν δ' ἡμίοπον, vſque ad finem libri. Quæ ita optime cohærent. Quæ interiecta ſunt, ad materiam initii primi libri de conuiuio & conuiuis per-tinent. Tu hæc, puto, aut iamdudum deprehendiſti, aut melius in ſuos artus reſtitues. Nam non dubium eſt eam eſſe traiectionem, quam indicaui. Quantum eiuſmo-di luxationes Manilio noſtro nocuerint, ſatis in noſtris Caſtigationibus notatum. Aueo ſcire quod ſit conſilium tuum de migratione, & de conditione Pariſienſi. Vale, mi Caſaubone, ac nos ama. XII. Calend. Octobris Iuliani CIƆ IƆ XCIX.

Epistola LIII.

Isacio Casaubono. Quas à te mihi reddidit heri Thyſius noſter, illis nunc reſpondeo. Eæ datæ erant

 pridie

pridie Eidus April. Alias enim à te acceperam Lugduno, vbi adhuc eras. Tuus Lutetiam reditus plus mihi admirationis an voluptatis attulerit, haud facile dixerim. Miratus ſum illuc rediſſe, vbi tui maximam eſſe obliuionem cur crederem, multa argumenta concurrebant. Sed bene, quod melior ſtatus rerum tuarum ὑπέρφόβημα illud, quod ex nimio meo in te amore excitabatur, eluſerit. Quantum igitur miror hanc mutationem, tantum equidem gaudeo, & gratulor mihi, omnibuſque tui ſtudioſis, qui non ſolum cum veritate publica te iſthic eſſe cupiunt, ſed etiam cum aliqua dignitate, & quod caput eſt, cum quiete quantam pati exiſtimatio tua poteſt. Nam fruſtra ignobile illud otium optaueris, quod omnes μικροπολῖται appetunt. Hoc non ſinit neque tui nominis, neque illius loci, vbi degis, celebritas. Nam ἐν σκοτίῳ πεσὼν ζῆν ἢ ἁμαρτάνειν τῆς ὁδοῦ, quam vt cum otio, aut ignorabilis viuas. Neque tam abſtruſum eſt Muſæum, in quod te abdere paras, ex quo te non ſtrepitus & concurſus amatorum tuorum exciat. De crabronibus ita ſtatuas, non nocere niſi irritatos, ſtrepitum autem aut βόμβον neminem vnquam læſiſſe. Conſilium vero laudo de familia relicta. Nam melius, interea è ſpecula mutationes animorum Gallicanorum intueri, quam te ſummamque rerum tuarum tempeſtatibus horum ingeniorum credere. Eiuſmodi ſunt, facile accenduntur; ſed facilius tepeſcunt. Quare ἀψικορίαν illam ſolum vereor, cui te in dies imminere oportet, ne te imparatum opprimat. Sed ὁ θεὸς ἡμῶν βέλτιον βουλεύσεται. & ita ſpero. Omnia mira & diuina mihi promitto de tuis in Athenæum lucubrationibus. Vt meæ ad illas comparatæ aliquid lucis habere poſtulent? fruſtra. Ego bene noui mea. Neque eſt, amice, cur Manilium meum tanti facias. Hoc ad mediocrem

diocris ingenia aliquid, ad tuum nihil. Neque tam noſtra amo, vt non & vitia oderim; quæ mihi cum aliis ſcriptoribus quidem communia ſunt; ſed tamen vitia. De Mimiambis Græcis, hui quid tibi venit in mentem tam male otium tuum perdere? Pueris ſcripſimus, non tibi, ſi modo à pædagogis extorquere poſſimus, vt ea vtiliora pueris credant, quam quæ, ex neſcio quibus Colloquiis & Dialogis non nauci, vulgo in ſcholis docent. Sed Deus bone de Orpheo ne à nobis pene pueris olim conuerſo idem cenſes? Ego vero & multa male à me concepta iudico, & tam mihi ignoſco, qui per ætatem illam conſequi hanc veniam poſſum, quam de me peſſime mererer, ſi tam mendoſum opus lucem pateres videre. Sed hæc alias. Quum mihi conſtiterit de tranquillitate ſtudiorum tuorum, tunc apud te pluribus agam. Interea ſcito me optima & firmiſſima valetudine παλαιστρικῶς καὶ ἀθλητικῶς vti: quanquam ſexageſimus annus de rebus noſtris componendis, ad incertos rerum humanarum euentus, nos monet. Cui quidem rei non inuitus me accingo; ac propediem vltimæ voluntatis meæ tabulas conſcribam. Sequor vocantem: non me imparatum excipiet. Vale, mi vnice amice. Lugduni Batauorum, XIII. Cal. Maji Iulian. CIↃ IↃC.

Epistola LIV.

Isacio Casavbono. Vellem ad te longiores dare, quod potuiſſem, ſi per puerum à pedibus Legati Gallici liceret, quem remittere ad herum cogor. Gratulor tibi de conditione Pariſienſi, ſi quidem e re tua eſt. Quod vt ſit, opto; & quidem erit, vt ſpero. Athenæum autem an expectemus, noli quærere. Id vero ex me quotidie omnes ſciſcitantur, quaſi ego ſine

totum perlegero. Verum tibi Thomſon noſter de Commentario parentis mei in τὰ περὶ ζώων ἱστορίας dixit. Sed huic operi interuenit calamitas. Nam Franc. Douza Iani F. deſcribere illud ingens corpus cœpit, vixque dimidia parte abſoluta, peregre profectus eſt. Reliqua nunc mihi, in hac ſenectute & in ſummis occupationibus meis deſcribenda ſunt. Itaque fortaſſe ego prius *pallentibus vmbris* occumbam, antequam illud lucem videre poſſit. Tamen ad deſcriptionem, poſtquam moleſtia operis, quod nunc adorno, defunctus fuero, me conferam. De notis tuis in Nouum Teſtam. ſecurus eſto. Ego illi malo, quod te cruciat, occurri. Quandoquidem ita acceptum tibi, non edentur illæ. quas quidem nondum vidi. Eas Daniel Heinſius, & ſupra ætatem doctus, nominiſque atque operum tuorum ſtudioſiſſimus, vnus habet, quantum ſcire potui. Ipſe niſi fallor, aliquid nunc ad te literarum dabit. Elegias eius ſi ad te peruenient (& peruenient quidem) miraberis. Si perget, vti cœpit, dabit in lucem quod ingenia morari erudita poſſit. De odio improborum aduerſus pietatem, non eſt quod te tantopere moueat. hoc debebat, ſi hoc nouum eſſet, bonos, primum nunc ab improbis laceſſi. A Deo incipiunt: in nos mitiores eſſe non poſſunt. Ego in hac militia veteranus ſum. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Huic peſti præſentius remedium non video, quam eorum ſimultates negligere videri. Vnam tantum linguam habent, quam in bonos diſtringant: reliqua illis arma & Regis patrocinium, & legum excutiet frenum. Denique bene nobiſcum agitur, quod latrare, non etiam mordere poſſunt. Vale, mi Caſaubone.

VII. Eid. Nouembris Iuliani.

cIↄ Iↄ c.

EPISTOLA LVI.

ISACIO CASAVBONO. Ita me lectio tuarum in Athenæum Notarum afficit, vt nunquam ab ea niſi inuitus recedam. Quod ſi obſtinarem me non inde recedere, niſi quando ſatietas me cepiſſet, nullus finis futurus erit: nunc vero nullus eſt, niſi quem neceſſitas aut rei domeſticæ cogit, aut curandi corporis imperat. Ego nihil niſi magnum à te expectare ſoleo. Nunquam tamen me decepit iudicium: nunc vero etiam votum ſuperauit iſte nouiſſimus fœtus tuus. Vtinam eſſemus vna, nunquam te amitterem, quem te aut quæſtionibus meis laſſarem, aut ad inueſtigationem aliorum te locorum pellicerem. Sunt enim, neque tu negabis, alia multa, quæ diuinas lucubrationes tuas poſſunt augere. Et mihi, cornici poſt cygnum, neſcio quæ videor non infeliciter diuinaſſe: niſi hoc hariolari ſit. Quum per otium licebit (multis enim occupationibus diſtringor) per literas interpretes capita conferemus. Iamdudum meus Euſebius cogitabat foras, & miſere cupit prodire. Impetum vero noſtrum liber viri ampliſſimi & Senatoris Domini Petauii, cuius pagellas quaſdam manu propria deſcriptas ad nos miſit Gillotius noſter, retardauit. Quãquam ex medio libri quam ex hoc principio melius, quanti ſit exemplar illud, colligere poſſum. Non obſcure tamen optimæ notæ eſſe video. Et ſane dignus eſt liber, propter quem vadimonia ſua differat editio noſtra. Nolo tamen te neſcire, reſtitutionem integram illius operis Euſebiani non ex vllo manuſcripto exemplari, quantumuis bonæ notæ, poſſe explicari, quantumuis bonæ notæ, poſſe explicari. Nam diu eſt, quum ille liber carnifices manus correctorum ſentit, ante mille aut amplius annos. itaque nullius pene momenti ſunt, quæ ex manuſcriptis exemplaribus editionem noſtram exornare poſſunt, præut illa ſunt, quæ illi acceſſerunt ex induſtria noſtra. quod mihi ſine vlla glorio-

gloriola apud te amicum profiteri liceat. Nam quid vetat inter vos verum dicere? Vno morbo laboramus, penuria librorum. Immani pretio bibliotheculam adorno: quæ cum aliis mediocribus collata ne plebeii quidem bibliopolæ taberna dici poſſit. Et tamen non audeo fateri, quanti hæc friuola mihi conſtent, quæ noſtros ſacculos exhauriunt, & deſiderium vel potius ſitim noſtram non explent. Quantum librorum erat in ædibus ſoceri tui, quos ille in ſitu obſoleſcere & perire ſinebat, quos ego magno precio mercarer? Sed hæc eſt fatalis egeſtas mea, quæ mihi ſemper comes hærebit, neque vnquam ab amplexibus noſtris diſcedet. Sexageſimus & vnus annus monet me aliud curare. Itaque nudiusſextus teſtamentum meum conſcripſi manu propria: non ſolum de bonis maternis ſuprema mea ordinaui, ſed etiam de reculis, quas hic habeo. Amicis partem relinquo, vt ſint meæ potius in eos beneuolentiæ teſtimonium, quam vt legati nomen mereantur. Videor mihi magna aliqua ſarcina leuatus quod vltimum voluntatis meæ iudicium profiteri mihi in mentem venerit, priuſquam aut ſubitus morbus eo me adegerit, aut maior vis omnem opportunitatem mihi ademerit. Vtinam Græcum illum χρονόλογον tuum, cuius in literis meminiſti tuis, nobis adipiſci liceret. Ecquid ſpei reliquum? Vide, amabo, an nobis illius copia fieri poteſt. Reliquum Commentariorum patris in τὰ περὶ ζώων ἱστορίας proxima æſtate, niſi quid humanitus contigerit, deſcribam. Quod de Galeno à ſe deſcripto ille memoriæ prodit, ſcito ex illius bonis nihil ad me perueniſſe: præter Commentarios illos, & opuſcula Galeni manu ipſius tam eleganter, tam æquabili litera deſcripta, vt ab homine Græco, non Latino profectum id exemplar dicas. Quod vnicum eſt operũ Galeni, quæ nocturnis horis, dũ per militiæ vacaret munia, deſcribere, & illa tempora meliori parti vitæ ſuæ ſuf-

furari

Digitized by Google

ſi tari ſolebat, ante octoginta plus minus annos. Nos bene valemus. Sunt hic adoleſcentium non pauca felicia ingenia. ab illis frequentius multimur. Profundiſſima pace fruimur, nullis cathedris pædagogorum obſtrepimur, nulla nos fanaticorum concionatorum mendicabula obtundunt. Hac parte ſaltem noſtræ res veſtris antecunt, quod ſecurius agimus, quam vos, & ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν non videmus. De pædagogis noli committere, vt illos pili facias. illi rumpentur, tu ridebis. Vale mi Iſaci, & nos ama, Lugd. Batauorum. Sexto Cal. Februarii Juliani cIↄ Iↄc I.

EPISTOLA LVII.

ISACIO CASAVBONO. Diuturni ſilentii tui cauſam ignoro. Quæcunque illa eſt, præter voluntatem tuam eſſe, mihi perſuaſi. Equidem ante menſes duos trinas aut quaternas ad te literas dedi. Te accepiſſe, magis ex fide eorum, quibus eas dedi, quam ex tuis mihi conſtat. Velim tamen quamprimum mihi ſignifices, an τὸ ῥαβουλιον acceperis, quamuis recte tibi redditum eſſe certo ſcio. Hoc tantum peto, vt ſolicitudinem mihi eximas. Porro iſte qui has tibi reddidit, eſt ſtudioſus medicinæ, bonarum literarum, & Arabiſmi. Lucetiam eum non vrbis celebritas, ſed eximia eruditio tua euocauit. Vt in amicitiam tuam admittatur, quamuis iuſtiſſimam cauſſam habet eruditionem ſuam: tamen ſummus eius in te amor facit, vt ea indignus haberi non mereatur. Itaque non commendabo eum tibi, quum habeat in ſe, quæ quum tibi nota fuerint, συστατικώτερα πάσης ἐπιστολῆς eſſe iudicabis. Vale. Lugduni Batauorum IIII. Eid. Martii Iuliani cIↄ Iↄc I.

* *
*

EPISTOLA LVIII.

ISACIO CASAVBONO. Binas nudiustertius à te literas accepi, quæ non dico maiori me lætitia, an mœrore affecerunt. Nam omne gaudium quod ex illis percipere debebam, contaminauit ſollicitudo animi tui, quam in illis de arrogantia quæſtorum expreſſiſti, quo genere hominum nullum tibi infenſius fore poſt pædagogos augurabar: à quibus plus tibi inuidiæ quam damni imminere ſciebam. Sed, mi Caſaubone, non tu primus es, qui horum hominum ſuperbiæ obiectus es; ſi hoc aliquid ad leuandum dolorem tuum facere poteſt. Parum tamen erat ſuperbiam in te incidiſſe, niſi etiam rapacitas experienda eſſet. Eorum maior pars fraterculi Gigantum, terræ filii, quum hos honores adhamauerunt, atque eo aſcendiſſe ſe, ex quo deſpiciunt homines, viderunt, quid eis inſolentius? quid intolerabilius? Itaque merito regnant, quia ſummates viros obnoxios ſibi habent. Hæc vero eſt omnium tempeſtatum ſpurciſſima, quam tranquillitati tuorum ſtudiorum ſemper metui. Iccirco non ſolum te, vt de ea cogitares ſæpe monui, ſed etiam magnos amicos tuos, qui te ex honeſto illo otio ſollicitarunt, vt te ab illa ſecurum præſtarent, rogaui; neque committerent, vt te Lutetiam traduxiſſe viderentur, non vt te docti homines, ſed vt tu Terræ filios curares, & nunc primum patientiæ tuæ, quam nondum in diſcrimen vocaſſes, periculum faceres. Sed ſpeculæ aliquid reliquum video in illis ſummis amicis, quorum fides & humanitas tibi ſpectata eſt. Hi tibi crebro adeundi, vt per eos ad Regem ipſum querela tua deferatur. Quæ eſt vltima anchora; ſi nihil aliud τὸ ἀπάνθρωπον δυσωπεῖν poterit. Nam certe hoc modo expugnandi ſunt illi Pici, qui aureos montes colunt. Miſeram Galliam quæ tot Alaſtorum iniuriis opportuna eſt. In ea piſces minutos ma-

guis comeſt: magiſtratus miſerorum ſanguine farciuntur: &, quo nihil exitiabilius fore puto, in tanta veritatis luce, tenebræ mendacii homines, prudentes, ac videntes occupant. Nunquam alias tantum ſacrificulorum ac monachorum fuit. Quotidie in noſtra Aquitania, in Tecto-ſagibus examina Loiolitarum creſcunt: & quod procul dubio fiet, in ipſum priſtinum nidum Lutetiæ aut reſtituentur, aut irrumpent. Abſque iſtis omnibus incommodis, quibus omnis bonus in Gallia, & nuſquam alibi quam in Gallia, obnoxius eſt, iamdudum in præſidium meum Aquitanicum & me, & Muſas meas abdidiſſem, vt ſi nihil aliud, ſaltem hoc conſequerer, vt in illo angulo grabatulum meum collocarem, in quo ſanctiſſimus ſenex parens meus, quo indigna fuit Aquitania, tot libros elaborauit. Nam neſcis, mi Caſaubone, quantum deſiderium me illius gurguſtioli tenet. Qui tamen, quare hoc honeſtum, quo fruor, otium etiam deſerere velim, non habeo; & tum omnia mihi aduerſa in Gallia propoſita ſunt, quæ nouerca ſemper ingeniorum pacis & quietis amantium fuit. Sed obdurabo. Et Hollandiam, vbi mihi bene eſt, matrem; Aquitaniam de me peſſime meritam, nouercam habebo. Tu vero noli ἐκκακεῖν iſtos, & quod dixi, paucos ſummates ſtudioſiſſimos tui adi, vt eorum ope ab Harpyis aliquid eblandiri poſſis; tanquam omne quod conſequeris, donatum tibi, non debitum exiſtimes. Tuæ diuinæ in Athenæum Caſtigationes adeo me rapiunt, vt quum in illas incidi, ægre me ab illis reuelli patiar. Quis illam prouinciam tam digne adminiſtrare præter te potuiſſet? Deum immortalem, quantum bonarum rerum nos doces! Ego non erubeſco tibi μαθητεύειν. nunquam enim ſine fructu oculos in illud præſtantiſſimum opus tuum conüicio. Sed quid ſcribis vltimis tuis, poſſe me corrigere labores tuos? Vt mihi tantæ vnquam vanitatis venerit in mentem ὑπερ-

φιλαυτί-

μεσάμιε. Dixi, ſupereſſe aliqua videri quæ adhuc diligentiam tuam poſtulant. Multa enim adhuc inemendata relicta tibi eſſe, ne tu quidem negabis; ſed quæ à nullo quam à te in integrum reſtitui poſſunt. Hæc eſt animi mei ſententia. Me ne tam fatuum vt vllum ſpicilegium poſt meſſem tuam? Neque hoc cogitaui, neque tu, amice, animum tuum inducas, non ita inſanio. Euſebius meus denuo totus deſcribendus mihi, & tantum moleſtiæ deuorandum. Itaque nondum lucem videbit. Indignus eſt ſcriptor, propter quem manum verterim. Sed ſontica eſt cauſa, quæ me ad hanc ſcriptionem impulit: quod ex ipſa editione perſpicies. Octo aut nouem exemplaria manuſcripta illius Chronici ab vno homine dictata eſſe videntur; & ne pilum quidem inter ſe diſcrepant. Solus Petauianus codex in collatione temporum ab omnibus aliis non parum differre videtur. Sed horum omnium exemplarium συκίνη ἐπικουρία. Certe alio confugiendum fuit, vt ſcriptorem aut in priſtinum ſtatum reſtitueremus, aut ſaltem non ita diſſimilem ſui ederemus. Sed induſtriæ noſtræ ſenſus ad paucos perueniet; vt & Athenæi tui: qui ſi tales γνώμονας haberet, qualem me habet, etiam quæſtores tui vltro tibi faſces ſummitterent. Sed quot ſunt qui ita de literis iudicare poſſunt? Certe in omni re prius quod bene geſtum ſit, ſcire debemus, quam bene gerere poſſumus. Sed te non moror. Vale VIII. Cal. Maias cIↄ Iↄc I.

EPISTOLA LIX.

ISACIO CASAVBONO. Quod breuiores ad te, nunc do, hoc faciunt quas nuper longiores ad te ſcripſi: neque quid noui ſcribam ſuccurrit. Hi, qui tibi has reddent, cultiſſimi & ornatiſſimi adoleſcentes, digni ſunt quam tuam

tuam admittantur amicitiam. Eos primum nomine meo amabis, deinde & ſuo. Hoc enim eorum à te virtus exigit. Ii teſtes erunt, quanti te faciam, & inprimis quam me rapiat θαυμάσιον illud tuum in Athenæum opus. Deum immortalem, quis dignas tibi grates pro tanto in auctorem illum atque in omnes φιλολόγους beneficio perſoluit? Ego ſum is, qui ab omnibus diſcere volo: neque tam malum librum eſſe puto, ex quo non aliquem fructum colligere poſſim; ſed ἀβασκάντως dicerim, nullus ſcriptor tot, tanta, tam rara, tam erudita me docuit, quam tu illo diuino tuo opere. Sed εἶεν. Strenui herois facinore es functus. Quis, aut ſaltem quotus ex mille guſtum habet tam bene nauati ſtudii? Quis, ſi aliquem guſtum habet, qui non diſſimulet? Sed glorioſus ero. οὐκ ἔχω μὴ καυχώμενος. Satis eſt abundeque gloriæ tuæ, quod per me tui labores non ſilebuntur. Vnicum te Phœnicem literarum peperit hoc ſæculum; & me vnicum eruditionis tuæ præconem. Vale. Lugduni Batauorum, Eidib. Maji Iuliani cIↄ Iↄc I.

EPISTOLA LX.

ISACIO CASAVBONO. Magnum ſcrupulum mihi exemerunt literæ tuæ, quem priores iniecerant, quum ex illis non obſcure colligerem, tibi diſplicere longiorem moram iſthic. Et certe propius vero erat, vt te diſceſſiſſe exiſtimarem: neque minorem mihi metum fecerant literæ tuæ, quam tædium tibi rerum tuarum ſtatus, quem certiorem tibi optabam. Nunc ex literis tuis poſtremis hoc boni ſaltem percipio, quod per illas omni metu mihi carere liceat, quia te adhuc hærere Lutetiæ intellexi. Sed plus debeo literis ampliſſimi Gilloti noſtri, quæ non ſolum omni illo timore me liberarunt, ſed etiam

non

Digitized by Google

non vulgari gaudio affecerunt, quod ex illis intellexi te non ad aliam vrbem migraſſe, ſed ad alias & quidem meliores ædes, &, qui fuit cumulus gaudiorum noſtrorum, te Regem bono animo eſſe iuſſiſſe: tibi ab illo omnia meliora promiſſa. Non mercem montes auri, vt alium nuncium accipiam. Quare, mi amice, eſt quod tibi & mihi gratuler. ingenio & labore viciſti inſcitiam; poſterius monſtrum vinces, inuidiam, virtute & probitate tua. Qui tibi inuident, vltro tibi ſupplicium dabunt. Scripſi ad te vberius per adoleſcentes optimos Bituricenſes, à quibus ſerius tibi meas redditum iri puto, quod in Anglia pluſculum temporis triuerunt. De loco Pauli Apoſtoli, καὶ περὶ τοῦ παραβολεύεσθαι, minus mirum eſt te Græca peritiſſimum ita ſentire, quam amicum noſtrum optimum & doctiſſimum ſenem non vidiſſe τὸ παραβουλεύσασθαι τῇ ψυχῇ non eſſe ἑλληνισμόν. Etiam concedamus τὸ παραβολεύεσθαι Græcum eſſe: ſed vetus interpres Latinus omnino τὸ παραβουλεύεσθαι legit, & Syrus quoque ܒܣܪ, & idem Arabs استهان, id eſt, nullam ſibi rationem habere, καὶ ἀφονευθυμεῖν. Sententiam rectè reddidit amicus ille noſter, ſed perperam illud putat reſpondere, τῷ παραβουλεύσασθαι τῇ ψυχῇ, quod negamus Græcum eſſe. Sed valde placet *parabolanum* in verſione illa veteri codicis Puteani: & nos quoque huc retulimus quæ de Parabolanis in Codice imperiali legebamus. Et quidem tu rectè παραβουλεύεσθαι vbique in Chryſoſtomo in παραβολεύεσθαι mutandum cenſes. De hoc plura poteramus, niſi vereremur γλαῦκα εἰς Ἀθήνας. Vtinam per te illud βιβλίον Aſtrampſychi manceſceretur. Oro te, φιλτάτη κεφαλή, vt per te viucam illius librum ad menſem vnum impetrem. Curabo, vt rectè & bona fide reddatur. Euſebius noſter typographum non mouetur, ſed illum typographus, qui nouos charactères ex Germania

mania exſpectat. Malo te videre, quam audire, quid illi auctori profuerimus. Græca meliorem partem ex obliuione media excitauimus: & omnia ſine vlla exceptione reddidiſſemus, ſi nobis cuiuſdam libri, qui in Bibliotheca regia eſt, copia fieret. Sed fruſtra ſemper illius Bibliothecæ opem imploraui. Nam qui debebat homini nihili imperare, is vero illi cucurbitæ obnoxius eſt, ampliſſimus & laudatiſſimus amicus noſter. Itaque non eſt tanti tota illa Bibliotheca, & quicquid vſpiam puluerulentorum librorum eſt, vt Scaliger vel vlli monarchæ ſupplex ſit. De Aſtrampſycho iterum aurem vello. Gratum eſt me tibi homini tanto de Deſiderata perſuaſiſſe. Cui putas alii me perſuadere poſſe? Vix vni puto: neque flocci facio. Iam ad marginem libri mei notabo præclarum illum locum Chryſoſtomi, quem tibi debeo. Et Chryſoſtomus & tu mecum facis, quare tertium teſtem exſpecto? Sat eſt. Vale. Lugduni Batauorum, Nonis Auguſti Iuliani, die meo Natali, quo 61. annus mihi init. 1601.

EPISTOLA LXI.

ISACIO CASAVBONO. Nihil eſt, quod auidius cupiam ſcire, quam quid rerum agas, quo in ſtatu ſint res tuæ. Nam perculerant animum meum poſtremæ illæ tuæ, quibus rebus tuis diffidere videbaris. Sed proſperiora amici noſtri reſcripſerunt: melius tecum agi ac blande te à Rege compellatum. Ego, mi cariſſime,

καὶ κοινὰ τῶν φίλων, in iis quæ ad tua pertinent, nulla te propria cura affici volo. Ego vt lætitiæ ita & mœroris tui, ſum particeps. qui me in ſocietatem omnis fortunæ tuæ offero: quæ me perinde ac te afficit. Teſtis erit mihi Nobiliſſimus Buzenuallios, (qui tibi has reddet,) quanta in ſollicitudine rerum tuarum fuerim, & quanti ſemper fecerim & rem familiarem tuam bene ſtabilitam eſſe, & ſecuritati ſtudiorum tuorum optime conſuli. Id ſi conſecutus es, (vt conſecuturum ſpero,) nihil vltra peto. Nam ſatis me anxium res tuæ habuerunt: quarum ſtatui cur conſultum velim, primum amor in te meus; deinde publica vtilitas facit: quæ non niſi rebus tuis ſaluis conſtare poteſt. quum à te nihil prodierit, quod non eximium, præſtantiſſimum, & reipub. literariæ fructuoſiſſimum ſit. Multos habes diſcipulos, id eſt, totidem lectores operum tuorum, in quibus eorum, qui multum te magiſtro ſe profeciſſe dicant, ego aut non deterrimus, aut certe inter præcipuos ſum. Hanc confeſſionem, hoc teſtimonium à me exprimit tuus Athenæus, à cuius lectione longe doctior & melior prodii. Sed hæc priuatim. Et alia longe luculentiora de te iudicia mea vel iſte nobiliſſimus vir, vel alii amici noſtri, tibi referent. Euſebius meus iam annum ceſſat: interuenit illi mora ex deſiderio noſtro. Eſt quidam ſcriptor in Bibliotheca Regia, qui multum exornare auctorem noſtrum poteſt: imo ſine eo non niſi imperfectus prodire poteſt. eius vſuram à Thuano Præſide poſtulo. Si impetro, ſpero me totum Euſebium Græcum publicaturum. ſin minus, nihil aliud, quam per Thuanum noſtrum ſtetiſſe dicam, quin melior prodiret, autor noſter. Si veretur librum ſub idoneis fideiuſſoribus credere, ſaltem vt tibi tradat excerpenda ea quæ ille ſcriptor ex Euſebio accepit. Tu quamquam occupatiſſi-

omnibus linguis locum habeat, in Arabiſmo præcipuum habet, cuius linguæ tam multiplex verborum vſus eſt, tam perplexa, anceps, moroſa ſententiarum conceptio, vt, quum te boni interpretis munere functum credas, quod ex idiomatis vſu, & Grammatices præceptis omnia expreſſeris, nihil tamē effeceris, quia longe aliter accipit author, ac tibi interpreti viſum eſt. Hoc ſi mihi accidit (& vero accidere potuit, quid ni?) ignoſcendum eſt nobis, tum propter multiplicem idiomatis vſum, tum qui tyrones ſumus. Scis duplices eſſe in lingua illa apices, τῶν διακριτικῶν καὶ τῶν γραμματικῶν. Punctum διακριτικὸν diſtinguit figuram à ي ن ث ب ق ف, Omiſſio vnius puncti quam diuerſum ſenſum pariet? In illo libello legi * *. Ego video legendum * * *. Et tamen alteri lectioni non abſurdum ſenſum potui attribuere. Denique ſi quid ego aliter interpretatus ſum, alius aliter, & vterque bene, neuter videtur peccaſſe, etiam ſi ille οὐ ἀληθῶς ἐστοχάσατο, non ego. Pauca tamen eſſe puto, quorum mentem aſſequi non potui; & fortaſſe nihil me præteriit. Sed interea profiteor non tyrocinium modo, ſed & inſcitiam Arabiſmi, qui tamen tot volumina deuoraui. Neque ſum is, qui ex vnius libri lectione, tantum in illa lingua profeciſſe me putem, vt & interpretari omnes libros non verear; & ſi quod verbum ignoro, illud ex Lexico Chaldaico hauriam, idque ex temeritate mea conſequar, vt aliud ſus, aliud Menecles dicat; vix denique vllum attigerim verbum, in quo non audaciæ meæ, inſcitiæ & arrogantiæ veſtigia relinquam. Quia Hebraiſmus eam viam ſternit Arabiſmo, quam Latinus ſermo Italico, Hiſpanico, Gallico; propterea non ſequitur, vt idem verbum eandem notionem in Arabiſmo habeat, quam in Hebraiſmo habet. Imo hæc vnius verbi in vtroque idiomate diuerſa notio, vna ex

ire, aut in aliquo angulo latere. Si nanciſci illum potes miruum in modum ad Arabiſmum tibi proderit. Iterum Vale.

Sed nondum te abſolui. Iam conuenit me Vulcanius noſter, à quo tibi ſalutem dico. Is tibi ſcripſit de Cyrillo qui in manibus Epiſcopi Bellouacenſis eſt. De eo, quum ad Iohannem Commelinum ſcripſiſſet, vt ex hæredibus Oporini ſciret, quid eo libro factum eſſet (apud Oporinum enim Vulcanius illum cum aliis nondum editis depoſuerat) accepit ab eis, librum illum alioſque Epiſcopo eſſe traditos: qui quum libenter eos eſſet paratus reddere, aiunt iidem hæredes ipſum à te monitum, vt ipſi Vulcanio redderet. Itaque oro te, vt hominem moneas librum vt Vulcanio remittat. Nihil eſt quod vtrique noſtro gratius facere poſſis. Vale.

EPISTOLA LXVI.

ISACIO CASAVBONO. Omnibus tuis literis reſpondi quas ad me dediſti ante menſem Decembrem. Binas poſtea diuerſo tempore accepi, vt dubitare non debeas quin omnes tuæ redditæ mihi ſint. Rabulium remiſi, quia eiuſdem exempli vnum habeo. Itaque velim quamprimum certiorem me facias, an acceperis, vel potius te accepiſſe. Nam ille, cui dedi, tibi reddidit. Non enim credidiſſem librum, niſi ſpectata eius mihi fides eſſet. Sed vt me liberes ſolicitudine, oro, verbo vno ſignifica te accepiſſe. De Georgio Monācho gratiſſimum itaque quanta eius in exſpectatione ſum, non ſcribo, quia te ſcire non dubito. Aliud exemplar ex Auguſtana Bibliotheca, ſed lacunoſum, & multis partibus Regio inferius expecto: & quantum coniicere poſſum, ſimile illi, quod eſt in Vaticana. Reſpublica Auguſtana non inuita eius vſuram mihi cōceſſit. Itaq; cauſſæ nō erat, cur illius Regii copia mi-

lū de-

Digitized by Google

lu denegaretur. Iam pluſquam annum, propter illius exemplaris exſpectationem Euſebius meus ceſſat. quod ſi nactus non eſſem, omnino conſilium de edendo Euſebio abieciſſem. Cur enim inchoatum opus ederem, quod abſolutum dare poteram? De terrore ☿ χ ξ ς, qui inceſſit animis Principum, procerum & aulicorum, mihi neque mirum, neque inſolens. Omnis apparatus ille inimicus iam olim προεῤῥήθη. Hodie minus agitur: & me felicem, qui hæc audio tantum, non video: & longe feliciorem, quod minimum vitæ mihi ſupereſt, ne videam ea, quorum euentus nullo conſilio humano declinari poteſt. Nihil tam me ſollicitum habet, quam quid me futurum ſit, ſi aliquo caſu (& multi quidem impendent) hoc ignobile otium, iſte ſeceſſus amabilis, hæc innocentiſſima vita mihi deſerenda fuerint. Nam quantum me patria caritate ſua deuincire poteſt, tantum me deterret factione eorum, qui in eam irrepſerunt, quos nunquam ſine dolore oculorum & animi videre poſſem. Non ſum vates, ſed omnino accidat neceſſe eſt, quod ſecuritati illi, qua vos fruimini hodie, vim faciat. Quomodo accidet, facilius eſt ſuſpicari quam dicere, ſed accidet omnino. & iam omnia ſtant in præcipiti. Cur non hæc ita fore credam, qui emiſſariorum ☿ χ ξ ς animos huic vni rei imminere videam? qui iam ἐπιπόλαιον ἄδειαν. Sed quid obſtet, quo minus in integrum reſtituantur, ſatis mirari non poſſum, quum certum ſit reſtitutum iri, & hoc conuenerit inter τὸν χ ξ ς, καὶ τὸν [illegible]. Venio nunc ad tuas priores earum quas nuper accepi. Excerpta Chronologica tua non tibi prius reddere poſſum, quam Georgium accepero, ex quo Chronologus ille non pauca deſumpſit. Itaque prius mihi conſtare debet, quid alteri dederis, quod alter habeat, quam librum tuum tibi remittam: remittam vero ſtatim ac cum Georgio contuleſo,

illum librum recenſebo, & ſtatim vna cum literis ad clariſſimum Memmium, quibus illi gratias agam de comitate iſta, remittam tibi. Non ſolum ipſe hoc nomine de me meritus eſt. Exſtant & patris eius in me merita, cuius Bibliotheca mihi patuit, vt viuo ſua offerret, & ſæpe libros vtendos etiam non roganti mitteret. De Bibliotheca regia tibi gratulor. Cui iuſtius pateret, quam tibi? Potes tu hinc multa in tuos hortulos deriuare, hoc eſt, multa in publica commoda expromere, & tua ſcripta exornare. Potes etiam aliorum ſcripta iuuare. Te quoque in hac re non ſolum fautore, ſed patrono opus eſt mihi. De eo iam ad te ſcripſi, neque ſemel ad clariſſimum Thuanum. Eſt quidam monachus Georgius, qui Chronologumena à conditu rerum ad tempora Maximinorum deſcripſit. Hinc illum ad ſua vſque tempora excipit Theophanes quidam. in eo libro fere totus eſt Euſebii Chronicus labor. Quare eum peto vtendum; idoneis quidem fideiuſſoribus me bona fide reſtituturum. Si hoc impetro, luculentiſſimum Euſebium edemus, quem iam multis partibus excoluimus. Peto à te, vt in hac cauſſa me iuues, neque vnquam deſiſtas priuſquam rem impetres. Buzenuallius dabit operam vt tuto mihi deferatur. Et noſtra amicitia, &, quod caput eſt, publica vtilitas exigit, vt me omni ope conſilioque tuo in hoc negotio iuues. Si repulſam fero, non tamen victum me fatebor, & quod bonitate cauſſæ eblandiri non potui, pertinacia extundam. Nunquam quietum Thuanum eſſe ſinam, niſi mihi ſatisfaciat, & iuſtiſſimæ petitioni meæ. De verbo περιβολάδιον, iam memini iudicii tui. & gratum eſt, meam coniecturam limatiſſimo iudicio tuo confirmari. Idem dico περὶ πολιτείας vel λειτουργίας, quam deſideratam vocari à gloſſario minime dubitabam. מורה הנבוכים non poteſt ſatis laudari. Ego non tantum illum li-

brum, ſed etiam omnia illius Magiſtri opera tanti facio, vt ſolum illum inter Iudæos deſiſſe nugari dicam. Habeo illum librum manuſcriptum ſermone Arabico, charactere Iudaico. Quidam doctus Iudæus conuertit eum Hebraice, quem & nos quoque habemus. Sed qui Latine vertit Hebraica, non Arabica conuertit, & quidem ſæpe hallucinatur: neque mentem auctoris aſſequitur. Non puto hodie Arabicum extare inter Iudæos Europæos, neque inter Chriſtianos, præter meum. De Zabiis, ſcito eſſe Chaldæos, צבאים, arab. صابين *Tzabin.* Dicti à vento Apeliote: quaſi dicas Orientales. Liber de hac gente, eorum ritibus, religione, ac moribus, quem toties citat Rambam, extat adhuc in manibus Arabum Muhammedanorum. *Hacaoth* male ſcribitur pro *Harranoth* חרנות. Magna ſeges mendorum eſt in Latino. Præter illa, quæ ab inſcitia interpretis peccata ſunt, acceſſit & inſcitia librariorum, aut typographorum. Nam fere ſemper legitur *ſpecialem,* vbi *ſpiritualem* legendum erat. Ex compendio natus eſt error. Ex eodem fonte manauit *Prophetia* pro *Philoſophia. Bonitatem,* vbi *breuitatem* legendum erat, cap. 32. lib. 1. Sequenti capite *altitudo naturalis,* ſcribendum, *aptitudo.* Infinita poſſem eiuſmodi referre, ſi locus & tempus postularet. Bereſchith Arabicum, quod nactus es, eſt Rabbi Saadiæ: vbi male חלק pro כלק. Nam Iudæi خ forte cum puncto exprimunt per ſuum ך, neque vnquam ſcribunt Arabica, niſi charactere ſuo. Itaque qui volet Arabice diſcere à Iudæis, operam ludet. Ego deprehendi, Rabbinum Kimhi & Aben Ezra nunquam characteres Arabicos didiciſſe. Itaque quod per ح ſcribendum erat, ipſi putant in Arabiſmo ſcribi per خ. Item quod per ج ab Arabibus, per ג concipi putant. quia pronunciatio Gimel apud Arabas in omni ſyllaba eſt,

vt

vt apud Gallos in Ge, & Gi, hoc eſt, mollis. Quando autem Arabes Ga volunt vſurpare, vtuntur Ain cum puncto, quod eſt illorum G Germanicum. At Hebræi & Syri non habent Ge, Gi Gallicum, ſed eorum Gimel eſt ſemper Germanicum, hoc eſt, durum. Ita ergo concipiendum erat illud comma Saadiæ, quod characteribus Iudaicis appoſuiſti, Poſt * * *

اول ما الله السموات
والارض والارض كانت غامرة ومستبحرة وظلام
على وجه الغمر وريح الله تهب على وجه الماء وشاء
الله ان يكون نور وكان نور ولما علم الله ان
النور جيد وفصل الله بين النور وبين الظلام .

Sed aliud Targum habeo manuſcriptum, ex quo idem Comma producam, vt comparare poſſis inter ſe.

اول ما خلق الله السماء والارض والارض
كانت غمرة ومستوحشة وظلام على وجه
الغمر وريح الله تهب على وجه الماء وقال
الله يكون ضياء وكان ضياء وراى الله الضياء
انه جيد وفرز بين ضياء وبين الظلام ۞

Potes facile internoſcere, quæ differentia ſit vtriuſque Paraphraſtæ. Hebraice peritis facilis aditus eſt ad veſtibulum huius linguæ. Sed intra ſacrarium non niſi poſt multos annos admittuntur, vt illi μυσταγωγούμενοι, Sunt enim quidam qui ex lectione vnius Epiſtolæ Paulinæ trihorio prodierunt Arabes, & alios docere voluerunt. Nos τυφομανίαν illam περιβαλλόμεθα, qui experimur quotidie, quanti nobis conſtet parum didiciſſe & multum æſtuaſſe. Sed de his plura & vberius, vbi

voles. Quando tuum opus de Critica prodibit? Laudo conſilium de Critica Maſoritica, nam nullam aliam habent Iudæi, & poſterior eſt editione Talmudis. Deliriant, qui puncta vocalia ſimul cum lingua nata eſſe putant: quos ratio, vetuſtas, καὶ [illegible] ipſa inſcitia reuincit. Nihil de ea Critica reliquum hodie eſt, præter Magnam Maſoram, quæ cum libris ſuis Bibliis ſacris edita eſt. Eam recte exponit Elias, vnicus huius æui Criticus, & Ariſtarchus Hebraiſmi. Moneo iterum, vt inquiras de Georgio Monacho. Vale φιλτάτη κεφαλή. Lugdun. Batau. vi. Cal. Nouembris Iuliani cIↄ Iↄc i.

Epistola LXIII.

Isacio Casavbono. Paullo poſtquam ad tuas vltimas reſpondi, accepi Chronologum tuum Faſtorum Siculorum, quos vocant, vna cum [illegible]. Scito, mi Caſaubone, nil mihi gratius potuiſſe contingere, quam hunc Chronologum, ex cuius reliquiis menſas Euſebii noſtri inſtruam. Nam in eo ſunt quædam ex Georgio, quem tantopere deſidero, & quædam, vt puto, quæ Georgius non habet. Sed Georgium fruſtra à vobis expectaui, quantum video, & quia periit, & quia non impetraſſem, etiamſi in veſtra poteſtate fuiſſet. [illegible] μηδὲν ὄνασθαι [illegible]. Sed τούτων [illegible] πέρ. Spes eſt nobis, aliunde ſuppeditatum iri Georgium. Ille qui Pariſiis ſcripſit Circenſia, viſus eſt illo, quem deſideratis, citat enim in ſuo opere inter alia ἀνέκδοτα. Barnabas Briſſonius bonam partem librorum Regiorum domum ſuam tranſtulit. Poſt caſum eius, vidua auara fruſto panis, ſi ita loqui fas eſt, diuendidit. Aliquot vidimus in iſtis regionibus. De Capitulis Arabicis Geneſeos, quæ in manus tuas inciderunt, ſcripſi ad te nuper

nuper. An literas acceperis, vno verbo potes ſignificare. Sidonicum hominem n[a]ctus fuero, cui [illegible] recte dare poſſim, remittam. Nam illud nugatorium ſcriptum habebam. Sed tanti faciebam, vt non meminerim me habuiſſe tum, quum iſtud à vobis vtendum petebam. Sed illa Aſtrampſychi non ſunt in noſtro. Æquo animo vtroque carere poſſum. Quum animum remittere volo, aſſumo in manus ſcripta illius, qui Amphitheatrum Martialis & Perſium nuper κατακέχοδεν. Nam nunquam ſuauius rideo, quam cum aliquid eius lucumonis video. Sæpe mirari ſoleo illum tantum ſcriptorum legiſſe, ideo vt nihil ſciret. Quam ſæpe delirat! Et tamen habet admiratores. Habeat igitur, ſed Pariſienſes; ὄζειν ἀλωπεκῆς τὸ πῶμα. Vale. Propediem vberius tibi ſcribam, quum mittam Tragœdiam Heinſii. Lugdu. Batauorum VI. Eid. Decembris Iuliani cIↄ Iↄc I.

EPISTOLA LXIIII.

ISACIO CASAVBONO. Priſcianum accepi vna cum ſchediis Pſellianis Aſtronomicis: quorum nomine non minores tibi grates ago, quam ſi mihi alicui vſui eſſe poſſent. Animum enim tuum ſpecto, qui tanquam alicuius precii illa miſit. Nunc vero ſcito eſſe omnia plebeia. Meliora ominor de illo Græco ſcriptore anni Perſici, qui adeo mihi ſaliuam mouit, vt omnia mea ſtudia damnem, niſi illius mihi copia fiat. Et quia tuis poſtremis eius mihi ſpem certam facis, parcam te obtundere porro, ne videar fidei tuæ rationem paruam tribuiſſe. Hoc vnum peto, vt quam ocyſſime poſſit, ille liber, aut ex eo exemplar deſcriptum, ad me mittatur. Certus ſum ex illo ſepulcro me theſauros effoſſurum, iis argumentis & ſignis inſiſtens, quibus auctorem il-

lum, & ſcriptionem eius deſignaſti. De folio editionis Euſebianæ Burdegalenſis, amo te. Sed tanta mihi inceſſit cupido eius, vt verear, ne nihil præter illud folium compareat. Non ignoro φιλοτιμίαν eorum, qui eam editionem adornant. Noui Loioliſtarum, præſertim Aquitanicorum, τὸ φίλερι, ac quam difficile concoquere poſſunt cogi ſe à Caluiniſta diſcere, quod ipſi alios mallent docere. Quid aliud quotidie video? Ac de illis non moror quidem, qui nos aperto Marte petunt, neque ſine clarigatione bellum indicunt. Tolerabile hoc eſſet, niſi inter nos eſſent, quos eadem ſcabies vrit. Sed ad Euſebium. Vereor, amice, ne ſit μορμολυκεῖον, quo deterreri nos ab incepto putent. Sed vtinam edant: καὶ ἐῤῥίφθω quidem κύβος per me. Nihil eſt, quod mea & Euſebii cauſa malim: quem ſcito à nemine edi poſſe eo, quo illum inſtruximus, modo. Tantum abeſt, vt ea editio mihi animos deiecerit, vt vltro fecerit. Sed tuus Venetenſis amicus quam alius eſt ab eo, quem ex aliorum ſermone mihi perſuadebam eſſe. Nihil eſt minus Latinum, quam eius epiſtola, quid ambitioſius ἀκαίροις illis commatibus tam ridicula diligentia hinc & illinc emendicatis? Quæ hæc ſartago loquendi? Ego aliquid Latine ſcio. quidam amici hoc mihi perſuaſerunt. ſed æſtuaui non parum, imo ſudaui plus ſatis, dum modum ac viam quæro, qui eius mentem & ſenſum animi ἐκ τῶν ἑλικτῶν ἐκείνων eruere poſſem. Si non plane intellexi, ſuſpicatus tandem ſum, quid λογοδαιδαλίας molitione vellet. Deum immortalem! quid aliud, quam hunc circumtonuit flagris Bellona cruentis? Nauſeaui, quia ad te, non ad me, ſcripſit: quod ſi ad me, non nauſeaſſem, ſed ſtrenue me ad pugnam comparaſſem. Neque profecto alius ſcabiem illi νεανικώτερον defricaſſet. Nunc quum tuum ſit reſpondere, ἀνὴρ eſto, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ in arenam deſcendito. Neque diſſimulandum,

tuam

noui animum tuum. Facies, certo ſcio. Vale Lugduni Batauorum XVII. Calend. Ianuarii Iuliani CIↃ IↃ CII.

Adoleſcens * * * * * o qui meas poſtremas tibi reddidit, nondum notus eſt tibi. Quem ſi noueris, non ſolum meo nomine, qui eum nuper tibi commendaui, amabis, ſed & ſuo; propter rarum ingenium, quod per ætatem nondum eas artes attigit, quas temporis progreſſu conſequi poterit: ſi aliquam ſecuritatem eius ſtudiis tua commendatione, qui multum potes apud bonos, nanciſci poſſemus. Itaque, ſi quam conditionem honeſtam curare illi potes, oro te per amicitiam noſtram, vt adoleſcentem illum, frugis bonæ, & maximæ ſpei, in aliqua familia colloces, vt alios docendo ſeſe docere poſſit. Tanta eius ſunt in me merita, vt non verear à te poſtulare hoc beneficium: quia mihi imputabo, quod in illum contuleris. Iterum Vale.

EPISTOLA LXV.

ISACIO CASAVBONO. Antequam poſtremas tuas literas accepiſſem, alteris iam reſponderam: quibus ſignificaui, illas pagellas Pſellianas me accepiſſe; neque eas tanti eſſe, vt ex illis melior fiam & doctior. Quare remittere illas tibi decreui, quum per hominem licuerit, cui recte eas, & hæc quæ nunc accepiſti, tradere poſſem. Priſcianum meum vix tandem agnoui, ita male exceptus ab eo, quem non puduit ob rem tam parui momenti amicum perdere. Sed neque meum Priſcianum recepiſſem, niſi importuna amicorum flagitatio pipulo ab eo expreſſiſſet. Neque is ſponte tradidiſſet, niſi ex amicis reſciuiſſem librum illum penes eum fuiſſe: quum ipſe nihil minus cogitaret quam fateri meum eſſe, abſque iis fuiſſet, qui manum meam agnouerunt. Non primũ nunc agnoſco [illegible]

niſi haberem Arabica. Actus publici, edicta, leges, contractus, Diplomata Regia, pura Arabica concepta ſunt. Sed & Prouerbia quoque, de quibus ſpem feciſti, ſaliuam adhuc mihi mouent. In prouerbio Pythagoræ didici verbum quod neſciebam, [illegible]. Qui tantum theſaurum Arabiſmi mihi paraui [illegible], adhuc profiteor inopiam meam. Hoc non facerent, qui trihorio prodierunt doctores Arabiſmi, & quum quædam ex nouo Teſtamento interpretarentur, quia nihil aliud præter illa pauca legerant, & fieri non poterat, vt lectione tam paucorum verborum, tam breui tempore omnem Arabiſmum ediſcerent, ſed occurrebant multa verba, quæ nunquam viderant, eorum verborum ex Lexico Munſteri Chaldaico interpretationem petebant. quod quoties mihi riſum ſuſtulit? Vix tamen perſuadebis illis, quin etiam ipſos doctores legis Muhammedicæ in Arabiſmo anteeant. Nam de Hebraiſmo nefas dubitare, quin ipſi docere poſſint literas Hebraicas etiam conſummatiſſimos Iudæos. O mi Caſaubone, rari ſunt inter noſtros, qui mediocriter Hebraice ſciant, quum tamen rari ſint, qui omnino neſciant Hebraice. Quid de Græcis loquar? quis hodie neſcit Græce? Sed quis eſt doctus Græce? Non dubito eſſe aliquot: ſed paucos, & quos non noui ne de nomine quidem. Te vnum noui & memoriæ auorum & noſtri ſeculi Græce doctiſſimum, qui vnus in Græcis præſtiteris, quæ poſt renatas apud nos bonas literas omnes nunquam præſtare potuiſſent. Si quis eſt hodie, qui & tenuitatis ingenioli ſui ſibi conſcius ſit, & qui libenter ac intrepide id profiteatur, is ego ſum. Tamen præter vſum aliquem literarum, quem mihi non ingenium, ſed longa ætas fecit, hoc conſecutus ſum, vt de iſtis rebus nemini concedam, de quibus iudicium ferendum eſt. Itaque multos habes teſtes eruditionis tuæ, amatores, admira-

tores: ſed qui de præſtantia doctrinæ tuæ certo indicare poſſit, ego aut vnicus ſum, aut qui cæteros hac in re longo interuallo vinco. Omnes quotidie hauriunt ex tuis ſcriptis, acceptum tibi referunt, tantum te amant, quantum ex lectione tuorum ſcriptorum proficiunt: ſed qui eum ſenſum habeant eximiæ eruditionis tuæ, quos lectio lucubrationum tuarum afficiat, vt me, neminem eſſe puto: & hæc vna ratio eſt, quia eum vſum harum rerum non habent, quem ego habeo. Hoc vnum doleo, neminem hodie ignarum eſſe, & neminem doctum. Sed rapior veritatis ſtudio, & extra terminum expediui iaculum. Redeo ad noſtra Arabica. Oro, vt illorum Prouerbiorum vſuram per aliquot dies concedas. Auctorem Abuobid non memini. Vtinam accipiam ſimul cum Lexico Feſſano! De Heynſio magis mirareris, ſi & adoleſcentem noſſes, & eius Poematia, quæ aliquando edet in publicum, legiſſes. Itali nihil habent, quod Tranſalpinis obiiciant. Noli putare illum iuuari ope noſtra. Ego potius eo vtor magiſtro. Non exceſſit xx. annum. ideoque ſi de eius meritis prædicauero, amori potius, quam vero id concedere videbor. Quare malo aliquando ipſe ſcriptis ſuis virtutis ſuæ fidem faciat, quam ego prædicatione mea. Vale Lugd. Batauorum. x. Calend. Quintilis Iuliani CIƆ IƆC II.

Libellum Gallicum de Loiolitarum factione pellenda me accepiſſe, libenterque legiſſe, poſtremis meis ad te literis ſignificaui. Gratiasque egi tum tibi, tum diſertiſſimo auctori, cuius magnum nomen hic & in Germania. Libellus autem iſte iam latine & Teutonice excuditur. Certe ille vir magna cepit eſſe in celebritate apud probos & doctos. In Germania apud Heſſios quidam colligit quicquid in Ieſuitas hactenus ſcriptum extat. & breui liber proditurus eſt.

Vale iterum.

EPI-

Epiſtola LXXIII.

Iſacio Caſaubono. Binis tuis poſtremis, quas eodem tempore accepi, varie affectus fui. Alteris offendebar, quod ex illis nihil te mearum accepiſſe perſpiciebam: alteræ moleſtiam illam abſterſerunt, quod eodem momento tibi omnes meas redditas eſſe ſignificabas. Scito enim me prius mihi ipſi defuturum, quam vt negligentia mea aliquid de officio meo decedat. Si quid tibi videbor ceſſaſſe, (quod accidit quum aliena negligentia fit, vt meas vel nunquam vel ſerius accipias,) antequam animum tuum inducas queri de me, reputa aliquid interueniſſe, quod curſum literarum mearum interceperit, potius quam vt tibi ceſſator videar, aut negligentior. Si enim à natura ita comparatus eſſem, tamen tua cauſſa etiam ipſi naturæ vim facerem. Sed nemo hominum viuit neque minus negligens, neque magis auerſus ab hac re: quod in aliis rebus vitium ſane vocetur, in amicitia ego graue peccatum iudico. Nihil enim nobis antiquius eſſe debet, quam amicitiam, ſine qua vita nulla eſt, omni genere officiorum, præſertim literarum frequenti opera, cuſtodire. Id ego facio, quantum in me eſt, & vt maxime omnium glorior amicitia tua, ita maxime mihi laborandum, vt incorrupta maneat. Sed quid faciemus iſtis, qui aut nunquam, aut ſero vix tandem literas noſtras reddunt? Etiam ſcio aliquot tibi redditas non eſſe, quas fortaſſis aut nunquam accipies, aut tunc quum earum omnis fructus ἕωλος erit. Valde laudo conſilium tuum de Notis in hiſtoriam Auguſtam. Nam meum Euſebium expectare, plane eſt ὠκεῖν ἐπιχειρεία. Nam neque tam cito prodibit, & hiſtorica non multa tractabuntur, niſi quæ ad ἐποχὰς temporum faciunt; quia vnum ſpectamus tantum, vt quæ

ad

vt quæ ad ἀνθοφορείων χρονολογικῶν fecimus, ea diſputemus ſolum, & arcana multa hactenus ignorata eruamus: errores qui in animis hominum radices egerunt, euellamus; ipſum Euſebium à mendis librariorum vindicemus; Chronologiam ipſam ab erroribus Euſebii, qui, Deum immortalem, quot, quam graues, quanti momenti ſunt! Euſebium integrum quidem dare non poſſum, ſed meliorem, non dicam quam antea, ſed quam quiuis à me ſperare poſſit. Multum Georgius nos iuuit, ſed & non parum Chronologus tuus: non quidem aut induſtria aliqua ſua, qui fuit homo ἰδιώτης; neque ratione temporum, quæ in illo perturbatiſſima eſt, ſed fruſtis Euſebianis, quæ non pauca ſunt in illis quiſquiliis. Ita nullus eſt liber paulo vetuſtior, ex cuius ſterquilinio aurum non colligas. Expecto idoneum hominem, cui illum Chronologum recte dem, vt tibi tuto reddatur. quem non piguiſſet deſcribere, niſi tot deliria ſcriptoris me ab incepto deterruiſſent. Certe non pauca habet, quæ intereſt non ignorari. Gratum feceris, ſi παροιμιογράφον Arabicum miſeris, cuius ſpem nobis facis poſtrema epiſtola tua. Adhuc Gruterus ab amicis pluſquam trecentas habuit Inſcriptiones, quæ magno illi accuduntur Operi. Indicem miſi; mei mentionem fieri prohibui. Editio enim tota Gruteri eſt; ego mediaſtinus operas tantum contuli. Index ipſe eſt anima illius corporis, & acceſſione multarum rerum augebitur; quæ ex illa Appendice inſcriptionum colligentur. Valde me decem continuos menſes labor ille exercitum habuit. Sed multa me docuit; & aliorum laborem meo labore minui. Scio te multa in ſcriniis habere, quæ publicæ vtilitati debes. Itaque oro te vt omnibus opuſculis tuis præter illud de vera Critica; cuius mentionem in diuinis Notis tuis in Athenæum facis. Viri eruditi hoc à te expectant; ego vero etiam, vt edas, vltro hortor. Gruteri Martialem

vidiſti

vidiſti, vt puto, in quo infiniti loci à mendis purgati ſunt. Idem, cura Petri Scriuerii noſtri, cum multarum emendationum cumulo hic recuderetur. Vale. Lugdun. Batauorum. vi. Kal. Auguſti Iuliani.

EPISTOLA LXXIV.

ISACIO CASAVBONO. Nudius-tertius ad te ſcripſi: itaque non diutius te morabor, ſatis enim poſterioribus meis garriui. Nunc nactus idoneum hominem, cui recte tuum darem Chronologum, non dubitaui ei credere: quod eius mihi ſemper perſpecta fuit & fides & conſtantia. Quid mihi iudicii de hoc ſcriptore ſit, nuper ad te memini me ſcribere. Ego ſatis auri ex illo ſterquilinio collegi. Sed tamen multa bona habet, quæ nemo præterquam qui harum rerum τεχνῶν ſit internoſcere poſſit. Quod genus hominum quam rarum eſt, id equidem te non dubito ſcire; ego, qui experior quotidie, in vllo genere literarum non eſſe rariores artifices ſcio. Sed de his alias. Dabimus bonum, exornatum, caſtigatum Euſebium, vtiliſſimum Reipublicæ literariæ, & tibi gratiſſimum. Satis eſt ſi hoc præſto. Vide confidentiam meam. Non pœnitet μεγαλοῤῥημοσύνης. Nam & te & me noui. Vale. Lugdu. Batauor. iii. Nonas Sextilis Iuliani, biduo ante natalem meum lxiii. cIↄ Iↄc ii.

EPISTOLA LXXV.

ISACIO CASAVBONO. Binas ad te nuper literas dedi. Ex eo tempore quid noui tibi ſcribam, non equidem habeo. Hoc vnum ſupereſt, vt tibi commendem iſtum optimum & ſtudioſiſſimum tui & mei adoleſcentem; moribus, quibus præditos eſſe oportet, quos tibi

voles. Quando tuum opus de Critica prodibit? Laudo conſilium de Critica Maſoritica. nam nullam aliam habent Iudæi, & poſterior eſt editione Talmudis. Delirant, qui puncta vocalia ſimul cum lingua nata eſſe putant: quos ratio, vetuſtas, καὶ ὁ θαυμασιώτατος ἔλεγχος ipſa in ſua re vincit. Nihil de ea Critica reliquum hodie eſt, præter Magnam Maſoram, quæ cum Libris ſuis Bibliis ſacris edita eſt. Eam recte exponit Elias, vnicus huius æui Criticus, & Ariſtarchus Hebraiſmi. Moneo iterum vt me iuues de Georgio Monacho. Vale ἐῤῥωμένῃ τῇ κεφαλῇ. Lugdun. Batau. VI. Cal. Nouembris Iuliani CIↃ IↃ CI.

Epistola LXIII.

ISACIO CASAVBONO. Paullo poſtquam ad tuas vltimas reſpondi, accepi Chronologum tuum Faſtorum Siculorum, quos vocant, vna cum λαξδ. περὶ. Scito, mi Caſaubone, nil mihi gratius potuiſſe contingere, quam hunc Chronologum, ex cuius reliquiis menſas Euſebii noſtri inſtruam. Nam in eo ſunt quædam ex Georgio, quem tantopere deſidero, & quædam, vt puto, quæ Georgius non habet. Sed Georgium fruſtra à vobis expectaui, quantum video, & quia periit, & quia non impetraſſem, etiamſi in veſtra poteſtate fuiſſet. πάνυ πέπεισαι ἡμᾶς μηδὲν ἐνδεῖσθαι τῶν παρχείων. Sed τούτων ἀνεχώμεθα, ἀχνύμενοί περ. Spes eſt nobis, aliunde ſuppeditatum iri Georgium. Ille qui Pariſiis ſcripſit Circenſia, vſus eſt illo, quem deſideratis; citat enim in ſuo opere inter alia ἀνέκδοτα. Barnabas Briſſonius bonam partem librorum Regiorum domum ſuam tranſtulit. Poſt caſum eius, vidua auara fruſto panis, ſi ita loqui fas eſt, diuendidit. Aliquot vidimus in iſtis regionibus. De Capitulis Arabicis Geneſeos, quæ in manus tuas inciderunt, ſcripſi ad te

nuper

nuper. An literas acceperis, vno verbo potes ſignificare. Si idoneum hominem nactus fuero, cui [illegible] recte dare poſſim, remittam. Nam illud nugatorium ſcriptum habebam. Sed tanti faciebam, vt non meminerim me habuiſſe eum, quum illud à vobis vtendum petebam. Sed illa Aſtrampſychi non ſunt in noſtro. Æquo animo vtroque carere poſſum. Quum animum remittere volo, aſſumo in manus ſcripta illius, qui Amphitheatrum Martialis & Perſium nuper [illegible]. Nam nunquam ſuauius rideo, quam cum aliquid eius lucumonis video. Sæpe mirari ſoleo illum tantum ſcriptorum legiſſe, ideo vt nihil ſciret. Quam ſæpe delirat! Et tamen habet admiratores. Habeat igitur, ſed Pariſienſes; [illegible] τὸ σῶμα. Vale. Propediem vberius tibi ſcribam, quum mittam Tragœdiam Heinſii. Lugdu. Batauorum vi. Eid. Decembris Iuliani cIↄ Iↄc i.

EPISTOLA LXIIII.

ISACIO CASAVBONO. Priſcianum accepi vna cum ſchediis Pſellianis Aſtronomicis: quorum nomine non minores tibi grates ago, quam ſi mihi alicui vſui eſſe poſſent. Animum enim tuum ſpecto, qui tanquam alicuius precii illa miſit. Nunc vero ſcito eſſe omnia plebeia. Meliora ominor de illo Græco ſcriptore anni Perſici, qui adeo mihi ſaliuam mouit, vt omnia mea ſtudia damnem, niſi illius mihi copia fiat. Et quia tuis poſtremis eius mihi ſpem certam facis, parcam te obtundere porro, ne videar fidei tuæ rationem paruam tribuiſſe. Hoc vnum peto, vt quam ocyſſime poſſit, ille liber, aut ex eo exemplar deſcriptum, ad me mittatur. Certus ſum ex illo ſepulcro me theſauros effoſſurum, iis argumentis & ſignis inſiſtens, quibus auctorem il-

lum, & ſcriptionem eius deſignaſti. De folio editionis Euſebianæ Burdegalenſis, amo te. Sed tanta mihi inceſſit cupido eius, vt verear, ne nihil præter illud folium compareat. Non ignoro φιλονεικίαν eorum, qui eam editionem adornant. Noui Loiolitarum, præſertim Aquitanicorum, τὸ φίλεχθρον, ac quam difficile concoquere poſſunt cogi ſe à Caluiniſta diſcere, quod ipſi alios mallent docere. Quid aliud quotidie video? Ac de illis non moror quidem, qui nos aperto Marte petunt, neque ſine clarigatione bellum indicunt. Tolerabile hoc eſſet, niſi inter nos eſſent, quos eadem ſcabies vrit. Sed ad Euſebium. Vereor, amice, ne ſit μορμολυκεῖον, quo deterreri nos ab incepto putent. Sed vtinam edant, καὶ ἐῤῥίφθω quidem κύβος per me. Nihil eſt, quod meâ & Euſebii cauſa malim: quem ſcito à nemine edi poſſe eo, quo illum inſtruximus, modo. Tantum abeſt, vt ea editio mihi animos deiecerit, vt vltro fecerit. Sed tuus Venetenſis amicus quam alius eſt ab eo, quem ex aliorum ſermone mihi perſuadebam eſſe. Nihil eſt minus Latinum, quam eius epiſtola, quid ambitioſius ἀκαίροις illis commatibus tam ridicula diligentia hinc & illinc emendicatis? Quæ hæc ſartago loquendi? Ego aliquid Latine ſcio. quidam amici hoc mihi perſuaſerunt. ſed æſtuaui non parum, imo ſudaui plus ſatis, dum modum ac viam quæro, qui eius mentem & ſenſum animi ἐκ τῶν ἑλικτῶν ἐκείνων eruere poſſem. Si non plane intellexi, ſuſpicatus tandem ſum, quid λογοδαιδαλίας molitione vellet. Deum immortalem! quid aliud, quam hunc circumtonuit flagris Bellona cruentis? Nauſeaui, quia ad te, non ad me, ſcripſit: quod ſi ad me, non nauſeaſſem, ſed ſtrenue me ad pugnam comparaſſem. Neque profecto alius ſcabiem illi νεανικώτερον defricaſſet. Nunc quum tuum ſit reſpondere, ἀνὴρ eſto, καὶ [illegible] κεφαλῇ in arenam deſcendito. Neque diſſimulandum

noui

non animum tuum. Facies, certo ſcio. Vale Lugduni Batauorum xvii. Calend. Ianuarii Iulian. cIↄ Iↄ cII. Adoleſcens * * * * * o qui meas poſtremas tibi reddidit, nondum notus eſt tibi. Quem ſi noueris, non ſolum meo nomine, qui eum nuper tibi commendaui, amabis, ſed & ſuo: propter rarum ingenium, quod per ætatem nondum eas artes attigit, quas temporis progreſſu conſequi poterit: ſi aliquam ſecuritatem eius ſtudiis tua commendatione, qui multum potes apud bonos, nanciſci poſſemus. Itaque, ſi quam conditionem honeſtam curare illi potes, oro te per amicitiam noſtram, vt adoleſcentem illum, frugis bonæ, & maximæ ſpei, in aliqua familia colloces, vt alios docendo ſeſe docere poſſit. Tanta eius ſunt in me merita, vt non verear à te poſtulare hoc beneficium: quia mihi imputabo, quod in illum contuleris. Iterum Vale.

EPISTOLA LXV.

ISACIO CASAVBONO. Antequam poſtremas tuas literas accepiſſem, alteris iam reſponderam: quibus ſignificaui, illas pagellas Pſellianas me accepiſſe; neque eas tanti eſſe, vt ex illis melior fiam & doctior. Quare remittere illas tibi decreui, quum per hominem licuerit, cui recte eas, & hæc quæ nunc accepiſti, tradere poſſem. Priſcianum meum vix tandem agnoui, ita male exceptus ab eo, quem non puduit ob rem tam parui momenti amicum perdere. Sed neque meum Priſcianum recepiſſem, niſi importuna amicorum flagitatio pipulo ab eo expreſſiſſet. Neque is ſponte tradidiſſet, niſi ex amicis reſciuiſſem librum illum penes eum fuiſſe: quum ipſe nihil minus cogitaret quam fateri meum eſſe, abſque iis fuiſſet, qui manum meam agnouerunt. Non primũ nunc agnoſco ἀγροικίαν, αἰσχροκέρδειαν, κακοήθειαν hominis.

nis habet cum Arabica. Actus publici, edicta, leges, contractus, Diplomata Regia, pura Arabica concepta ſunt. Sed & Prouerbia quoque, de quibus ſpem feciſti, ſaliuam adhuc mihi mouent. In prouerbio Pythagoræ didici verbum quod neſciebam, [illegible] [illegible]. Qui tantum theſaurum Arabiſmi mihi paraui [illegible], adhuc profiteor inopiam meam. Hoc non faterent, qui trihorio prodierunt doctores Arabiſmi, & quum quædam ex nouo Teſtamento interpretarentur, quia nihil aliud præter illa pauca legerant, & fieri non poterat, vt lectione tam paucorum verborum, tam breui tempore omnem Arabiſmum ediſcerent, ſed occurrebant multa verba, quæ nunquam viderant, eorum verborum ex Lexico Munſteri Chaldaico interpretationem petebant. quod quoties mihi riſum ſuſtulit? Vix tamen perſuadebis illis, quin etiam ipſos doctores legis Muhammedicæ in Arabiſmo anteceant. Nam de Hebraiſmo nefas dubitare, quin ipſi docere poſſint literas Hebraicas etiam conſummatiſſimos Iudæos. O mi Caſaubone, rari ſunt inter noſtros, qui mediocriter Hebraice ſciant, quum tamen rari ſint, qui omnino neſciant Hebraice. Quid de Græcis loquar? quis hodie neſcit Græce? Sed quis eſt doctus Græce? Non dubito eſſe aliquot: ſed paucos, & quos non noui ne de nomine quidem. Te vnum noui & memoriæ auorum & noſtri ſeculi Græce doctiſſimum, qui vnus in Græcis præſtiteris, quæ poſt renatas apud nos bonas literas omnes nunquam præſtare potuiſſent. Si quis eſt hodie, qui & tenuitatis ingenioli ſui ſibi conſcius ſit, & qui libenter ac intrepide id profiteatur, is ego ſum. Tamen propter vſum aliquem literarum, quem mihi non ingenium, ſed longa ætas fecit, hoc conſecutus ſum, vt de iſtis rebus nemini concedam, de quibus iudicium ferendum eſt. Itaque multos habes teſtes eruditionis tuæ, amatores, admira-

tores: ſed qui de præſtantia doctrinæ tuæ certo iudicare poſſit, ego aut vnicus ſum, aut qui cæteros hac in re longo interuallo vinco. Omnes quotidie hauriunt ex tuis ſcriptis, acceptum tibi referunt, tantum te amant, quantum ex lectione tuorum ſcriptorum proficiunt: ſed qui cum ſenſum habeant eximiæ eruditionis tuæ, quos lectio lucubrationum tuarum afficiat, vt me, neminem eſſe puto: & hæc vna ratio eſt, quia eum vſum harum rerum non habent, quem ego habeo. Hoc vnum doleo, neminem hodie ignarum eſſe, & neminem doctum. Sed rapior veritatis ſtudio, & extra terminum expedio iaculum. Redeo ad noſtra Arabica. Oro, vt illorum Prouerbiorum vſuram per aliquot dies concedas. Auctorem Abuobid non memini. Vtinam accipiam ſimul cum Lexico Feſſano! De Heynſio magis mirareris, ſi & adoleſcentem noſſes, & eius Poemata, quæ aliquando edet in publicum, legiſſes. Itali nihil habent, quod Tranſalpinis obiiciant. Noli putare illum iuuari ope noſtra. Ego potius eo vtor magiſtro. Non exceſſit xx. annum. ideoque ſi de eius meritis prædicauero, amori potius, quam vero id concedere videbor. Quare malo aliquando ipſe ſcriptis ſuis virtutis ſuæ fidem faciat, quam ego prædicatione mea. Vale Lugd. Batauorum. x. Calend. Quintilis Iuliani cIↄ Iↄc II.

Libellum Gallicum de Loiolitarum factione pellenda me accepiſſe, libenterque legiſſe, poſtremis meis ad te literis ſignificaui. Gratiasque egi tum tibi, tum diſertiſſimo auctori, cuius magnum nomen hic & in Germania. Libellus autem iſte iam latine & Teutonice excuditur. Certe ille vir magna cepit eſſe in celebritate apud probos & doctos. In Germania apud Heſſios quidam colligit quicquid in Ieſuitas hactenus ſcriptum extat. & breui liber prodíturus eſt.

Vale iterum.

Epi-

EPISTOLA LXXIII.

ISACIO CASAVBONO. Binis tuis poſtremis, quas eodem tempore accepi, varie affectus fui. Alteris offendebar, quod ex illis nihil te mearum accepiſſe perſpiciebam: alteræ moleſtiam illam abſterſerunt, quod eodem momento tibi omnes meas redditas eſſe ſignificabas. Scito enim me prius mihi ipſi defuturum, quam vt negligentia mea aliquid de officio meo decedat. Si quid tibi videbor ceſſaſſe, (quod accidit quum aliena negligentia fit, vt meas vel nunquam vel ſerius accipias,) antequam animum tuum inducas queri de me, reputa aliquid interueniſſe, quod curſum literarum mearum interceperit, potius quam vt tibi ceſſator videar, aut negligentior. Si enim à natura ita comparatus eſſem, tamen tua cauſſa etiam ipſi naturæ vim facerem. Sed nemo hominum viuit neque minus negligens, neque magis auerſus ab hac re: quod in aliis rebus vitium ſane vocetur, in amicitia ego graue peccatum iudico. Nihil enim nobis antiquius eſſe debet, quam amicitiam, ſine qua vita nulla eſt, omni genere officiorum, præſertim literarum frequenti opera, cuſtodire. Id ego facio, quantum in me eſt, & vt maxime omnium glorior amicitia tua, ita maxime mihi laborandum, vt incorrupta maneat. Sed quid faciemus iſtis, qui aut nunquam, aut ſero vix tandem literas noſtras reddunt? Etiam ſcio aliquot tibi redditas non eſſe, quas fortaſſis aut nunquam accipies, aut tunc quum earum omnis fructus ἕωλος erit. Valde laudo conſilium tuum de Notis in hiſtoriam Auguſtam. Nam meum Euſebium expectare, plane eſt συνεχὴς ἀπληκεία. Nam neque tam cito prodibit, & hiſtorica non multa tractabuntur, niſi quæ ad ἐποχὰς temporum faciunt; quia vnum ſpectamus tantum, vt quæ ad

vidiſti, vt puto, in quo infiniti loci à mendis purgati ſunt. Idem, cura Petri Scriuerii noſtri, cum multarum emendationum cumulo hic recudetur. Vale. Lugdun. Batauorum. VI. Kal. Auguſti Iuliani.

EPISTOLA LXXIV.

ISACIO CASAUBONO. Nudius-tertius ad te ſcripſi: itaque non diutius te morabor, ſatis enim poſterioribus meis garriui. Nunc nactus idoneum hominem, cui recte tuum darem Chronologum, non dubitaui ei credere: quod eius mihi ſemper perſpecta fuit & fides & conſtantia. Quid mihi iudicii de hoc ſcriptore ſit, nuper ad te memini me ſcribere. Ego ſatis auri ex illo ſterquilinio collegi. Sed tamen multa bona habet, quæ nemo præterquam qui harum rerum τρίβων ſit internoſcere poſſit. Quod genus hominum quam rarum eſt, id equidem te non dubito ſcire; ego, qui experior quotidie, in vllo genere literarum non eſſe rariores artifices ſcio. Sed de his alias. Dabimus bonum, exornatum, caſtigatum Euſebium, vtiliſſimum Reipublicæ literariæ, & tibi gratiſſimum. Satis eſt ſi hoc præſto. Vide confidentiam meam. Non pœnitet μεγαλορρημοσύνης. Nam & te & me noui. Vale. Lugdu. Batauor. III. Nonas Sextilis Iuliani, biduo ante natalem meum LXIII. CIↃ IↃC II.

EPISTOLA LXXV.

ISACIO CASAUBONO. Binas ad te nuper literas dedi. Ex eo tempore, quid noui tibi ſcribam, non equidem habeo. Hoc vnum ſupereſt, vt tibi commendem iſtum optimum & ſtudioſiſſimum tui & mei adoleſcentem; moribus, quibus præditos eſſe oportet, quos tibi

tibi commendare debeo, & qui tibi accepti eſſe debent, ingenio, quo meliore neminem eius æqualium reperies. eum inter tuos, mea cauſſa, & eius merito admitte. Nunquam te pœnitebit eum amare, qui ſola amicitia tua ſe doctiorem fore ſperat. Deſcribo mea Euſebiana. Spero me aliquid editurum, quod & aliis fructuoſum erit, & nobis non inglorium. Vale. Lugdun. Batauorum, IV. Eid. Sept. Iuliani cIɔ Iɔc II.

EPISTOLA LXXVI.

ISAACO CASAVBONO. Literas quas ad me XI. Calend. Septemb. dediſti, nudius-tertius accepi. Nunquam melius mecum agi puto, quam vbi me a te amari ex tuis literis tuoque teſtimonio mihi cognoſcere contingit. Sed vnum eſt in illis tuis, quod me mirifice affecit: dupliciter ſane affecit, admiratione & cupiditate, nempe illud Πρόχειρον τῶν Περσικῶν χρόνων Iohannis Medici. Miratus ſum te de eo mecum agere, tanquam iam viderim: atque adeo ex eo cupiditas magna inceſſit mihi videndi. Non enim puto editum eſſe. Quod cuiuſmodi ſit, fieri non poteſt, quin magno vſui mihi futurum ſit, ſi eo potiri ad aliquot dies liceat. Itaque aut ego non bonus interpres ſum tuarum literarum, aut ſpem mihi factam ex illis video, te poſſe illud ab eo impetrare, in cuius manibus eſt. Obteſtor te igitur, ne me fruſtra illud ſperaſſe aut expectaſſe ſinas. Sed hoc eſt diffidere beneuolentiæ tuæ, ſi te diutius rogo. Facies certe. Tanta eſt mihi fiducia τῆς προθυμίας σου. Sed, vt quamprimum illud, mihi curetur. Vna comitem adde libellum Prouerbiorum Arabicorum. Dabo operam, ne diutius deſideres. Eadem diligentia & fide tibi remittam, qua nuper Chronologum tuum, qui magno mihi vſui ad Euſebium meum fuit:

eumque non dubito recte tibi redditum fuiſſe à Iuuene Burdigalenſi, cui tradidi. Si potiar illo Prochito Perſico (& quid ni potiar, te mihi fauente?) magnam acceſſionem faciam ad rationem temporum, quam ego primus omnium poſt tot ſæcula ab obliuione vindicaui. Dico apud te, ſine arrogantia. Quia tu ſolus harum rerum & vnicus ſpectator & γνώμων eſſe potes: & me præſtitiſſe ſcis in ea re, quod tantum abeſt, vt potuiſſent facere ii quorum intererat hæc inueſtigare, vt ne nunc quidem, poſtquam à nobis reperta, & alta obliuione eruta ſunt, ea intelligere poſſint, partim per rerum imperitiam, partim per κακοήθειαν, quod niſi cum vita exuere poſſunt. Harum rerum maiorem in Euſebio, cui nunc operam do, fidem faciam. ſed eſt labor non vnius diei. Libellus etiam Pſelli fortaſſe non inutilem operam mihi contribuerit, ſi placet illum τῷ χρονικῷ adiungere. Fac quamprimum eos habeam. De hoc adoleſcente eximii ingenii, qui has tibi reddet, adderem aliquid ad eius commendationem, niſi & hoc iam à nobis in alteris literis, quas ei dedimus, factum eſſet, & ſcirem vel vno verbo ſatis illum tibi potuiſſe commendari, quem etiam ſine literis, quia à me amatur, tibi carum futurum fuiſſe ſcio. Vale. Lugduni Batauorum, XVIII. Calend. Octobr. Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA LXXVII.

ISACIO CASAVBONO. Ante aliquot dies literas ad te dedi, quas non dubito te accepiſſe. Sed an Prouerbiorum Arabicorum conuerſio Latina tibi reddita ſit, malim à te certior fieri, quam mihi ipſi credere: qui non dubito eum recte tibi curatam eſſe. Sed plenius mihi ſatisfactum putarem, ſi fiduciæ meæ tu ipſe vindex accederes. Nemo eorum, qui iſthinc ad nos veniunt, me conuenit, quin diligenter ex eo de te, & tuarum rerum

non mireris proconſulem pro legato vſurpari apud Tertullianum. In Epiſtola ad Philippenſes τὸ παραβολεύεσθαι neque à Syro paraphraſte recte redditur, neque ab Arabe, qui Syrum potius, quam Græcum contextum ſequitur. Quod enim vterque poſuit, idem ſignificat, hoc eſt, ἐξεπλίζειν, *aſtahan*. Thema eſt *Han* &. *Hin*, quod proprie φαῦλον ſignificat. Vnde *Hina*, φαύλως, *facile*. Et Hiſpanice *Aina*, cito. Nam quarta pars, vt minimum, Hiſpanicæ linguæ eſt mere Arabica. Itaque *Aina* tam Arabice quam Hiſpanice idem eſt. Sed quod diximus περὶ τοῦ παραβολεύεσθαι in Manilio, id omne diſſimulat ſcarabæus ille, qui ſcripſit in Amphitheatrum Martialis, homo incertum imperitiorne an malignior. Eius deliramenta, vbi vacabit mihi, & errores, quibus libellum illum Martialis inquinauit, tibi mittam, vna cum omnibus Spectaculis Martialis, quæ ego verſibus Græcis reddidi, noctu in grabato. Nam in hac ſenectute ſæpe mihi ſomnus interrumpitur; & vigilanti ſuccurrunt multa, quæ olim legi: quæ memoria videtur vadimonio ſiſtere. Ea ſtatim totidem verſibus, neque raro totidem verbis concipio, & quantum poſſum, vt mere Græca videantur, laboro. hoc eſt, vt auctor eorum potius Epigrammatum, quam interpres videar. Ex illa congerie Epigrammatum, quæ mane ita, vt meditatus ſum, in librum quendam confero; ſelegi omnia ea, quæ faciunt ad Spectacula, quæ tibi dicaui, quod teſtor Epigrammatio quod in fronte libelli præpoſui. Sed quia multa animaduerti, quædam etiam non leuis momenti correxi, (& præterea quia iſtum morionem, qui omnes tanquam pilas habet, traducere volo,) diſtuli mittere tantiſper, dum mihi otium detur ab re moleſtiſſima, qua nondum me extricare poſſum. An acceperis literas, quibus te monebam de capitulis Arabicis Geneſeos, ſcire haueo, & vt ſignifices quam-

primum, oro. Geographum Arabem quominus verte-rim, caussa est moles occupationum, quibus ſciens, indies me. Sed ſera pœnitentia eſt. Grammaticam Arabicam (nam de hoc quoque quærebas) nullam præter Poſtellianam vidi. Sed Arabice ſcriptas quaſdam habeo, quæ nihil niſi puros Arabiſmos docent, vt Phrynichus Atticiſmos. Poſſemus conficere optimam & vtiliſſimam. Sed multi autores relegendi eſſent. Itaque illi pelago cymbam committere vereor. Tempus enim me potius quam facultas deſereret. Vale. Lugduni Batauorum, prid. Eid. Ianuar. Iuliani 1602.

EPISTOLA LXVII.

ISACIO CASAVBONO. Pluribus te non detinebo; alіunde enim poſtremis meis ad omnes tuas reſpondi: præterea de loco Tertulliani, vt captus meus fuit, ex tempore. Alteris prioribus reſpondi ad alia quæ proponebas. Adieci τὸ ῥαϐούλιον Ampliſſimi Memmii, quæ ſcio tibi reddita eſſe: ſed tamen ſecurior ero, quum te accepiſſe ex tuis literis cognouero. Mittam tibi Spectacula Martialis, quum negotium, quod miſere nunc exercitum me habet, explicauero. Gaudeo Vitas Imperatorum à te edi, vel potius editas eſſe. Ita enim ſcribunt ad nos amici. Ex tuis vltimis perſpexi κακόμαντιν animum tuum, de iis quæ ſequutura ſunt poſt τῶν Λοιωλιτῶν in integrum reſtitutionem. Vtinam ego & tu vani vates eſſemus! Sed non poſſumus hæc non timere, quia omnino accidant neceſſe eſt; & miror eſſe alioquin ſapientes & pios homines, quibus imminentium malorum non ſolum λήθη ſed etiam λήθαργος obrepat. Vale. Lugd. Batauorum, XIIII. Kalend. Febr. Iuliani CIƆ IƆC II.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

ISACIO CASAVBONO. Ad omnes tuas reſpondi. ſed an meas omnes acceperis, ſcire cupio. Τὸ ἰαμβεῖον remiſi. Expecto quam mox ſignifices te accepiſſe. Nam dubius pendebo, donec tu me ſolicitudine liberaueris. De Proconſule Tiberio apud Tertullianum quid ſentirem, vel potius quid ſuſpicarer, expoſui. Si tibi non ſatisfacit, non præter ſpem meam erit. Sed meliora non ſuccurrebant. Malui enim nugari quam nihil reſpondere. Scito me ſeptem menſes ſolidos in conficiendo Inſcriptionum Indice cum omnibus moleſtiis luctari. Miſerum me, qui me in illud piſtrinum incluſi. Sed Grutero non potui illam operam denegare; qui mihi multis machinis expugnandus fuit, vt illam editionem aggrederetur. Accepit conditionem, cum exceptione Indicis. Sapit ſane. Nam ego malim multis millibus Inſcriptionum edendis operam dare, quam vel mediocrem Indicem texere. Quid verbis opus eſt? Opportunus ſum omnibus caſibus: & quando opera mea vſui eſt, & quando maledicentiæ locus eſt. Non curo tamen, modo cui tot homines obtrectantur, ſtultitia mea fruantur. Sed pœnitet incepti; ne quid diſſimulem. Quanto melius enim meas horas collocare potui! Ecquis ſatis æſtimare poſſit iacturam temporis χρήματος τιμαλφεστάτου? Habeo quædam Græce conuerſa ex Martiali, quæ tibi mitterem, ſi per has occupationes notulas colligere liceret, ſine quibus opuſculum imperfectum fuerit. Sed aliquando mittam. Quum Georgium Monachum accepero, tunc tuum tibi Chronologum remittam. Nam conferendus cum Monacho. Aliud exemplar Auguſtana Reſpublica mihi mittit: quod extremo Februario expecto. Vitas Imperatorũ ex tua editione meliores prodituras au-

dio. Vale. Lugdu. Batauor. vi. Eid. Februar. Iuliani cIↄ Iↄcii.

EPISTOLA LXIX.

ISACIO CASAVBONO. Breuitatem meatum literarum excuſauerint occupationes meæ, quæ me reſpirare non ſinunt. Magnam voluptatem ex binis tuis poſtremis accepi. Beaueris nos ſi Prouerbia Arabica nobis communices. Bona fide tibi vna cum Græco tuo Chronico reſtituentur. quod, vbi quæ erunt vſui excerpſero, ſine mora vt tibi recte reddatur, curabo. Expecta longiores à me breui. Nunc enim per curas meas non licet. Vale. Lugdun. Batauor. vii. Kalend. Maji Iuliani cIↄ Iↄcii.

EPISTOLA LXX.

ISACIO CASAVBONO. Nudiustertius dedi ad te literas breuiores, quam voluiſſem: longiores, quam angustiæ temporum ſinebant. Neque profecto nunc magis vacat, quam tunc, propter feſtinationem huius qui has tibi redditurus eſt. Nolui tamen hominem ſine meis ad te venire, tum quia occaſionem nullam mei erga te animi teſtificandi præterire debeo, tum & quia vtrique noſtrum notus eſt: tibi quidem olim, vt ex eo accepi; mihi vero è re nata, ſed tamen ex vetuſta cauſa. Auunculum enim habuit, aut, niſi fallor, patruum Hinkerullam, ſumma neceſſitudine olim mihi coniunctum. Ita neque mihi deeſt cauſſa, cur per illum tibi ſcribere debuerim; neque ei, cur ad te ſine meis venire debuerit. Non narrabo quæ de tuo erga me amore nobis dicit. Neque enim noua prædicat. Sed tamen eſt quod mihi gra-

gratuler, habere me tantæ felicitatis meæ teſtes, non ſolum amari me à probatiſſimo viro, ſed & à laudatiſſimo laudari. Quanti putas facere hunc μακαρισμὸν; ἐξίσταμαι τῶν ἀκοῶν. Et ſane glorioſulus eſſe cœpi. Sed quotidie profiteor apud omnes καύχημα meum. Proximis meis tibi ſignificaui occupationes meas. Nunc illis caſſibus expediam me: niſi melius fuerit rumpere illos; vt Gordianum nodum ille. Poſtea ad Euſebium noſtrum totam famem conuertemus, quem iam ſpe deuorauimus. Sed breui longiores à me expecta. Vale. Lugd. Batauorum. IIII. Eid. Maji Iulian.

EPISTOLA LXXI.

ISACIO CASAVBONO. Scito, cariſſime, his diebus præteritis me binas ad te literas dediſſe. Qui poſteriores accepit, is eſt Ariſtarchus Tardæus, familiaris tuus, quantum ex eo cognoui. Prioribus ſignificabam, accepiſſe me quæ ad me miſeras: ſpecimen nimirum Lexici Arabici, quod vtinam integrum haberes. Addebam, quum tibi eſſet commodum, libenter me libello Prouerbiorum Arabico vſurum: quem bona fide poſt paucos dies vna cum tuo Chronologo remitterem. Quem iam haberes, ſi hominem nanciſcerer, cui recte dare poſſem. Quamuis fuit homo ἰδιώτης, tamen habet fruſta Euſebiana, quibus meam editionem inſtruam. Itaque ille liber imperitis eſt τῷ παιδὶ μάχαιρα. Nam ratio temporum ibi perturbata, Olympiades alieno ſitu poſitæ, Conſulum paria falſa non pauca. Idem reperias in Caſſiodoro. Gratias ago de libello in Loiolitas, tibi, inquam, gratias, & illi ſummo viro eius auctori, quem ex meritis, non ex facie noui. Itaque habet notas, quæ illum à me ignorari non ſinunt, tametſi aliunde neſcirem eum eſſe auctorem tam diſerti operis. Diu eſt, quum ego illum ta-

ter primos Demoſthenes noſtrates pono. Teſtis eſt mihi nobiliſſimus Buzenuallius, apud quem quum vidiſſem Philippicam Sabaudianam, patrem illi indicaui ſtatim. Ego eum l bellum iam deuoraui. Sed adhuc ſatietas me non tenet. Iam accingar ad Euſebium meum, cui puto ignotus ſum, quod eum per biennium ſolidum ne ſalutaui quidem. Nam Indicem operoſiſſimum miſi Grutero, propter quem tantam temporis iacturam feci, vt per decem continuos menſes à quinta hora matutina, ad cœnæ tempus, nihil aliud quam mediaſtini Typographici (ita correctores illos voco) munus obiuerim, πυρεξύσε μόρον ſcilicet, qui mihi perii, vt aliis prodeſſem. De Scriptoribus tuis Auguſtæ Hiſtoriæ verum eſt, nihil eſſe inquinatius; ſed multa habent, quæ illos commendent: multa etiam vulnera acceperunt, quæ nemo melius, quam tu, ſanauerit. De iniuſto poſſeſſore Priſciani mei dicerem, niſi putarem te omnia reſciuiſſe. Quid de homine dicas, qui non veritus eſt venerandum amicitiæ ius violare; nulla priuata laceſſitus iniuria, nulla prouocatus cauſa, quam auaritia: quæ in illo tanta eſt, vt cum fratre ſimultates integrum quadriennium propter futilem neſcio quem codicem agitauerit. Sed hæc indigna ſunt & meo calamo, & tuis oculis. Vale. Lugdun. Batauorum. III. Calend. Iunii Iuliani cIɔ Iɔc II.

Epistola LXXII.

Isacio Casavbono. Non poſſum ſatis mirari infelix fatum literarum mearum, quæ nunquam, aut vix tandem, perferuntur. Equidem, cariſſime, ad omnes tuas me puto reſpondiſſe, quæ quidem in manus meas peruenerunt. Quid ſi & tuæ non meliore conditione ſunt, quam meæ. Nam illis, quas ad me nuper ex ante

ante diem Iduum Iunii ſcripſiſti, querens ad ζητήματα tua non reſponſum à me. Ego ſcio quicquid à te propoſitum fuerit, eius aut ſolutionem pro capite meo me dediſſe, aut ſaltem aliquam in meis literis mentionem factam, quæ tibi fidem faceret, nihil in tuis literis ne minimum quidem eſſe, cuius rationem non habeam. Mihi enim potius defuero, quam officio meo. Quare ad quæ non reſpondeo, ea fuerunt in illis literis, quæ mihi redditæ non ſunt. Ego vero binis aut trinis literis de Georgio Monacho, illum mihi redditum fuiſſe ſignificaui. Totum percurri. Vtinam Africanum, & totum Euſebianum Chronicon, & alia præclara monumenta, quæ ille habuit, non deſideraremus! Longe meliora præſtitiſſemus, quam vel Africanus vel Euſebius. Ex illis tamen reliquiis, quæ ex illius monachi theſauro depromſi, tantum profeci, quantum non poſſem lectione omnium ſcriptorum qui hodie exſtant. Tamen iniuria facta eſt illi. Nam ille digeſſerat χρονογράφιον ſuum per canones, & hiſtorias ſuis temporibus aſſignarat. Librarii vero eas hiſtorias σποράδην in tumultuariam congeriem congeſſerunt: præterea miſerum auctorem in multis mutilarunt: quod præter alia certiſſima argumenta ex ipſo auctore colligitur, quæ quædam promittit, quæ non comparent. Acceſſit improbitati librariorum lectorum ſcelus, qui quædam folia amputarunt. Itaque multa deſidero quæ expleant ſitim meam: quæ tanto mihi acrior inceſſit, quanto certior deſperatio tot damna reficiendi. Habeo tamen vnde inſtruam editionem meam, & talem præſtem, qualem nemo exſpectat. Sed opus tempore, tum propter difficultatem operis, quia multa inter ſcribendum ſuboriuntur, quæ impetum meum morantur: tum etiam quia quatuor libri manu mea deſcribendi ſunt. quod ſatis eſt homini ſeni fatigando. Neque illum laborem moraremur, niſi occurrerent eæ, de quibus iam dixi,

κόρακις adornant, non moror. Vale, & (quod monui) valetudinem tuam cura. Lugd. Batauorum. cIↃ IↃ CIII.

Epistola LXXVIII.

Isacio Casavbono. Accepi quas ad me a. d. v. Eid. Ianuar. dediſti, cũ ſpecimine Arabici characteris: quem ego valde laudo, proboque eo magis, quod ad exemplum Romanorum typorum expreſſus ſit. Patrem artificis familiariter olim noui. Si quid iſthic in iſta lingua vel tantillum illis elegantibus typis ederetur, non dubito; quin ad nouam mercem multi accederent, & amor Arabiſmi Gallorum noſtrorum animis inceſſeret. vt ipſi magis ſtudioſi nouarum rerum ſunt, quam retinentes veterum. Sed tamen vnus aut alter quaterniones in ea lingua multis ſaliuam moueret. Paulo antequam tuas iſtas poſtremas acciperem, bis ad te ſcripſi, vt meam operam deſiderare non poſſis. Poſteriores noſtras Prouerbiorum Arabicorum comitabatur interpretatio. Te nihil dum horum accepiſſe intellexi ex tuis. ſed non dubito; quin omnia nunc recte tibi reddita ſint. Deſiderium libri de anno Perſico non patitur me aliquid aggredi antequam illum accipiam. Oro te, minue mihi curam iſtam. fac quamprimum eo potiar: ſed figuras demonſtrationum doleo ab antiquario omiſſas. Si fieri poteſt, fac vt cum figuris, hoc eſt, integer ad me auctor perueniat. ſin minus, quia deſiderium meum ferre non poſſum, vt quam primum accipiam, donec alia via figuræ mihi curentur. Nam multum temporis perdendum erit mihi in diuinandis illis, ſiquidem appoſitæ non ſunt. Conatus ſum ſatisfacere Raſcaſio περὶ τῶν σχηματείων quæ ad me miſit. Omnia ὁ θαυμάσιος Θουανὸς accepit. Tuam hiſtoriam Auguſtam ſitio. Vtinam cito accipiam!

piam! Vale. Lugd. Batauorum. III. Non Februar. Iuliani cIↃIↃCIII.

EPISTOLA LXXIX.

ISACIO CASAVBONO. Non poſſum ſatis conqueri de fato meo, quod tempus, rem cariſſimam, ſcriptio literarũ maiore ex parte furatur mihi: & ſi quæ neceſſitas ſcribendi incumbit (incumbit autem ſæpe) hac non ſola ex cauſa, ſed ex congerie negotiorum tanquam nimbus opprimere ſolet: vt non raro, & pene dixerim ſemper, viginti, viginti quinque, ac pluribus interdum epiſtolis opera danda ſit. Vt quo me vertã aliquando neſciam: & niſi officii & pudoris quædam ratio aliquid iuris in me haberent, vix eſt, vt non malim plures offendere ſilentio meo, quam ſtudiis meis iniuriam facere, quorum commoda leuiſſimæ curæ & ridicula argumenta literarum, morari ſolent. Quid velim, exponam. Nullus dies mihi ſine neceſſitate ſcribendi tranſit: & quum me defunctum puto, alius me prouocat. Commodum enim literas ad te iam cum ingenti mole epiſtolarum ad alios dederam, quum ecce hic honeſtus iuuenis conuenit me, & nunquid literarum ad te dare vellem, monuit. Negaui mihi vacare, & non cauſæ eſſe, quum adhuc in culina mea pranderet cui meas ad te dederam. Quid dicam? Non potui me vindicare ab huius precibus iuſtiſſimis, quum diceret, in maxima parte beneficii ſe poſiturum; ſi interuenirem pararius amicitiæ inter ſe & te conciliandæ. Ego nullum tempus non opportunum eſſe iudicaui amicis nouis parandis. Quare ſi tibi graue non eſt, habe & hunc in numero tuorum, nunc mea cauſa; poſtea ipſe efficiet, vt & ſua carior tibi ſit. Vale. Lugd. Batauor. Prid. non. Martij Iuliani cIↃIↃCIII.

EPISTOLA LXXX.

ISACIO CASAVBONO. Optatiſſimum librum tandem accepi, Ampliſſimi Thuani & tuo immortali beneficio. Auctor eſt Γεώργιος ἰατρὸς χρυσόκοκκος ἐκ Τιβήνης τ̃ Χαζαρίας. quæ regio erat in finibus Imperii Trapezuntici. Titulus Πρόχειρον Περσικὸν, aut Σύνταξις Περσική. Ita vocabant omnem πραγματείαν ἀστρονομικὴν, quod eam à Perſis Græci diſcerent; vt & auctor ipſe teſtatur. Sternendæ viæ ad hanc artem præmittenda fuit doctrina Canonica epocharum, hoc eſt, temporum ciuilium Perſarum, Arabum, & Romanorum. Locus, vt dixi, ſcriptionis, Tibenæ Chaſariæ. longitudo loci grad: LXXII. Tempus, annus Chriſti cIↃCCCXLVI. In his, quæ tractat de anno Perſico, multum fauet iis, quæ nos tradidimus. neque vllum inter nos diſcrimen: niſi quod nos plura, & iucundiora, & μεθοδικώτερα. vt non vulgari genere lætati ſimus, quum tantum in illius & noſtris præceptis videam conſenſum. Omnes illas purpuras noſtro operi attexam. quantum ex illius lectione profecerim, breui, vt ſpero, intelliges. Sed integrum beneficium tuum ad nos non peruenerit, niſi, quod præcipuum erat, Canonia ipſa, & διαγραφαὶ accepero. De illis te poſtremis meis literis monebam: & nunc adeo clare flagito. Si qua via poteſt fieri vt omnes illas tabulas emendate deſcriptas accipiam, duplici beneficio me affectum dixero, quum tantum nunc dimidia ex parte beneficium me accepiſſe ſentiam; ita tamen, vt non minus illa inchoata gratia me deuinxerit, quam ſi ſolidam percepiſſem; & quidem maximas gratias ago, ô amicorum optime. Heri ille liber mihi redditus fuit, quum de anno Perſico in meis Iſagogicis Canonibus agerem: neque oppor-

tunius accipiendi tempus fuit, quam tunc, quum & mihi maxime erat neceſſarius, & materia, quam tum in manibus habebam, maius illius mihi excitabat deſiderium. Euſebium noſtrum charta moratur, quam optimam curat Commelinus, qui eius erit editor. Et in Martiale Scriuerii occupatus eſt Typographus. Quam vereor, vt δεῖγμα illius, mercis Burdegalenſis ſit φόβητρον. Loiolitarum enim, & Loiolicorum minas noui. Sed quid audio de Maronitis Romanenſibus? ipſos vertiſſe Prouerbia illa, & inepte? Quid ineptius ergo erit me ipſo, qui homo peregrinus id tentaui, quod illis fruſtra ceſſit, quibus illa lingua materna eſt? Vellem vero videre: & quum per tuas occupationes licebit, videam quæſo. Mirifice me Danielis Eremitæ literæ afficiunt, quibus quantum ponderis apud te mea commendatio habuerit, teſtatur. Quicquid illi contuliſti, mihi contuliſti, & quas ille tibi gratias debet, ego tibi ago. Vale. Lugd. Batauorum. III. Eidus Martii Iuliani cIↄIↄcIII. Vulcanius ſalutat te, cui tuam epiſtolam oſtendi. Is poſt paucos dies tibi ſcribet. Meminit ſe tibi ſcripſiſſe, vt moneres Epiſcopum Bellouacenſem, vt imitaretur τὸ ἀμεταμέλητον τοῦ θεοῦ. Verus vates fuit. De editione Prouerbiorum velim clarius conſilium tuum aperias. Expediret, vt meus Στρωματεὺς ita correctus, vt Puteanis miſi, vna ederetur.

EPISTOLA LXXXI.

ISACIO CASAVBONO. Quid noui tibi ſcribam neſcio. Poſtremis enim meis literis omnia effudi. Nihil in fundo ſupereſt. Nolui tamen nobiliſſimum virum vtriuſque noſtri amantiſſimum ſine literis amittere. Hodie prandium cepit apud nos. quod gaudium ex eius præſentia cepi, omne contaminatum eſt neceſſitate profectio-

ſectionis eius. Ita enim mihi dixit, ſe poſt biduum in Galliam cogitare. Spem tamen mihi facit maturi reditus: quam ſi negotiorum, aut publicorum aut priuatorum, mora fallit, neceſſe eſt mihi vitam acerbam viuere. Vidi qui tuam Hiſtoriam Auguſtam legerunt. Ego illam aut à nundinis, aut à vobis expecto. Memini me aliquando tibi ſcribere, in libris Reginæ Matris eſſe notata quædam optima Dominicani alicuius, in Alcoranum, viri, quantum per momentum temporis mihi coniicere licuit, Arabice eruditi. Is liber ſunt ſchedæ manu illius Monachi ſcriptæ. Noli negligere tam bonam occaſionem: Si quidem ſerio Arabiſmi ſtudioſus es, quem non magis ſine Alcorano perfecte diſcere potes, quam Hebraiſmum ſine Bibliis. Nihil enim poſſunt loqui Arabes, quod non ad aliquod Comma aut ſententiam Alcorani alludat. Si quid boni inde expiſcari poteris, *Candidus imperti.* Ego ſane diligenter totum Alcoranum legi. Tamen non ſum ex illis glorioſulis, qui nihil ignorant. Quare non ignorem, quæ & doctiores Muhāmedani fatentur ſe neſcire? Ad trinas literas meas nondum reſpondiſti, quas ſcio tibi redditas eſſe. Vale. Lugd. Batauor. XVII. Kal. Maij Iuliani cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXXXII.

ISACIO CASAVBONO. An rediiſſes quum hæc ſcriberem, neſcio. Ego tanquam reduci ſcribo, & fauſtum aduentum gratulor. Quod tibi ſcribam, nihil habeo, præter hoc vnum, quod velim te ſcire me tui meminiſſe, & ſatis argumenti ad ſcribendum mihi ſupereſſe, quum tantum ſalutandi te gratia, calamum aſſumo. Sed & nihil non eſt, quod ſcribam. Faſtos illos tuos Siculos, oro, niſi graue eſt, mihi remittas. Parui temporis

vſuram poſtulo. Scribo de ea re ad nobiliſſimũ Buzenuallium noſtrum, qui dẽ recte mihi mittendo cauebit, & operam ſuam tibi offeret. Meus Euſebius nunc cum typographis luctatur. Nullum inueniet, qui ſe excipiat. Omnes, occupationes ſuas, & operam aliis obligatam excuſant. Ego differor indignatione, qui poſt tot vigilias, non inueniam qui fructum illarum in lucem proferat. Spes tamen eſt expugnandi omnium maxime idoneum: & nunquam ceſſabo priuſquam illum mihi obnoxium, aut me illi faciam. Non dubito quin Genevæ fueris: quicquid illius Reipublicæ expedit me ſcire, ꝙ quidem commodo tuo fiat, velim illud mihi quamprimum ordine pandas. Nam de illis, quæ iſthic geruntur, diuerſi diuerſa ſonãt. Ego in maxima beneficii parte ponam, quicquid huius eſt, ex te intelligere. Eſt quidam * * * *, qui tibi aliquando ſcripſit. Caue reſcribas illi propter multas cauſas: ego propter non paucas nollem illi notum eſſe me. Sed ita fatum noſtrum. Ab omnibus compellamur bonis maliſque, doctis, indoctis, quibus ſi non reſpondeamus, ilicet ſuperbi & contemptores aliorum audimus. Ego decreui, & ſuperbus, & quicquid in buccam illis venerit, eſſe potius quam iterum me pilam & ludicrum illorum ſtultitiæ obiiciam. Tu exemplo meo cauebis. Vale, & Siculorum Faſtorum memento. Lugd. Batauorum. VI. Nonas Quintilis Iuliani cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXXXIII.

ISACIO CASAVBONO. Neſcio vtrum deſperare debeam, te adhuc reducem eſſe ex profectione Allobrogica, an meas, quas nuper ad te ſcripſi, accepiſſe. Scribo tamen, quaſi redieris, & meas acceperis, ſed quarum partem in memoriam tibi reuocare debeam, & aliquid

quid præterea, quod te mea cauſa facere cupiam, ad illas adiicere. Rogaui te, ſi commodo tuo mihi remittere potes Chronicon Faſtorum Siculorum, id vt mihi cures quamprimum. Eſt enim eius mihi libri adhuc vſus; & quidem maior quam putaſſem. De figuris Mathematicis Chryſococci, ſi fidem ſuam liberet Ampliſſ. Thuanus, non eſt quod de ea re te obtundam: ſin autem, tuum eſt, ſine vllo ſtudiorum tuorum & grauiorum diſpendio curarum, illud curare. Neque enim aliter velim, quam βάδην καὶ σχολῇ te illud negotium tractare. Vide τὴν ἀδιατριψίαν ἐμήν. Quaſi parum ſit tua ſtudia ſollicitare, non vereor etiam de alia re σοὶ ἐνοχλεῖν. In Bibliotheca Regia eſt luculentus codex Dioſcoridis Græcus, cum appellationibus Arabicis omnis ὕλης ἰατρικῆς. Nollem te ad illa nomina Arabica deſcribenda à melioribus occupationibus auocare, niſi ſcirem operam illam tibi quoque ipſi & iucundam ſimul & fructuoſam fore. Oro te igitur, vt ſingulis nominibus Græcis appellationes ſuas coniungas, & mihi, quum rem abſolueris, mittas. Scire etiam aueo, quam ex animo proceſſerit expeditio tua Allobrogica, quid reliquiæ amicorum meorum, vel potius noſtrorum, faciant, & quam noſtri memores viuant. Meus Euſebius in procinctu expectat typographos. & quum in hac vrbe non pauci ſint, nullus tamen eorum operam vacuam mihi promittere potuit: non quod detrectent hoc munus, aut nolint omnia mea cauſa, ſed quia, vt dixi, eorum opera occupata eſt; atque adeo vt nulla ſpes ſit ante autumnum ineuntem, aliquid eos noui poſſe aggredi. Præterea ingenia hominum ſunt lenta negotia, καὶ χρῆμα ἀμβολιεργόν. Sed quia Bibliothecæ Regiæ mentionem feci, noli negligere quod ante aliquot menſes de ſchedis Dominicani cuiuſdam in Alcoranum te monebã, quæ magno adiumẽto tibi futuræ ſunt ad Arabiſmum. Memini me eas

inter libros Reginæ Catharinæ vidiſſe. Quum tibi per tuas occupationes Bibliothecã adire licebit, & Dioſcoridis & harum ſchedarum memento. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Kalend. Sextilis Iuliani, cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXXXIV.

ISACIO CASAVBONO. In limine ipſo Epiſtolæ tuæ occurrit quæſtio de loco Chryſoſtomi in Acta, περὶ τῆς Μονάδος, quam ipſe non exponit, ſed ex loco Anaſtaſii Sinaitæ à te producto licet colligere ἑξακισχιλιοστὸν ἀριθμὸν Μονάδα apud calculones dictam fuiſſe. quod ſatis mirari non poſſum. Τοῦ δὲ θαυμάζειν ἡ ἄγνοιά μου αἰτία. Nuſpiam enim alibi legi: & abſque Anaſtaſio fuiſſet, quid eſſet illa Μονὰς apud Chryſoſtomum, nulla coniectura aſſequi potuiſſem. Sed de ſex millium numero, ſatis conſtat, veteres Theologos putauiſſe mundum duraturum tot millia, quot ſunt dies Hebdomadis. Quia vero τὸ ἑξαήμερον opera creationis ſibi vindicat, ſeptimus autem dies quietem, propterea aiunt confidenter, ſex millia quidem annorum duraturum mundum: ſed ſeptimum millenarium alii alias interpretantur. quod longum eſſet referre. Et propterea in ſex ætates mundum diſtinguunt, propter ſenarium numerum. & vltima tempora præter illas ſex ætates ad aliud referunt. Itaque quod legimus apud Heſychium, plane ex Theologis illis eſt, vt alia multa apud illum eruditiſſimum Gloſſographum. Μονὰς, ἀριθμὸς, ἢ ἓξ μοῖραι τῶν ἑπτάδων. Vides tuam hanc μονάδα eſſe, eamque ἓξ ἐκ τῆς ἑπτά. Nam ita potius legendum, non ἑπτάδων. niſi dicamus τῆς ἑπτάδος omnes μονάδας vocatas fuiſſe ἑπτάδας. quod concedi poteſt. Hoc vnum certum eſt, Heſychium in animo habuiſſe, ſex de ſeptem millibus dici Μονάδα. Cuius cauſam quis reddere poteſt? Iam Chryſoſto-

ſoſtomus Homilia VIII. in cap. IV. epiſt. II. ad Timotheum, qui eſt locus quem indicaſti in tuis literis, ἀποπώτατα dixit: ὑπὸ τ̃ ἑξακισχιλίων ἀριθμὸν ἅπαντα ἄγεσθαι, καὶ ἐν τούτου κανόνι πάντα μείζειν, καὶ πολυπλασιάζειν. Denique hunc numerum eſſe, in quo πάντα, ὥσπερ in cardine quodam, στρέφεται. Quæ verba ſi propoſueris Logiſtæ cuidam vel mediocriter vel exquiſite docto, vix eſt, quin te cum tuo auctore riſu excipiat. Vere dicam. Ego multum faueo Chryſoſtomo, propter illud flumen eloquentiæ, quod nunquam lutulentum fluit ſed ſemper ſibi ſimile eſt. Hoc tamen non poſſum diſſimulare, quod in eo ſcriptore deprehendi, quum ab illis diſceſſit, quæ ad ſacram paginam pertinent, nihil puerilius, ne dicam inſcitius eſſe illo. Quale eſt hoc, quum dicit ſex millium numerum omnia comprehendere & omnes partitiones recipere, quum certe multæ ſint, quas non recipiat, quales ſeptem, & nouem, vt alias taceam. Iocularia ſunt. Longe abſurdior, ineptior, & ſtolidior Anaſtaſii ſententia, qui & eadem dicit, & præter iſta vult eum numerum πάσης ἀριθμητικῆς ἐπιστήμης σημαντικὸν eſſe. Vlteriuſne potuit progredi, vt ludibrium deberet Logiſtis de triuio? Cauſſa tantæ imperitiæ eſt hallucinatio, quæ ſenarium numerum, cum ſex millibus annorum confundit. Vetuſtiſſimi Patres, qui περὶ ἑξαημέρου ſcripſerunt, aiunt merito in ſex diebus πᾶσαν τ̃ κτίσιν abſolutam, quia ſenarius numerus eſt perfectus, quod ex partibus ſuis, quas aliquotas vocant, componatur, I. II. III. & propterea myſticum aliquid eſſe in ſex millibus annorum, quos duraturo mundo attribuunt. Vide Auguſtin. de Trinit. lib. 4. eundem lib. 4. de Geneſi ad literam: & alios. Ergo numerus ſex eſt perfectus, & ex ſuis partibus conſtat; ὁ δὲ αἰτποιχῶν αὐτῷ ἀναλογικῶς ἑξακισχιλιοστὸς ἀριθμὸς, nihil tale poteſt habere, quum ab vnitate ad decem, v-

nus ſit tantum perfectus numerus VI. à X. ad C numerus XXVIII. à centum ad mille, CCCCXCVI. vt eſt in propoſ. vltima Elementi IX. Quare vides & Chryſoſtomum, &, qui illum ſequitur, Sinaitam Anaſtaſium attribuiſſe ſex millibus, quod ſenario ſimplici debebant, id eſt, τῷ ϛʹ, quod competit τῷ ϛ. Didicimus ergo Μονάδα eſſe ἑξακισχίλια, quod magis magiſque admirationem auget. quæ maior erit, ſi ad verba Chryſoſtomi mentem aduertamus. τάχα ἂν ἑκατὸν μονάδες λιτρῶν χρυσίου συνήχθησαν. Omnium nec Monarcharum Chriſtianorum, etiam ne Turcarum quidem annui redditus cum illis compoſiti hanc ſummam colligere poſſint. Nam centies ſexies mille pondo auri ſunt coronatorum Solatorum Francicorum 86400000. hoc eſt, vt Calculones (quos χαμαιζήλους vocat Chryſoſtomus ipſe) milliones LXXXVI. & præterea quadringenta millia coronatorum. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? Vides abſurditatem: cetera mando tibi. Hoc ego tamen hodie me didiciſſe fateor, veteribus Calculonibus ſex millia Μονάδα eſſe. quod ne mirer, nemo vnquam à me impetrare poterit. Addebas de quibuſdam in Petri Galathini diſputationibus. Scito illos libros eſſe compendium duorum ingentium voluminum, quibus titulum Pugionem fidei fecit auctor Raimundus Sebon Monachus Dominicanus, eximius Philoſophus, ſed nimis allegoriis, & anagogis indulgens, vt non ſolum ille Pugio fidei oſtendit, ſed & liber De Theologia naturali. Ii igitur libri adhuc exſtant in Collegio Fuxenſi Toloſano. ex quibus omnia hauſit Petrus Galathinus Franciſcanus, qui nomen auctoris tacuit, vel, vt ſibi opus vindicaret, vel quia acerrimum ſemper interceſſit inter Dominicanam familiam & Franciſcanã odium, vt ne hodie quidem τὰ ζώπυρα deſint priſtinæ ſimultatis. Multa ſunt in illis diſputationibus, quæ ſine dele-

delectu legere periculoſiſſimum eſt. non pauca etiam conficta, vel à Chriſtianis, qui Hebraiſmum didicerunt, quædam quoque à Iudæis, qui ad Chriſtianos non ex pietate, ſed ex iniuria gentis ſuæ defecerunt. Denique vt pauci ſunt, qui in Hebraiſmo videant, quod videre eos oportebat, vt Hebraice docti dici poſſent; pauciores vero qui fructum ſolidum ex ſcriptis Iudæorũ colligere potuerint hactenus: ita pauciſſimi ſunt, qui eo iudicio Galathini librũ legere poſſint, quo poſſint aliquid in lucẽ promere, quod literas ſacras illuſtrare poſſit. Itaq; nimii ſunt in vtramq; homines in libris Iudæorum aut reiiciendis, aut amplectendis. quod longius diſquirere, vt rei dignitas poſtulat, non ſinit modus epiſtolæ, quem exceſſiſſe videor. Itaque de eo alias. Nam libri opus eſt hoc, non epiſtolæ. De duobus illis, de quibus ad me ſcribis, alter fuit hoſpes tuus, alter eſt homo nulli rei: cuius te nullam rationem habere non ſolum auctor ſum, ſed etiam hortator. Simplicii Epiſtolas nullas vidi: qui nec omnia quæ exſtant eius Scriptoris opera habeo. Tanta eſt infelicitas mea. Spes quædam affulget ex Italia. Chryſococcum & Faſtos tuos Siculos iam ſcis ex prioribus meis literis me accepiſſe. Vale. III. Eid. Septemb. Iuliani. cIↄ Iↄ c III. Ioannem de Laet, qui tibi has reddet, vnice tibi commendo. Studioſiſſimus eſt bonarum literarum, bonus bonis prognatus. Is alium honorem tibi habebit, ac ****** habuit, neque te pœnitebit humanitatis, quancunque illi impenderis. Spero me breui tibi gratias acturum eius fructus, quem ipſe ex commendatione mea conſecuturus eſt. Tuos Faſtos Siculos reddam, quum hominem, cui recte tradam, nactus fuero. Iterum Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXV.

ISACIO CASAVBONO. Reſpondi ad binas literas tuas poſtremas περὶ μονάδος καὶ τοῦ ἑξακισχιλιοστοῦ ἀριθμοῦ. in quibus neque tibi neque mihi ſatisfeci, propterea quod rei, quæ non ratione nititur, ratio nulla reddi poteſt. Literas tibi reddet optimus & ſtudioſiſſimus iuuenis, quem vna opera tibi commendaui, atque adeo iterum, propter probitatem eius & ſingularem erga literas amorem commendo. Præterea optimo & ornatiſſimo patre natus eſt. Bis ſignificaui tibi, me Auguſtam Hiſtoriam tuam accepiſſe, & cum fructu atque voluptate totam perlegiſſe. neque eſt quod tibi laborem tuum laudem, quia imparem me illi conatui ſentio. Conatus tamen ſum prioribus literis, & gratias egi, agoque iterum. De nomenclatura Arabica τῆς ὕλης ἰατρικῆς Dioſcoridis, non aliter à te petii, niſi, quod commodo tuo fiat. Potes binas aut ternas quotidie notare, ſine incommodo meliorum horarum. De Notis Monachi Dominicani, gaudeo te in illas incidiſſe: ſed videor ex tuis literis colligere, paucas pagellas eſſe. Ego memini plures fuiſſe quam vt paucæ dici poſſint. Oportet ergo meliorem partem periiſſe. Habeo Alcoranum elegantiſſimo charactere depictum: ei dedi operam. & quia multa ſunt, de quibus Grammatici Muhammedani inter ſe velitantur, fortaſſe ille Dominicanus nos iuuerit induſtria ſua. Tuum erit videre, ſi quæ in vtriuſque noſtrum vtilitatem excerpere poteris. Audio te cuiuſdam ſummatis literis pellectum cogitare de mouendis caſtris. Caue faxis, & incerta certis anteponas. Præterea eſſet tibi res cum gente, quæ πατροπαράδοτον habet Gallos odiſſe. Denique in illis partibus eſt homo, doctus ille quidem, ſed omnium, quos cœlum tegit, impudentiſſimus, & cui nemo adhuc do-

ctus

ctus viſus eſt: ne ſorte inuidiam finibus pædagogici regni circumſcriptam putes. Pedem poſuit illa furia etiam in mentibus eorum qui cum pædagogis collati aliquid ſapere videri poſſint. Non ſum vates. Vnum ſcio, nunquam te conſilii mei pœniturum; iſtius autem migrationis, ſi quidem eam ſuſcipis, pœnitentiam ſeram, fructum percepturum. Vale. Lugduni Batauorum. XIII. Kal. Oct. Iuliani CIↃ IↃ C III.

EPISTOLA LXXXVI.

ISACIO CASAVBONO. Remitto tibi per hunc qui meas tibi reddet, ac tuas mihi reddidit, Chronicon tuum. Sin, per alium. Nam ſat vſus ſum. Meus Euſebius, ſi non fallunt typographi, propediem prœlo ſubiicietur. Vtinam prodeat ante obitum meum! Eſt longum & operoſum volumen. Schedion verborum Arabicorum legi. Scito ea omnia verba hodie à vulgo Toletanorum intelligi, quorum idioma non paruam partem conſtat Arabicis, aut Mauritanis vocibus. Ego illa omnia intelligo, quia Hiſpanice ſcio. Nam multa ſunt, quæ ſoli Mauri capiunt, non puri Arabes, &, ſi voles, ea tibi interpretabor. Quædam etiam pure Arabica ſunt: ſed rariora illa. Reliqua ſunt ſermonis Maroccani, aut Feſſenſis. Ego, vt dixi, ſi tanti illa putas, interpretabor. Equidem infinita ex medio puri Arabiſmi notaui. quæ, quod Latinis literis concepta eſſent, in Lexicon meum coniicere non potui. Nam aliquando trium, quatuor, quinque literarum vnus idemque ſonus eſt: Ted, Tau, Dal durum, Tzade punctatum, & ſimilia. Ideo glorioſi ea expiſcarentur ex Lexico Chaldaico: quod fecit ille, qui voluit perſuadere ſe ſcire Arabice, antequam legere ſciret: qui Brachmanes præfectos benedictioribus fuiſſe dicit. Putat enim Indos etiam

etiam Hebraice locutos. Satis ſe traduxit τύφῳ ſuo & δοκησισοφίᾳ. Ego neminem noui, cui docti nomen minus conueniret; quod neſcio quo fato cum tanta ſtultitia adipiſci potuerit. Reſpondi ad tuam Μονάδα, & ἑξακισχιλιοστὸν ἀριθμόν. Sententiam de ſexmillenario numero, & ſeptiesmillenario confirmant plerique Patrum; ſed præcipue Lactantius libro VII, cap. XIIII. & alii, quorum tu melius memineris, quam ego. Vnum tantum ſatis mirari non poſſum, quomodo ἓξ χιλιάδες ſunt μονάς. Sed de hoc ſatis in illa epiſtola quam tibi reddet optimus iuuenis, quem tibi commendaui, ac nunc denuo commendo. Vale. Lugd. Batauorum. VI Kalend. Octob. Iuliani cIɔ Iɔ c III.

EPISTOLA LXXXVII.

ISACIO CASAVBONO. Ad omnes literas tuas, quas equidem acceperim, reſpondiſſe me puto, præter penultimas, & poſtremas. Prioribus quærebas περὶ Μονάδος apud Chryſoſtomum. Reſpondi quid eſſet iudicii mei ſuper hoc loco. Literas te ſero accepturum ſcio: accipies tamen, ſi iam non accepiſti. Ἑξακισχίλια vocari Μονάδα magis mirari poſſum, quam interpretari. Scio tamen περὶ ἑξακισχιλίων rationem totam eſſe veterum Theologorum, qui ἐκ τῆς πρωτοκτίστου ἑξαημέρου conantur eruere durationem mundi. Atque adeo ſibi perſuaſere totam durationem ſeptem millibus annorum definiri, quorum ſex millia mundus perpetuis laboribus agitabitur, in ſeptimo millenario quieſcet. Vide pręter alios Lactantium lib. VII. c. XIIII. Itaq; duratio mundi eſt Hebdomas millenariorum: quorum ſex ſunt labor, vltimus quies. Quod autem Μονάδα vocet Chryſoſtomus τὸν ἑξακισχιλιοστὸν ἀριθμόν, & poſt eum Sinaita, cuius locum produxiſti, videndum, num potius millenarius

narius vocandus ſit Μονάς. Nam ἑβδομὰς ſunt ſeptem μονάδες. Tamen Heſychius videtur idem velle: Μονὰς ἀριθμὸς, ἢ ἓξ μοῖραι τῶν ἑπτάδων. Melius intelligerem, ſi ſcripſiſſet τῶν ἑπτά. Certe intelligit ſex de ſeptem vocari Μονάδα. Cuius ego rationem non capio. Quod autem alibi in Epiſtola Pauli Chryſoſtomus & Sinaita ille aiunt ἑξακισχίλια eſſe perfectum numerum & omnia continere, eſt merum delirium: quod vel mediocriter docti derideant. Nam hallucinatio hinc eſt, quod ſenarius numerus perfectus eſt, quia conſtat ex partibus ſuis, I. II. III. At propterea non omnes ſenarii compoſiti, qualis ὁ ἑξακισχιλιοστός, erunt perfecti, quod volunt boni illi Patres. Hæc eſt cauſa illius [illegible]γιστίας. Sed cur τὰ ἑξακισχίλια ſint μονὰς, profecto huius cauſſam nullam comminiſci quivi: neque vllam puto eſſe, præter opinionem Theologorum, qui ex ſuis anagogicis hæc introduxerũt, & conſecuti ſunt, vt nullus eſſet locus rationi, vbi eorum auctoritas agitur. Addideras ſchedium vocum quarundam Mauritanarum, quarum interpretationem à me poſtulabas. Reſpondi tibi aliis literis, non eſſe mera Arabica illa, ſed Mauritanica, & in vſum idiotiſmi Hiſpanici recepta. Quorum omnium ſi explicationem quęris, inuenies in Lexico Nebriſſenſi Hiſpano-Latino. *Argamaſſa*, opus ſigninũ. *Acofar*, æs fuſile. *Alcobas*, receptaculum. Paucula ſunt, quæ non inuenies in Nebriſſenſi. *Almogaraues* ſunt milites, quales Martoloſſi. Eorum meminit Roderigus optimus ſcriptor rerum Hiſpanicarum & Mauritanicarum. Multa ſunt in idiotiſmo Toletano μιξομαυρελληνικὰ & non mere Arabica, vt maior pars eorum, quæ in ſchedium tuum conjecta ſunt. Vulcanius iamdudum tibi per literas gratias egit de Cyrillo ſuo ab orco per te reuocato. Nihil te remorabitur in libris meis De emẽdatione temporũ, poſtquam legeris Canones noſtros Iſagogicos, quos ante

Notas

Notas noſtras Euſebianas ponemus. Interea ſcito, me non ignorare multa in numeris à typographis peccata, multa à me aliud agente emiſſa, quæ omnia ſperamus nos poſtremis curis emendaturos. Sed miraberis interea quæ in Euſebio præſtiterimus. Vt αὐτογονισταῖς noſtris pudorem imponamus: quibus ne minima quidem pars eorum, quæ effecimus, ſubolere poterit. quid ſubolere? qui, inquam, ne intelligent quidem quum videbunt. Nam vt aliter animatos, ita aliter eruditos eſſe oportet, qui ad hæc tractanda accedunt. Neque imperitia, neque κακοήθημα, hic locum habent. Vtinam eorum editio noſtram prçuortat! Nihil eſt quod magis cupiam. Opus noſtrum in craſſam molem excreuit. Vnum eſt, quod à te impetrem, vt cum bona tua gratia Chronicon tuum Faſtorum Siculorum vna excudatur. Non poteſt illi melior ſedes aſſignari, quam in ſubſiciuis quorundam Græcorum, quæ vna cum Euſebio edentur. Significa mihi quamprimum, an tibi volenti ſit editio illius Chronici. Quamuis eſt homo ἰδιώτης, quiſquis eſt illius auctor, tamen multum mihi profuit. Seorſim excuſus neque ſibi ornamento, neque lectori fructui eſſe poteſt. Cōueni typographum de editione. Iam pacta res eſt. Proxime prœlo committetur. Fleſſingenſem amo, miror; & ſane certus ſum me illo magiſtro vti poſſe potius, quam illum me. Nam ego incipio multum dediſcere propter partim deſuetudinem, partim ætatē. Hoc vnum quotidie profiteor, me non ex illorum eſſe numero, qui nihil ignorare videri volunt, nihil ab aliis didiciſſe. Cedo ſis magiſtrum. non poteſt eius opera paratior eſſe ad docendum, quam mihi animus ad fatendum vnde profecerim. De Chronologis quod quæris, caueas inprimis à ſtercoreo illo Temporario, homine ineptiſſimo, impudentiſſimo. Ego de illo aliquid monui in Prolegomenis, nomen tacui. Vt caueant ſtudioſi

ab illo ſcopulo, & nomen & ſtigmata aliquando proferam. Sunt alii quos non vidi. Sed ſcito, qui à nobis diſſentiunt, eſſe homines hominum nomine indignos. Bene eſt quod διαπόντιον ἀποδημίαν non ſuſceperis: vix pedem poſuiſſes, quin pœnituiſſet facti. O miſerum te, ſi in illius δικησισόφου cancellos incidiſſes. οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. Sin quomodo? omnes aſini ſunt, ſi illi credimus; etiam nos qui credimus illi. Noli, amabo, de te quicquam ſtatuere inconſultu noſtro. Neſcis omnia; neſcis. Nec opus tibi fuit Oedipo. Hominem tenes. Is eſt ipſe. Gratias ago de vocibus ὕλης ἰατρικῆς. quas non habebam, illis penum meum inſtruxi. Lexicon Raphelengii patris fortaſſe aliquando excudent filii. Sed nondum ferrum calet. De hoc alias ſcribam. Vale. Lugduni Batauorum. VIII. Kal. Nouembris Iuliani CIↃ IↃ C III.

EPISTOLA LXXXVIII.

ISACIO CASAVBONO. En quartum tibi ſcribo, poſtquam trinas ad te dedi; ex quo mecum expoſtulas nihil te literarum à me accepiſſe. Omnes, quanquam ſero, tandem tibi redditas ſpero. Nihil ex me quæſiuiſti, ad quod non reſponderim. Poſtremas tuas (ita voco, quia poſtremas accepi) reddiderunt mihi heri amici, cum Arabicis τῆς ὕλης ἰατρικῆς. quæ profecto fuerunt θησαυρὸς ἀνθράκων. Putem me plura & meliora promere. Sed tamen ſummas gratias ago & amoris tui in me, & quia non omnino inutilia illa ſpero fore. Bona enim voco omnia, quæ me doctiorem aut meliorem faciunt. Nam & habent, quæ neſciebam, aliqua; & non pauca, quæ quod ſciebam, confirmant. Puto te iam Faſtos Siculos accepiſſe. Eos edere decreui, ſi ita tibi videtur. & quidem cum bona gratia tua vti li-

ceat, ſummopere oro. Nam ſeorſum excuſi, ludibrium debent; cum aliis melioribus, poterunt mereri ſpeciem bonæ notæ; & quo loco eos ponere decreui, valde neceſſarii ſunt. Expecto quid ad illud deſiderium meum reſpondeas. Meus Euſebius eſt ſub prælo. An bene auſpicatus ſim, neſcio. imperitis typographis tradere coactus ſum, propter occupationes aliorum. Faciam tamen vt ſedulitas mea eorum ἀμάθειαν vincat, quamquam maxima crux eſt, cum imperitia conflictari. Ego in hac editione experior quotidie, quæ inuitis omnibus impedimentis, non adeo inelegans erit. ὁ ἀνταγωνιστὴς μου ὁ πιλαρωμένος, ὁ τοῦ χξς ὀργίων ἱεροφάντης, quid promittat adhuc, fac ſciam. Quam vereor, ne μορμολυκείῳ nos terrere voluerit. Nam quorſum prima illa pagella, καὶ θρίαμβος πρὸ νίκης; Male profecto mecum agetur, niſi nos anteuenerit. Non ſum vates: ſed ſcio, quid præſtare non poſſit. tam mehercule, quam quid in Euſebio præſtandum ſit, vt & de illo bene mereamus, & dignum hominum expectatione aliquid promamus. Quantum eſt τῶν τοῦ χξς θιασωτῶν, etiam ſi centum annos capita inter ſe conferant, ne milleſimam quidem partem effecerint eorum quæ nos effecimus. Itaque per me rumpantur quidem. Mihi nihil gratius facere poſſunt, quam ſi interea dum ipſi ringunt, mihi cauſas ſuggerant, cur rideam. Lentum & longum erit editionis huius negotium; tum propter operis molem, tum propter hominum iſtorum lentitudinem. Iam, dum hæc ſcriberem, allatæ ſunt ex typographio paginæ quas corrigerem, quibus ſtatim opera danda eſt. Itaque cogor ante tempus corripere ſpatium, ne iſtas operas exacerbem, quas malo mihi propitias, quam iratas eſſe. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Eid. Decembris Iuliani CIↃ IↃ C III.

Proh facinus indignum! quid de *** audio? Ad-

ſo immutatum ingenium eius, vt alius ab eo quem tibi commendaui, diſcederet? Me vero ſtipitem, qui in aliis ὀξυβλέπτης ſum, in iſto ἐμυώπασα, ἐτυφλώσσον. Quum in eo eſſem, vt alteram epiſtolam, quam tibi ſcribebam, clauderem, accepi tuam: quæ me adeo perculit, vt neſciam an vnquam quicquam mihi acciderit, quod aut iuſtius aut grauius doluerim; tum quia in illa ætatula vulpem non deprehenderim, tum quia à me expreſſerit, vt ſe tibi commendarem. Sed væ illi, qui in te ingratus fuit; & me hominem ſtultum, qui vulpem, non hominem tibi commendaui. Obſtrinxerat me aliquo priuato beneficio, non tamen quod æquaret comitatem, qua illum amplexus ſum: ſed tamen (quæ eſt προθυμία mea) quantulumcumque eſſet quod mihi præſtitiſſet, pro magno beneficio habui; neque potui illum ſplendidius remune[illegible]ri, quam ſi illi portam aperirem ad amicitiam tuam. Sed hoc eſt fatum meum, vt nulli fere benefecerim, quin pœnituerit. Alui domi meæ, erudiui, foui hominem, quem neſciebam furem domeſticum. Is mihi διδακτρα rependit, vt pluſquam ſexcentos aureos furatus ſit. De aliis quid dicam? Beneficiū male locatum, maleficium fuit. Quid igitur ſupereſt, quam vt veniam à te petam iniuriæ, quam iuſte mecum expoſtulare poſſis? Valeant igitur omnes, qui à me commendatitias exigent. Ego numquam abutar bonitate tua. Satis eſt, me locum habere in amicitia tua: vt autem eam profanem, alios in eam admittendo, neque ego permittam, neque vt tu facias, vnquam tibi auctor ero. Vale iterum.

EPISTOLA LXXXIX.

ISACIO CASAVBONO. Tuas omnes accepi, ad omnes reſpondi: ſed vereor vt meas accipias: quia is cui priores meas dederam, propter viaticum in expectando vento abſumptum, coactus eſt Rupellanam nauem conſcendere: alter, qui nudiustertius alias ad te à me accepit, niſi Æolum placauerit, idem facere cogetur. Quare aut nunquam aut ſero te meas accepturum puto. In penultimis agebas de miſero Goſſelini interitu. Quæ σκιαμαχίαι in hoc negotio te manent, & aliqua ex parte præuidi, & nunc aliquid ex poſtremis tuis odorari potui. Nunquam οἱ κατάρατοι ἐμπεπορευμένοι ceſſabunt, quin hanc prædam aut ad ſe auertant, aut ad alium potius quam ad te perueniat, efficiant. Si quid melius ceſſerit, hoc deputato in lucro: ſin autem, quæ tua prudentia, hoc iam tibi periiſſe puta. Hoc remedio in omnibus vtor, vt nihil ſperem, ne, ſi non euenerit, fruſtra me exſpectaſſe doleam. ita illudo fortunæ, quæ ſolis ſtultis tantum illudere poteſt. Quantum è ſpecula proſpicere poſſum, magnam mutationem imminere video. Et certe accidet. Omne in præcipiti ſtetit. Sed hæc non niſi coram. Negotium Arauſionenſe maioris momenti eſt, quam quibuſdam videtur, etiam iis ad quos magis pertinet. Eſt quoddam genus hominum, quod prudens ſciensque incurrit peſtem ante oculos poſitam. Literas Bertio tuas, Heinſio & aliis omnibus reddidi. Libellum meum In Serrarium excudi curat Druſius, non ea gratia à me conſcriptum, vt ederetur, ſed vt meam de illo Aretalogo ſententiam exponerem. Tantidem apud me eſt edi quam latere. Nō enim admodum graue negotium. & quum legeris, te pauculas horas perdidiſſe pudebit. Mittam quum

totum

totum accepero. Tria enim tantum folia accepi inelegantiſſime edita. Et profecto malus mali libri auctor non meliore typographo dignus erat. Meus Euſebius anteuertiſſet editionem Aquitanicam, ſi vnius Euſebii rationem habuiſſem. Sed in mora multæ vtilitates ſunt: ſiquidem hoc moram vocare poſſum, in quo operæ non ignauiter verſantur. Sed multum viæ ſupereſt: & certe mora iam fere expectationem hominum abſumpſit. Ego vero nolo abortum facere, quum maturum poſſim parere. Vale. Lugd. Batau. III. Kal. Ianuar. Iuliani cIɔ Iɔ c IIII.

Oro te, vt eæ, quas Petro Puteano ſcribo, recte illi curentur. Ego nuper Auguſtino ſcripſi: literas habet ille, cui alias ad te dedi. Oro te, ſi qua potes Mahomed Almateni Aſtronomicum parare, vt ne pretii rationem habeas, ego ſtatim vt nummi reddantur, curabo.

EPISTOLA XC.

ISACIO CASAVBONO. Binas à te fere eodem tẽpore accepi. Ad priores prius reſpondeo. Video tibi redditas meas, in quibus de ſemi-Mauritanicis verbis reſpondi, quibus totus Hiſpaniſmus ſcatet, quæ fruſtra in Arabiſmo quæras, quod ea ſint ex idiotiſmo Arabico, non ex puro illo ſermone, quo libri veterum Arabum concipiuntur. In Nebriſſenſi Lexico non pauca quidem eiuſmodi reperies, ſed tamen non omnia. Ego illud Lexicon fere duobus millibus verborum locupletaui. Et tamen nihil mihi egiſſe videor, quoties ad libros Hiſpanicos accedo. Tantum eſt pelagus illius ſermonis: vt quo plura in illo diſcimus, eo plura occurrant, quæ ſine magiſtro nunquam didicero. Eſt quidam medicus Pariſiis, qui iamdiu id ſaxũ voluit, & nouum eius

idiomatis Lexicon promittit. quid præſtiturus ſit, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Si quid μέγα, ἢ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, multum ſpem meam fefellerit, quandoquidem ſciam etiam Hiſpanos ταύτην τὴν Σπάρτην οὐ καλῶς κοσμῆσαι. Si quid de eo inaudiiſti, quia in eadem vrbe eſtis, poteris ab eo multa diſcere, ſiquidem promiſſis digna præſtiterit. Sed tempus erat verba ad rem conferre, quod iãdudum illius liber prodiiſſe debebat, vt Buzenuallio noſtro promiſerat. Habeo Lexica quædã Hiſpanica & Belgica, quibus è regione reſpondent Arabica Latinis literis. Sed vix eſt ea ad characteres Arabicos conferre, quia quædam literæ eodem ſono proferuntur, vt difficile diuinaueris quomodo ſcribēda ſint. Quæ potui tuto aſſequi, ea ἐταμιευσάμην. reliqua ſunt * κηρίκινθα, quæ reſeruo, dum potero aliqua coniectura eorum compos fieri. Sed ne Iudæis quidem & Syris tuto creditur, quod per ſuum Gimel, aut Gomal, aut Caph ſcribant: & multarum aliarum literarum, quas in Arabiſmo punctũ diſtinguit à cognatis aut ſimilibus, rationem non habent. Hoc, non dicam, tyroni, ſed etiam ei, qui progreſſus aliquos in Arabiſmo fecerit, multum imponere poteſt. Te morbo illo, aut languore, qui te per aliquot menſes obſederat, leuatum eſſe, & tibi & mihi gratulor. De Perſio, fac vt quamprimum prodeat. Triuialis magiſtri τερετίσματα non potui legere. neque ſum tam bono ſtomacho, vt ad eiuſmodi epulas accedam, quin clamem, δὸς πτερὸν ἢ λεκάνην. Miſera vero Pariſienſium iudicia, quæ tam turpibus ſimiis delectantur. Sancte iurare poſſim, neminem hodie viuere, qui pro modo eorum quæ legit, tantam omnium rerum imperitiam profiteatur: qui dedita opera tot volumina deuoraſſe videatur, vt diſceret nihil ſcire. Περὶ Λειωλιτῶν· οὔπω ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα, niſi quod, ἤγε κακὴ βουλὴ Κέλτας ὀλεῖ, οὐδέν τι ἄλλο. & certe res ad interitum ſpectat. Tu tamen non debes

rebus

rebus tuis vllam deſperationem adhibere. Qui te illuc, & me huc, inopinantes ambo & nihil tale cogitantes traduxit, ille ſolus poteſt & ab omni diſcrimine vindicare, & collocare fortunas noſtras in tuto. Ille me ad hoc ætatis perduxit, vt ſine opibus diues vixerim, & tunc felicius mecum actum ſit, quum nulla ſpes in hominum præſidiis eſſet. Id adeo mihi euenit, quia ab illo, non ab hominibus ſpes meæ pendebant ſemper. Propterea, quod adhuc viuo, quod ſecuro otio fruor, illi (non hominibus) acceptum fero. Tibi eodem modo agendum, vt in illo omne præſidium tuum colloces. Præterea noli incertis certa præferre. Nam ἡ διαπόντιος ἀποδημία παρακεκινδυνευμένη καὶ παράβολος, quid aliud tibi attuliſſet, quam vt præter impenſas & ſumptus, ludibrium illis cercopibus deberes? quorum κακοήθειαν non paucis verbis tibi narrare poſſem: quam inhoſpitales, quanto noſtri auito odio ardeant, quam inexpiabili inuidia. Si in fatis eſt, vt eo pertraharis, noli vrgere fata tua. caro vende pericula tua. Expecta prius vt voceris, quam vt αὐτοκλητεὶ ad gentem ignotam proficiſcaris. Ταὐτόματον ἡμῶν βέλτιον βουλεύεται. Sed de illo ſemidocto, non eſt quod plura tibi dicam. ille ſolus poteſt te deterrere ab inſtituto, etiam ſi tota natio in amorem tui conſpiraſſet. Chronologica tua excerpta ideo remiſi, quia deſcripſi ἰδιοχειρί. Si ſcires quot noctes & dies in ſola librorum deſcriptione traduxerim, tibi quędam mei miſericordia inceſſeret. Sed adhuc latera, oculi, & animus ſeni ſuppetunt. Euſebius noſter excuditur ſatis honeſta forma. Sed quod lentum aliis videri poſſit, hoc vero facit moles operis. Præterea quas potui nanciſci operas, ex τὴν κεραμικὴν ἐν πίθῳ μανθάνουσιν. Antea enim nihil excudebant, præter Parua dicta, Theſes, & ſchediaſmata puerorum. Quod nuper in quadam Epiſtola tua ſcribebas de Indice noſtro in Collectanea

Inſcriptionum, verum eſt: paucos fore, qui animaduertent induſtriam, laborem, vigilias, quas ei impendimus: fructum & vtilitatem, quæ ex illis colligi poteſt. Nam eſt inſtar libri abſoluti, qui iuſtis commentariis poſſit illuſtrari, imo quod neceſſe eſſet fieri. Scito præterea annotationes, quæ poſt indicem adiunctæ ſunt, correctiones, animaduerſiones in pluſquam CCCL Inſcriptiones perperam ab operis repetitas, ea, inquam, omnia noſtra eſſe. Alteræ literę tuæ poſtridie mihi redditæ ſunt, poſtquā priores accepi. in illis meminiſti cuiuſdam, qui Magneticæ cuſpidis directionem profitetur. Multi hoc conati ſunt, conanturque quotidie maximis ab Ordinum illuſtrium conſilio propoſitis præmiis. Quidam obtulerunt ἐπιχειρήματα ſua: capti ſunt de ea arbitri. Ego vnus in illis fui: in quibus Mathematici, & nautæ peritiſſimi. Sed qui eorum Mathematica profitebantur, illi τῶν ναυτικῶν ἄπειροι, οἱ δὲ ναῦται ἀναστρολόγητοι erant. Præterea auctores illi, de quibus ſententiam ferre debebamus, nihil tanto hiatu dignum præſtiterunt. Quidam Anglus ante triennium libro de Magnete edito nihil dignum exſpectatione ea, quam excitarat, protulit. Ego ſæpe propoſui Mathematicis his, qui hic profitentur, rem, quam ipſi nunquam concoquere potuerunt, riſu & ludibrio exceperunt, ὕθλον καὶ παιδιὰν ἐποίησαν. Hipparchus primus omnium rem iocularem & ridiculam excogitauit, motum, inquam, octauæ ſphæræ in occidentem, & ſtellas in occidentem promoueri eodem ſitu, ordine, interuallis ſeruatis. Perſuaſit Ptolemæo: Ptolemæus ita confirmauit, vt poſteritati de eo dubitare religio fuerit. Primus omnium memoria patrum noſtrorum, alter Aſtrologiæ vindex Nic. Copernicus odoratus eſt futilitatē Epichirematis Hipparchei, & non octauam ſphæram in occidentem, ſed æquinoctialia puncta εἰς τὰ προηγούμενα procedere anim-

animaduertit: idque vocat προήγησιν ἰσημερινήν. Hanc præclaram animaduerſionem publicatam, nulla demonſtratione eorum, quæ ex illa pendere neceſſe eſt, illuſtrauit. Sed rem nudam tantum propoſuit. nos vero animaduertimus, ſtellas, vt fabulantur Hipparchus, & Ptolemæus, εἰς τὰ ἑπόμενα progreſſas nunquam fuiſſe: & τὴν κυνόσουραν à temporibus Eudoxi eodem interuallo à polo mundi propius abfuiſſe, vt hodie; eiuſque rei exempla collegimus. Quibus animaduerſis præceſſio æquinoctiorum concedenda eſt. Nam alterutrum concedendum, aut τῆς ὀγδόης σφαίρας εἰς τὰ ἑπόμενα κίνησιν, aut τῶν ἰσημερινῶν κέντρων εἰς τὰ προηγούμενα μετάβασιν. Alterum non eſſe, vincit ἡ ἀκινησία τῶν ἀπλανῶν ab Eudoxi temporibus. Ergo alterum eſt. Sunt igitur præceſſiones æquinoctiorum; quas non potuit demonſtrare ſummus ille vir, niſi ἐκ τῶν φαινομένων, ex quibus tam poteſt defendi alter motus, quam præceſſio. Iam habemus προήγησιν ἰσημερινήν. Quid eſt? τῶν ἰσημερινῶν κέντρων εἰς τὰ προηγούμενα κίνησις: punctorum æquinoctialium in antecedentia motus. Si mouentur puncta æquinoctialia, circulus autem æquinoctialis ad illa puncta deſcribitur, ergo circulus æquinoctialis mobilis eſt. quod vero verius; ſi circulus æquinoctialis mobilis, & polus quoque eius mobilis eſt. Itaque polus circuli æquinoctialis erit alius à polo mundi. Polus enim mundi ἀκίνητος: iſte κινητός. Præterea omnes meridiani tranſeunt per Polos æquinoctialis: & in ſuperficiis lapidum linea meridiana, quæ ad collocanda horologia ſolaria deſignatur, ea intelligitur per polos æquinoctialis tranſire, quod & omnes fatentur, & verum eſt. Sed quia poli æquinoctialis circuli ſunt mobiles, & lineæ quoque meridianæ, quæ per illos tranſeunt, ſunt mobiles: ac propterea neceſſe eſt, vt poſt aliquot annos linearum meridianarum vſus nullus futurus ſit, ad deſignandas horas: & iterum capienda erit linea alia meri-

diana, & reformandus ſitus Horologii, non Horologium ipſum. Concludamus, Horologia ſolaria poſt aliquod tempus fidem decoquere, niſi inſtauretur linea meridiana. Hoc Mathematice ipſa καὶ ἀπόδειξις conuincit. Sed præter id, habemus præclara veterum exempla, quę vincunt, poſt aliquot annos Horologia non reſpondere prioribus deſignationibus: quę quidem omnia ſtudioſe collegimus. His ita demonſtratis, ego propoſui iſtis Mathematicis, vt quia totum negotium Magneticæ cuſpidis verſatur circa meridianos, conſiderarent, an hæc doctrina à nobis primis prolata aliquam viam huic rei munire poſſit. Illi tantum abeſt vt rem hanc in conſilium adhibuerint, vt riſum illis debuerim. Quid niꝰ homines, qui nullum veterem auctorem legerunt, ne eorũ quidem qui ad eorum artem ſpectant, illi-ne hæc capere poſſent, qui ſola Theoriarum & Aſtrologiæ compendia legerunt? Sed, ô cariſſimum caput, ego paucos φιλαλήθεις, pauciores τῆς ἀληθείας ἐπιδεικτικοὺς reperi. Scito tamen cognitionem huius præclaræ diſputationis de Magnete ex hoc noſtro Epichiremate pendere, aut ex nullo. Sed nimis te obtundo. Vale. Lugd. Batauorum. VII. Eid. Ianuarij Iuliani CIↃ IↃ CIIII.

EPISTOLA XCI.

ISACIO CASAVBONO. Iſte qui has tibi reddet, is eſt quem meis literis tibi commendabam: in quibus etiam addideram περὶ μονάδος καὶ ἑξακισχιλιάδος. Optimus iuuenis eſt, pietatis & meliorum literarum cultor. Eum iterum tibi commendo. Plurimum illi debeo. Diu hæſit in Anglia. Ea cauſa fuit, cur quas illi ad te dederam, ſuo tempore non acceperis. Meus Euſebius gnauiter procedit. Sed ingens volumen erit, niſi me fallit modus chartæ meæ. Tu tamen ſcis quam immanes librorum moles faſti-

faſtid am; qui hoc vit um, inter alia, ἐν τοῖς Λοιωλίταις deteſtor. Nuper prolixe apud te garriui. Quare illarum prolixitas omnes nugas, quibus te detinere poſſem, aut vellem, exhauſit; & quidem ἐν πυθμένι σειδῶ. Noſter Heinſius hodie Heſiodum nobis ſuum dedit. Eſt ingenium extra aleam, præſertim in ea ætate. Magis te homo ipſe caperet, ſi videres. Tui ſane videndi tanto deſiderio tenetur, vt nihil aliud cogitet. Martialis Scriuerii ſi eo pede perrexiſſet, quo cœperat, præterita æſtate potuiſſet ad vos peruenire. Sed pudet tibi me ſcribere de lentitudine horum hominum, quamuis multa ſint in illis, quæ laudes. Toti Faſti Siculi Auguſtæ, aut fortaſſe Ingolſtadii, Græce cum Theophane excuduntur. Itaque fruſtra deſcripſi manu mea illud Chronicon, quod in Notis meis Caſauboniana Excerpta vocaui. Sed Vale. Lugd. Batauor. XII. Kal. prioris Martij Iuliani cIↄ Iↄ cIII.

EPISTOLA XCII.

ISACIO CASAVBONO. Quid tibi ſcribam, neſcio. Nolui tamen hunc amittere ſine cōteſſeratione. Iſte eſt Medicus regis Suberuiela, optimus vir, & cui in omnibus feliciter ars ſua ſuccedit. Is & de me, & ſi quid de harum regionum ſtatu ſcire aues, plene te poterit docere. Meus Euſebius procedit, ſed μακρὰ βιβάς, neque tam cito perfringet clauſtra, quam vellem. Accepi ἀποσπασμάτια Notarum τοῦ πεπαρωμένου· οὐκ ἔδει αὐτὸν μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν. Nihil (vno verbo dicam) παιδαριωδέστερον: quandoquidem pueri qui hæc Critica tractant, illi imponent pudorem. Sciebam illum nihil expectatione dignum expreſſurum. Tam matulam nunquam crediddiſſem. Sed ſt. nolo hæc quiſquam reſciſcat. Editio eius, quæ, vt aiunt amici, ad proximas nun-

nundinas, aut ſaltem proximum ſolſtitium expectantur, omnem mimum exponet. Aueo intelligere quo modo res veſtræ ſe habent, quo in ſtatu domus, & vxor tua, quam ὀπτικινδύνως νοσεῖν accepi. Expecto vt quam primũ mihi hanc ægritudinem adimas. Non conquieſcam, donec ex tuis literis intellexero ipſam in integrum reſtitutam. Opto ipſam quamprimum ῥῶσαι, & te valere. Lugd. Batauor. v. Nonas Martij Iuliani cIɔ Iɔ cIIII.

EPISTOLA XCIII.

ISACIO CASAVBONO. Trinas fere eodem tempore à te accepi. In primis memineras earum, quas multis ante menſibus ad te dederam de loco Chryſoſtomi: de quo ſcriptore idem ſentio, quod tu. Nullius veterum Patrum lectione magis afficior, tum propter inaffectatum dicendi characterem ſemper ſibi ſimilem; tum quia vnicus eſt omnium veterum, cui probe nota fuerit mens totius Noui Inſtrumentì; in quo genere ſolus regnum obtinet. Nam in Veteris Inſtrumenti ſenſibus vt plurimum longe à recta veri regione vagari cogit Hebraiſmi inſcitia & LXX. interpretum editio, quæ quum ſit longe mendoſiſſima, tamen eam omnes veteres, quæ illorum ſiniſtra fuit κακοζηλία, non dubitant archetypis Hebraicis anteferre. De Galatino ſcito me vera dixiſſe. Nam non ſolum illa omnia è Ramundo Sebone expiſcatus eſt, ſed & opus eius nihil aliud eſt, quam breuiariũ Pugionis fidei. ita enim opus ſuum doctiſſimus Dominicanus ille inſcripſerat, qui Toloſæ ante cc. plus minus annos ſcribebat; eiuſque operis duo ingentes tomi in collegio Fuxenſi eiuſdẽ ciuitatis ante annos XXI. quum ego ibi eſſem, extabant. Cum iudicio tamen illi libri legendi ſunt. qui vtinam typis excuſi eſſent. Hoc vnicum exem-

exemplar, præter aliud quod penes Matthæum Beroaldum fuit, Toloſæ extare ſcio. Qui Iudæorum ſcita legunt tanquam θεσμοὺς quoſdam (nam de hoc quoque iniecta eſt à te mentio,) æque delirare puto, ac eos, qui nihil bonæ frugis ex illis excerpi poſſe contendunt. Vtriq; κορυβαντιῶσι. Quæ vtilitas ex illorum ſcriptis & ritibus vetuſtis delibari poſſit, tum ex iis, quæ ſparſim in libris noſtris leguntur, colligi poteſt, tum & nos aliquando melius aperiemus. De Euſebio Aquitanico gaudeo. Meus vix è carceribus miſſus eſt: quando metas ſtringet, neſcio. Metuo mihi & illi: mihi, ne illum orbum parente ſuo relinquam; illi, ne à me deſtitutus in medio curſu conſiſtat. Eſt enim ingens opus, & lenta typographorũ opera. De Adoleſcente de Laet, amo te. Impetraturum à te omnia ſciebam. Tamen non minus mihi gratum eſt te rogare, quam tibi precibus meis ſatisfacere. Ideo omni ſpe bona plenus ſoleo te conuenire: quia certus ſum ἄπρακτον me non diſceſſurum. De vxore tua valde metui, & tua, & patris eius (hominis mihi amiciſſimi) cauſa. Εὐαγγέλια narras περὶ τοῦ γάμου. Opto vt conſtans ſit ſalutis ille ac valetudinis tenor. Reſpondeo κατὰ πλάτος literis Dauidis Rinaldi. Velim literas meas tibi communicari. Hoc facile ab eo impetrabis. Apparet candor hominis in literis. Sed tamen ſubleuandus eſt adhuc. Nam idem, quod alii, obiicit: neque videt ſe contra μάθησιν facere: adeo altas radices egit error vetuſtus; vt plurimum referat quo liquore primum teſta incruſtetur. Dionem tuum Chryſoſtomum expecto. Quantum æſtuaui, vt inelegans volumen illud eiuſdem auctoris in Italia editum nanciſcerer! Magno mihi conſtant quiſquiliæ meæ. Vt vnum Syneſium adipiſcerer, pluſquam ſex aureos erogaui; neque quod volebam conſecutus ſum. Potes ſimul & ridere conatum meum, & miſerari infelicitatem. Heinſium monui vt ad te ſcriberet. Heſiodũ ſuum prope-

propediem,& mox Theocritum mittet. Martialis Scriverii ante annum poterat prodire , niſi tam per illum quam per typographum ſtetiſſet. Multa oſtendit mihi, quæ Morionis tui σκατοφάγου imperitiam perſtringunt. Videbo quid deliret in Horatio. ſi modo tanti eſt, vt in illis operam & horas velim perdere. Moror te. Vale. Lugd. Batauorum. XVI. Kal. Maij Iuliani cIↃIↃCIIII.

EPISTOLA XCIV.

ISACIO CASAVBONO. Quum faſciculum claudere cogitarem, iterum alias à te accepi , quas Nonis Aprilibus vna cum diatriba Gallice concepta de declinatione cuſpidis Magneticæ ad me dediſti : de qua re quum commodum erit, diligenter cum peritis. De vxoris valetudine in integrum reſtituta gratulor tibi, & mihi, qui eius cauſa diu animi dubius fui. Quum hæc ad te ſcriberem, occupatiſſimus eram , & ſcriptione multarũ epiſtolarum ita obrutus, vt quo me verterem, neſcirem. De Dictionario Hiſpanico, quia prodiit in lucem , & eius huc delata aliquot ſunt exemplaria , iam dubitare non potes. Eſt homo Gallus, profeſſione medicus. Qui ex lectione tantum idioma didicit ; ſane non multum præſtitit ; minus præſtiturus , ſi ab homine Hiſpano (quem ipſe nominat) adiutus non fuiſſet. Laudo tamen operam. & habet multa , quæ ſcire intereſt, & quæ me docuit. Sed, puto, longe plura à nobis ille poſſet diſcere, qui Nebriſſenſem auctario longe maiore cumulauimus, quam eſt ipſius Lexicon. Oro te , vt ſtatim literas Labbæo reddendas cures, quas ego ei ſcribo. Defeſſus ſum tot literas ſcribendo. Vale.
v. Kalend. Maij Iuliani cIↃ IↃCIIII.

EPI-

EPISTOLA XCV.

ISACIO CASAVBONO. Hoc Auſtro flante nos à vobis literas accipere poſſumus, vos à nobis nullas. Diu eſt, quum ad te ſcripſi, & quo minus meas acceperis, in cauſa eſt idem ventus, qui veſtras nobis perfert, noſtras vobis negat. Quum primũ deſæuierit, tunc ſtatim illas expecta. Scripſi ad omnes tuas eadem opera, neque quicquam libentius facio, quam vbi tecum garrire datur. Tuum Dionem, vt omnia tua, iamdudum expecto. Ego omnium mortalium miſerrimus, rem cum imperitiſſimo typographo habeo, qui omnia ſuſque deque permiſcet. Tanta hominis eſt ruditas, vt vix nunc primum in meo opere tyrocinium facere incipiat; & iam mihi rixa eſt cum illo. Itaque niſi mutauerimus conſilium ego & Commelinus, cuius ſumptibus liber excuditur, nulla ſpes eſt foras mercem hanc extrudere poſſe. Moles magna eſt: & nondum Latina Hieronymi abſoluta. Græca pars per ſe ingens volumẽ conſtituit: Notæ & Canones duplo maius. Ecquando iſta prodibunt? Multa hic ſunt typographia. ſed omnes lucelli amor ad friuola euocat. mea interim iacent. Mota eſt magna huius libri expectatio. non vtique mea prædicatione. Nam non ſoleo mea venditare. Tantum dixi, & dico: aliam longe editionem, ac homines expectant, fore. Addo, fore præter expectationem eorum; qui prius verum odiſſe cœperunt, quam me veri amantiſſimum odiſſent. Et quia cœpi ἀλαζονεύεσθαι, vt ipſi vocant, audeo dicere, meum opus ἀλγηδόνα ὀφθαλμῶν fore illis: quod quidem mihi gratius iucundiuſq; futurum eſt, quam ſi illis placerem. Οὐδ᾽ οὕτω μανείην, ὥστ᾽ αὐτοῖς ἀρέσκειν. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Ego multos ſtudioſos quotidie video, paucos doctos; in doctis paucos ingenioſos; in ſemido-

ctis

ctis nullos bonos. Atque adeo literæ, generis humani vnicum ſolamen, iam peſtis & perniciei maximæ loco ſunt. Itaque hodie ad lectionem eorum, quæ prodeunt quotidie, accedendum eſt μετ' ἀντιδότου, aut ἀλεξιφαρμάκου. Puto me tibi abunde alteris literis ſcripſiſſe. Heinſius noſter quoque ad te ſcribit. Vale. Lugduni Batauorum. Kal. Maij Iuliani cIɔ Iɔ c IIII.

Epistola XCVI.

Isacio Casavbono. Tuæ illæ, quas modo accepi, a. d. x. Kal. Iunij ſcriptæ, conqueruntur de ſilentio meo. Binas tamen eodem tempore ad te dedi: in illis etiam memini Mathematici illius, qui ad me ſcripſerat: illis præterea meas ad eum adiunxi, prolixa non ſolum ſcriptione, ſed & animi propenſione. Non ceſſo, amice, neque debeo: ſed quod ſerius meas acceperis, culpa non in me deriuanda, ſed in patrem Hippotadem, in cuius poteſtate eſt, nos ſerius aut ocyus noſtra ad vos mittere, & vos ea à nobis accipere. Alius Mathematici literas Gallice ſcriptas vna cũ tuis accepi. Dicit ſe librum ſuum ad me mittere; idem quoque literæ tuæ teſtantur: ego nondum illum accepi, neque ante illi poſſum reſpondere, quam librum videro, legero, & probe tenuero. Quod vbi factum erit, ſine vlla mora vel illi ſatisfaciam, vel ſaltem dabo operam, vt merito de mea voluntate queri non poſſit. Promiſſum Epiſcopi Chronicon non apparet, quantum video: & tamen tuæ literæ iubebant proxime expectare. Aiunt multos eſſe, qui ad favum illum formandum ſuos flores contulerint.

συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι.

Meum nunc duobus prælis tranſigetur. Sed cum nebulonibus res mihi eſt. Et præterea longa via eſt, quod toties memini me tibi ſcribere:

αἰεὶ

αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.

Quid vero qui cum eiuſmodi rem habent?

δυςζώων δέ τε παῖδες ὁμιλοῦσ' ἀμβολιεργοῖς.

Ego omnino magna mei indignatione quotidie id experior. Tuam vxorem conualuiſſe, tibi & mihi gratulor. Ille enim nuncius de morbo, mihi acerbiſſimus fuit: Deus illam tibi ſeruet, quæ maxime rei familiaris, ſtudiorum, & liberorum cauſa, neceſſaria eſt. Ego miſer ſenex συκίνῃ ἀπικουείᾳ vnius famuli, & vxoris eius, innitor. Illorum nutu res mea familiaris ſtatque caditque. In Aquitania mea bona fortaſſe meliore conditione ſunt, ſed non meliore meo fato. qui in conductitiis ædibus habito, quum poſſem in meis. Dionem tuum expectamus. Heinſius iamdudum ad te ſcripſit. Eius literas, niſi fallor, vna cũ poſtremis noſtris accepiſti. Vale. Lugd. Batauorum. IIII. Eid Iunii Iuliani cIↄ Iↄ c IIII.

EPISTOLA XCVII.

ISACIO CASAVBONO. Heri cum Chryſococco & Chronico Siculo tuas literas accepi. Ante paucos dies alteras acceperam, quas poſt reditum ex Allobrogibus ſcripſiſti. Gratulor ventũ. Sed quod non ſtatim ad tuas ſcripſerim, fecit expectatio nobiliſſimi Buzenvallii noſtri: & præterea, ſi à lectione tuarum mox ſcripſiſſem, nondum meæ ad te peruenire potuiſſent, quibus te certiorem facerem, & Heinſium & me Auguſtam tuam hiſtoriam, imo Auguſtas tuas Animaduerſiones accepiſſe. Id te monere poſtremis meis oblitus ſum: quarum alteras perſpexi te tantum accepiſſe; alteras nunc tibi redditas eſſe non dubito. Ego, mi Caſaubone, & tuum librum accepi, & legenti eum mihi ſummo eruditionis tuæ admiratori, accreuit admiratio, cui nulla antea acceſſio fieri poſſe videbatur. Non nunc primum

te magiſtro diſcere cœpi. Quot ſunt opera tua,tot ſunt gradus τῆς προκοπῆς μου. Hoc ſi vnquam, ego nunc ex iſto libro animaduertere atque ſentire potui. Ecquis hæc poſſet præſtare,præter te? nemo præter te præſtiterit:nemo præter me iud cauerit. Neque eſt arrogantia, ſi id mihi vindico. Ab vſu habeo, quod poſſim iudicare; ab ingenuitate, quod profiteri. Sed quia illi ſequutores Suetonii tantum tibi debent, vide ne Marcellino ſit iniuriam facere, ſi non & de eo bene mereas, vt de illis iam meruiſti. Debes, quia potes; &, ſi poſſum à te exorare, facies. De Prouerbiis Arabicis gratias ago. Quum Latina accepero, quid ab interpretibus diſcere,quid in meis corrigere poſſim, videbo. Scito in hac ſenectute nihil mihi carius eſſe quam diſcere.Exigo à me quotidie quod mihi didici, quum potui; & quod didici, cui bono. Scito nihil magis mea intereſſe, quam Chryſococci exemplar accepiſſe. Ego Canones illos pluris facio,quam reliqua, quæ ego melius teneo quam Chryſococcus. Certe de anno Perſico, Arabico, & Syriaco longe plura, certiora, & vtiliora dedi; & dabo. Quamuis & ea quæ ſcripſit ille,magno mihi adiumento fuerint ad confirmanda ea, quæ coniectura ego expiſcatus ſum feliciter, ille à Perſis ipſis didicerat. Non verebor iterum de appellationibus Arabicis ὕλης ἰατρικῆς in codice Dioſcoridis Regio autem tibi vellere. Potes ſine vllo ſtudiorum tuorum & meliorum horarum diſpendio,dena in diem,aut plura,aut pauciora,quantum per occupationes tuas tibi licebit, deſcribere.Hoc & tibi& mihi proderit.Non poſſum ſatis mirari, te hominem in aliis occupatiſſimum,tam breui tẽpore tantum in Arabiſmo profeciſſe;quod mihi licet ex charactere tuo perſpicere.Non enim manus ea eſt νεοδιδάκτου, ἀλλὰ πλείως ἀραβίζοντος. Non ceſſabo te monere de illis Monachi Dominicani in Alcoranum notis,

tis, quæ tua ſtudia multum iuuabunt. Plurima enim obſcuriſſima in Alcorano ſunt. quæ fortaſſe illis Notis illuſtrantur. Quem fructum ex illis colliges, commodus imperties poſtea, vt & de me hac quoque in re bene mereas, & tuæ te operæ in eo collocatæ non pœniteat. Literas quas Geneva ſcripſiſti, non accepi. Quas vero ad te ab * * * * ſcriptas mihi miſiſti, aliquam bonæ frugis ſpem faciunt. Intereſt illud ingenium quibuſdam finibus coerceri; in quibus ſi contineatur, & illam luxuriem depaſcatur, nihil ab eo niſi bonum expectandum eſt. Vale. Lugduni Batauorum. XVIII. Kalend. Septembris Iuliani.

Dominus Buzenvallius poſtremis ſuis aliquam aduentus tui nobis ſpem fecerat. Quare ego omnium animos expectatione compleueram: qui aduentui tuo, tanquam triumpho cuidam imminebant. Ea ſpes quoniam decollauit, erit fortaſſe tempus, quando nec opinantibus tantum ſatisfacies, quantum ſperantibus defuiſti. Iterum Vale.

EPISTOLA XCVIII.

ISACIO CASAVBONO. Scio me in ære tuo eſſe, qui tot literas tibi debeo. Sed ineptus ſim, ſi cauſas ſcripſero, quæ indignæ ſunt oculis & auribus tuis: aut ſi id excuſauero, cuius veniam potius poſtulare debeo. Trinas à te accepi. In duabus poſterioribus, acerbiſſimo nuncio me perculiſti de obitu iuuenis Fleſſingenſis. quo caſu non ſolum optimo iuuene, cui damno nullum comparandum eſt, orbati ſumus, ſed etiam Arabiſmi inſtauratore, qui in illo ſeculo exortus, in quo vix vnus & alter Arabicis dedit operam; in illis tantum profecerat, vt non ſolum intelligere, ſed etiam alios docere poſſet, & prægreſſus conatus ſemiolorum huius ævi, qui ex

vnius epiſtolæ Pauli lectione ſe abſolutam Arabiſmi peritiam conſecutos arbitrantur, ad ea penetrauit, ad quæ perueniſſe etiam Muhammedanis ipſis ſumma gloria eſt. Ego, mi Caſaubone, mediocrem olim illi ſtudio operam dedi, & maiorem partem ſenium, curæ & occupationes ademerunt: Tamen in maxima felicitatis parte poſuiſſem, illi magiſtro operam dediſſe: neque puduiſſet me ἀπανηπῦαζ, & ſenem iuueni μαθητεύειν. In vno corpuſculo tantas dotes periiſſe, probitatem virtutis, eruditionis, quis ſatis digne conqueri poſſit? Conſpirauit in dolores noſtros hæc ætas. Nam habemus ambo quod in commune, & ego, quod priuatim dolere debemus. Quod enim detrimento literarum ſit, ad vtrumque pertinet. In illo iuuene magna literarum iactura facta eſt. pro earum peritia eximia, quæ in te eſt, & meo in illas ſummo amore, hoc damnum vtrique noſtrum commune eſt. Ecce nos in illa infelicitate felices, ſi vnum amiſiſſe ſatis fuiſſet. Sed proh Deum immortalem, parum erat tantam iacturam feciſſe, niſi σὺν δύο πήματα concurriſſent. Infelicem iuuenem conſecutus eſt non paſſibus æquis noſter Douſa. Dolebit tibi, certo ſcio. Sed quā alte putas mihi hoc vulnus inſediſſe? Magis cogitare potes, quam à me diſcere. idq; eo mihi acerbius, quod ille communis vtriuſq; noſtrum dolor tunc me oppreſſit, quum priuatum funus lugerem. Recens enim proximo ſanguinis vinculo mihi coniunctum abſtulit Oſtenda, virûm & virtutum omnium acerba cinis. Is præfectus erat fortiſſimæ Gallorum cohorti in illo πολυανδρείῳ verius dixerim, quam præſidio. qui poſt multa inuſitatæ fortitudinis & peritiæ militaris facinora ſumma cum omnium admiratione edita, globo tormentario traiectus vitam, quam cū ſumma erga Deum pietate, quod in illo genere hominum rariſſimum eſt, exegerat, reliquit. Accedit ad hæc damna θήλαβος μάστιξ,

lues

lues ſæuiſſima. quæ totum hoc biennium huic miſeræ vrbi incubat. Quæ quum tot capita quotidie rapiat, nullum tamen diſpendium exhauſtæ vrbis ſentitur. Mihi vero quo plures moriuntur, eo maior & numeroſior populus videtur. Præterea Academia frequentiſſima eſt: & neminem tantæ ſtrages deterrent. Me quidem vndique funeſtæ domus circumſtant, ſolis parietibus ab interitu remotum. Inter hæc exſpecto quid de me ſtatuat miſericors Deus, qui me à pueritia vſque ad hanc diem non ſine ſumma admiratione mea, quotieſcunque cogito, hominem incautum à ſummis periculis, rerum omnium egenum ab egeſtate vindicauit. Nam quod ſpiro adhuc, quod bella ciuilia Galliæ me nō abſtulerunt, quod ſine vlla re familiari commode vixi, quod in anguſta re tamen vitam tolero, hoc mihi maiori miraculo eſt, quam videre homines Romæ à ſordibus ad rerum culmen prouehi, quoties voluit fortuna iocari. Quod ſi optimus maximus & clementiſſimus ille parens, qui me ſolus alit, eo dies meos producat, vt vere proximo te hic poſſim amplecti, ſiquidem animum de profectione non mutaueris, ilicet beatum me, cui videre contigerit, quod me ſperare multa, quæ non dicam, non ſinebant. Sed ſi ad nos cogitas, auctor tibi ſum, vt ante menſem Maium id facere ne inſtituas. Nam in his tractibus eo vſque plurima diſcedens ſigna relinquit hyems, neque veſtigia veris apparēt, niſi poſtquam fere ſidus Tauri confectum eſt. Arbitrii tui tamen eſt etiam in media hyeme venire. Nos illam luculento foco expugnabimus, qui nunquam deficiet in cubiculo, quod tibi adornabo; quod tamē nullum, præter te, ornamentum habebit. Inuenies enim paupertinam quidem, ſed mundam ſupellectilem, & concham ſalis puri, & ante omnia pectus tibi deuotiſſimum. Anxit me diu exſpectatio Dionis tui. Cauſſam fruſtrationis

ex tuis poſtremis didici. Perſium ſub prælo eſſe audiuimus. Meus Euſebius, quando illius piſtrini, in quod eum ego abdidi, chathros perfringet, comminiſci non queo. Nam potius relegaſſe eum, quam prælo commiſiſſe videor. Adeo lentum eſt negotium. Quotidie tamen aliquod folium emendandum dant operæ illæ, quæ rem ſuam agunt, non meam & Commelini optimi viri, qui ſumtus facit. Quod mea ex Martiale conuerſa Epigrammata Græca adeo laudas, cauſæ non eſt. Si enim alicuius momenti putaſſem, non alium præter me editorem habuiſſent. Sed amici mei multa adhuc ſimilia habent à me: quorũ deſiderio ſi morigerus eſſe vellem, ex Scaligero herba parietaria factus eſſem, neque vllus eſſet angulus, in quo nomen meum non exſtaret. Hanc immoderati in nos amoris licentiam, vt coerceam, plurimum laboro: & neſcio quomodo Scriuerius noſter à me extorſit, non volente quidem, ſed nec renuente, vt illa ſaltem edi paterer, ſi nõ alio nomine, eo tamen quod tibi dicata eſſent. Parui. edidit: ſi quidem edita vocari debent, quæ nondum ſinit in publicum exire. Ante XVIII. menſes parum à fine abeſt eius Martialis, quem cum Gruterianis notis & ſuis adornat. Ea vero Epigrammata Gręca eſt pars illius editionis. ea cauſa eſt, cur non prodeunt, quia ſequela ſunt totius operis. Opus autem ipſum, quod tot menſes proxime abeſt à fine, cur non prodeat, neque cauſam comminiſci, neque ab eo expiſcari potui. Si quid iudico, non ſolum conſilium, ſed & animum edendi abieciſſe videtur, quamuis eum amice obiurgo, & vt illam mercem extrudat, omnes machinas admoueo. Fruſtra fui ſemper. Quum Trihæreſion Serrarii legerem, multa, quæ homini partim per proteruitatem, vt eſt mos eius familiæ, partim per confidentiam exciderunt, ea in vnum libellum cum eorum confutationibus conieci. & quia illius operis argumen-

gumentum eſt, an potius cauſa, Druſius, Druſio illum libellum miſi. ipſe non ſolum ſua, ſed & publicæ vtilitatis, vt ille ait, intereſſe putauit edere; ego, vt ſoleo, neque vt ederetur, ab eo exegi, neque hoc conantem impediui. Tantidem mihi eſt edi ac ſupprimi. Poſtquam enim de mea poteſtate exiuit, & meus eſſe deſiit; Itaque tanquam ſuum, cum meo tamen nomine, vnum in volumen coniecit. Titulus miſſus eſt ad nundinas: liber nondum prodiit. Vbi poteſtas primum mihi facta fuerit, vt ad te mittatur, curabo. Lugd. Batauorum. VII. Octobr. Iul. CIƆ IƆ C IIII. De editione Euſebii Aquitanica in poſtremis literis ſuis magnificus vir Marcus Velſerus ex me ſciſcitabatur num quid certi accepiſſem. Vt homini optime de me & literis merito ſatisfaciam, oro te, vt quid eius ſcire potueris, ad nos ſcribas. Iterum vale.

EPISTOLA XCIX.

ISACIO CASAVBONO. Ad poſtremas, quas nudius-quartus ad te dedi, quid adiicerem, nihil noui habebam, niſi heri alias à te accepiſſem: quæ profecto, nouitate facti, quod narras, varie me affecerunt. neque enim quo tot proci te circumſtent, queo comminiſci; &, ſi non mentiuntur, (quod vix non faciunt id genus homines) ſe delegatos ab eo, de quo nunquam mihi, neque fortaſſe tibi in mentem veniſſet, res profecto mira & inſolens mihi videtur. Nam qui viuat hodie omnium hominum ſecurus, & ſui amantiſſimus, is profeſto eſt. quo magis miror illius miſſu illos ſubornatos, τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν συνείδησιν σου σκευωρεῖν. Certe nihil aliud profitetur quam vt omnes perſuadeat vel per ſe, vel aliena opera εἰς τὸ ἕτερον μέρος αὐτομολεῖν. Hoc enim maxime ſe τὸ ἀνύποπτον καὶ τὸ εἰλικρινὲς τῆς θρησκείας probaturum

 illi

illi confidit, cui nulla neceſſitate ſeſe obnoxium fecit, & cui id quod eſt, ſeſe debere fatetur. Nam & illum ſcurram γαστρὸς ἐπώνυμον ſummiſit τῷ πρεσβεῖ qui hic eſt, cum iſthic eſſet, ſi poſſet illum in ſuas partes perducere. Sed ſurdo narrauit fabulam. Non enim paruam laudem putat apud Transtiberinos fore, ſi ſpolium conſtantiæ veſtræ ad illos referat, quod è valuis piſcatoris aliquando pendeat. Itaque non dubito verum eſſe miſſu illius hæc fieri, non tamen vt propterea peiore loco ſint res tuæ, quam nunc ſunt. Quæcunque mutatio in fortunis tuis accidere poſſet, ea potius imminere tibi poſſet à Dracone pellem inauratã incubante, quam à profeſſis hoſtibus. Ille enim ſolus poteſt perſuadere, plus capere inteſtina Philologi, quam arcam vnius πορνοβοσκοῦ. Sed aut ego vanus augur ſum, aut hinc nihil tibi metuendum. ταὐτόματον αὐτῶν βέλτιον βουλεύσεται. Te hic expectabo proximo Majo. Vt enim maturius venias, tibi auctor non ſum. Debes enim meminiſſe, nihil deformius his regionibus eſſe vſque ad pene confectum ſidus Tauri. Ita metior profectionem tuam ex commoditate tua, non ex voto meo, qui te iam hic malim eſſe. Tui arbitrii eſt, quando conſtitueris in animo tuo id facere, neque tempus neque alios euentus morari. Vale. Lugduni Batauorum. VII. Kal. Nouembris Iuliani cIↃ IↃ IIII.

EPISTOLA C.

ISACIO CASAVBONO. Ex trinis quas ad te dederam, video primas ad te perueniſſe: de mediis dubito: vltimis metuere non ſinit fides ſpectata eorum quibus tradidi. Erant ii à Communi Arauſionenſium ad Illuſtriſſ. Mauritium miſſi. Fidem tibi facio diligentię meæ. Si ſerius ea tibi perſpecta eſt, vnus eſt in quem

culpam conferam, Africus, traiectum in Galliam impediens, qui per quinque continuos menſes nunquam ſtare deſtitit: vt hactenus nulla ſigna hiemis hic fuerint. quod poſt hominum, qui hodie viuunt, memoriam, in iſtis tractibus nunquam contigit. Sole Piſces ineunte & ventus mutauit, & quædam ſpes reliquiarum hiemis affulgere cœpit. atque adeo ſuda tempeſtas huius diei, quo hæc ad te ſcribebam, ad id faciendum inuitauit. Itaque poſtquam tuas poſtremas legi, maiorne voluptas mihi ex conditione Bibliothecæ tibi delata, an ex illarum iucundiſſima lectione inceſſerit, haud facile dixerim. Vtrumque ſane mihi iucundiſſimum eſt, & tibi bene eſſe, & me id ex te intelligere. Vna enim opera & rei tuæ conſultum eſt. & de inuidia triumphatum. Supereſt, vt opera à te detur, vt tam inuidioſum bonum tibi proprium ſit, neque vllus κακοήθης te de eius poſſeſſione deturbare poſſit. Expedit tibi eſſe qui velint potius quam qui poſſint. A quibus cauendum tibi ſit, nemo melius ſcire poteſt, quam tu ipſe: quia qui hoc velint, eos non longe à te habitare neceſſe eſt, & notiores eos tibi eſſe, quam nobis; & quo propiores tibi ſunt, eo illorum te μεθοδείαις opportuniorem eſſe. Sed neque tibi ideo tantum diuinitus collatum eſſe beneficium puto, vt non eo diuturno fruaris; neque te non tanta prudentia eſſe, vt non meditatum tibi animo ſit, à quibus te cauere oporteat. Seruanda igitur tibi eſt illa Bibliotheca & tuo & publico bono. Nam hactenus neque illi, qui ei cuſtos adhibitus erat, per imperitiam vtilis fuit; neque aliis per eiuſdem ſiue inuidiam ſiue ruſticitatem prodeſſe poterat. Noueram enim eum ante XLIIII. annos. Ego non dubito quin multi theſauri illi ignoti fuerint, quos tu eruere poſſis. Si quid in recenſendis libris inciderit, quod ad noſtrum Euſebium illuſtrandum faciat, oro te, vt nobis impertias.

tias. Multum nos iuuit Georgius Syncellus; & ſine eo, non eo ornatu proditurus erat Euſebius, quo eum inſtruximus. Nam omnia, vt ſpero, erunt vltra expectationem hominum. Vna nobis crux eſt, mora operarum, & magnitudo operis. Hæc duo, & vota hominum & diligentiam meam eludunt. Gratias ago tibi de Dione Chryſoſtomo. Incidimus in eandem ἐυϛοχίαν, ἐν τοῖς Ὤρῳ χαφομένοις ὀνείροις. Ea emendatio in Euſebianis noſtris excuſa fuit ante IX. menſes. Si quis obtrectari coniecturæ noſtræ velit, habeo te vindicem, quem opponam. Chronicon Aquitanicum videre plurimi fecerim, quandoquidem certum eſt publice proſtare.

Vbi primum nanciſci poteris, Raphelengio mittendum, qui pretium pro me dinumerabit.

Vale. Lugduni Batauorum. Eid. Febr. Iuliani cIↄIↄc v.

IOSE-

IOSEPHI SCALIGERI

EPISTOLARVM

LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA CI.

ISACIO CASAVBONO. Quamquam nudius-ſextus ad te ſcripſi, tamen facere non potui, quin ad tuas quas nunc accepi reſponderem. Quam gratæ & iucundæ mihi fuerint alteræ, quibus ſignificabas te in locum Goſſelini ſuffectũ, etſi magis id animo ſentio, quam literis aperire potui, tamen ex meis poſtremis potuiſti intelligere non vulgarem fuiſſe lætitiam meam, quæ mihi cum omnibus probis communis eſt, ſed quos non dubito à me vinci & amore in te, & dotium animi, & morum & ingenii tui admiratione. Sed quemadmodum illæ literæ gratulationem, ita hæ vltimæ ingens deſiderium & cupiditatem meam elicuerunt, poſtquã legi, in quodam ἀνεπιγράφῳ libello, Regum ſucceſſiones καὶ σταδιονίκας contineri. Non potui me continere. immoderatum gaudium expreſſit à me geſtum fortaſſe hominis non ſanæ mentis: ſubito enim lætitia exilui. Illæ enim σταδιονικῶν καταγραφαὶ ſunt Iulii Africani, qui in Olympiadem CCXLVII Chronicon ſuum deduxit. De eo iam ſcripſimus in Notis noſtris. Quantum

orna-

ornamentum τῇ συναγωγῇ ἱϛορίας noſtræ acceſſurum eſt, quam ex multis iam editis, quam adhuc latentibus ſcriptoribus confecimus! Quanta lux Euſebio noſtro, cui editioni (ἀβασκαίτως εἴποιμι) hæc ætas parem non vidit! Non fruſtra hoc bonum mihi opto. Quum enim in tua poteſtate ſit, iam eius me compotem profiteor. Hoc vnum dolet mihi, ſi te hominem melioribus occupatiſſimum, ea deſcribere neceſſe ſit. Quamprimum igitur poteris, fac vt bono tam exoptato fruar; neque illo ſolo, ſed & ſi quid præterea in alueolis latet, quod muſcas effugerit, & noſtrum Euſebium exornare poſſit. Inuenies, certo ſcio, & alia. Interim fac, amabo, ne diutius illis quæ iam nactus es, careamus. Libellum in Serrarium, vna cum diuina Funebri oratione Heinſii noſtri accipies, quum hominem, cui recte dare poſſimus, inuenerimus. Expecto Chronicon Epiſcopi, quem deceſſiſſe tantum mihi dolet, quantum optarim eum ſupereſſe, vt illi parem gratiam referrem. Vale. Lugduni Batauorum. raptim. VI Non. Martii Iuliani CIƆ IƆ C V. Perſium tuum expectamus. Oro te ne omittantur illi Reges, Sicyoniorum, Cretum, &c. Omnia, quæ tuto mihi reddi voles, mitte ad Buzenuallium tui ſtudioſiſſimum.

EPISTOLA CII.

ISACIO CASAVBONO. Nudius-quartus literas ad te dedi. quod ad illas addam, nihil habeo; niſi vt tibi refricem memoriam illius libelli deſcribendi περὶ ϛαδιονικῶν ϗ βασιλέων, de quibus Euſebius agit. Illos ϛαδιονίκας ex Africano eſſe, tibi probabo. Valde me inquietum habebit illius libelli expectatio, donec bono meo maximo nanciſcar. quod vt quamprimum fiat, oro te. Chronicon Epiſcopi nondum accepi. & ſi verum eſt,

quod ad me ſcripſiſti, de eius obitu, multis de cauſſis ægre fero. Plurimi feciſſem illum teſtem habuiſſe diligẽtiæ meæ. Non verebor iterum te de illis Græcis ſchediis obtundere. Patere, amabo, ἀναισχυντίαν meam; fortaſſe & tertiũ te de eadem re compellauero, ſi non maturius accepero. Vale. Lugduni Batauorum. VII. Eidus Martii Iuliani cIↄ Iↄ C V.

EPISTOLA CIII.

ISACIO CASAVBONO. Nunc accepi, & Chronicon Epiſcopi Vaſatenſis, & Perſium tuum, vna cum numeroſo faſce literarum. Quia ſtatim reſpondere cogor, quid aliud ſcribam, neſcio. Nam nihil eorum quæ accepi, legere mihi vacat. Itaque opus eſt otio & tempore, vt omnibus reſpondeam. quod quidem ſtatim me præſtiturum ſpondeo. Libellum meum in Serrarium, quem vnicum habeo, & nondum compactum, tibi mitto. Expecto enim Druſium, qui exemplaria mihi plura adferet. Nam libellus iſte, eſt potius epiſtola, quam iuſtum opus: eaque vna cum Apologetico Druſii communi titulo edita eſt. Simul ac accepero, mittam; & ad omnia reſpondebo. Nam is, qui mihi tuas vna cum Chronico Pontaci detulit, ſtatim reſponſum efflagitauit. Accingar ad lectionem omnium, vt & tibi & illis ſatisfaciam. Si verum eſt quod narrabas poſtremis tuis, Epiſcopum deceſſiſſe, grauiter fero, idque multis de cauſſis. Quantum profecero ex eius lectione, tibi ordine exponam. Meus Euſebius gnauius nunc procedit. Habeo rem cum ceſſatoribus: tamẽ non eſt quod tantum eorum ἀμβολιεργίαν accuſem. Ter proxime ad te ſcripſi. Poſtremis, & alteris, quas ante eas dederam, rogabam te, rogo, & ſummopere à te contendo, vt illa quæ habes περὶ σαδδουκαίων, & ſi quid præterea argumenti eius-

eiuſcemodi eſt, deſcribenda mihi cures. Ego mercedem omnem ſoluam. Te enim in huiuſmodi morari, piaculum putem. Sed, amabo, fac quamprimum illa ad me perueniant. Multa habeo, quæ in proximas, quas tibi daturus ſum, differo. Tu interea vale. Lugduni Batauorum. XII. Kal. Aprilis Iuliani CIↄ Iↄ C V.

EPISTOLA CIV.

ISACIO CASAVBONO. Tandem exoptatiſſimus Perſius tuus nudius-tertius mihi redditus fuit: atque adeo totus ſum in eo legendo. Si qui ſunt, vt ſane non pauci ſunt, qui ad illius poëtæ adyta penetraſſe putent, tuo Commentario moniti tam ab eo abeſſe fateantur neceſſe eſt, quanto propius ſeſe acceſſiſſe putabant. Quanto in pretio is auctor olim fuerit, Quintilianus & Martialis teſtes ſunt. Ego tamen, quamuis ſerio illius lectioni olim operam dederim, numquam cauſſam aut argumentum inde haurire potui, cur mihi perſuaderem, tanti faciendum, quanti fieri ab omnibus videbam. Tu luculenta illa explanatione feciſti, vt mihi non ſolū magnus propter ſe, ſed & melior propter te videatur. Atque vt fatear, mihi non viſum, qui vltra ſenſum Grammaticum exponi mereretur, nunc tamē plus meruiſſe fateor, quia & te interpretem nactus eſt, & ſi te non habuiſſet illuſtratorem ſui, alium habiturus non eſſet. Qui enim hactenus illi manus admouerunt, operam luſerunt. Quantus tamen eſt ille, quoties Commentarium tuum conſidero? pluris condimentum eſſe videtur, quam pulpamentum. Tu illi ſcriptori animam dediſti; & apud admiratores ſuos effeciſti, vt alia parte admirandus ſit, quam qua ipſi cenſuerunt. Gratias vero tibi & illius nomine ago, & Chronici Euſebiani Burdegalenſis; in quo ſane pater eius operis ὁ μακαρίτης tantum

tum ſtudii poſuit & diligentiæ, quantum ſatis eſſet & ſibi laudem & lectori fructum parare. Neque vero aliter pronuntiabit, niſi qui malignus eſt. Tria quæ in ſcriptore requiruntur, in eius opere animaduerto, doctrinam, diligētiam, candorem. Paucos inuenias, in quibus hæc tria concurrunt: duo priora in pauciſſimis; tertium in nullo horum, qui ad Rempublicam turbandam, literas natas ſibi ſolis eſſe putant: quibus ſi maledicendi libertatem adimas, magis muti erunt, quam piſces. Miratus ſum in eo tantam modeſtiam, vt omni verbo abſtineat, quod animum alicuius offendere poſſit. Hoc tanto laudabilius, quanto in hoc æuo rarius. Eius opus viuet. in quo nihil præter nimiam diligētiam reprehendere poſſis. Nam tot futilium ſcriptorum codicum collatio, in quibus plus mendarum eſt quam verborū, nihil aliud promittere videtur, quam horas bonas perdere, & lectorum iudicio diffidere. Nos alia via graſſati codicum fidem nunquam, niſi in re ancipiti, imploramus: in illis quæ & pueri ipſi ſciunt, male horas collocari putamus. Denique nihil eſt diſſimilius, quam editio noſtra Aquitanicæ: & tamen illa, vt dixi, viuet, quia mendas ſuperiorum editionum ſuſtulit: & noſtra quoque non minus, quia errores temporum caſtigat: quod propter Canones Iſagogicos dicimus, quos tanquam animam Chronico Euſebiano addidimus, & quibus omnis doctrinæ huius diuinæ ratio continetur. Longe adhuc abſumus à fine. Res eſt mihi cum nebulonibus, qui plura peruertunt, in foliis recenſendis, quam ego caſtigare poſſum. Nā quod toties tibi ſcribere memini, ἐν πίθῳ κεραμικὴν μανθάνουσι. Nihil enim antea præter Theſes aut puerilia rudimenta excudere ſciebant. Dionem tuum me accepiſſe iam tertium tibi ſignifico. & miror te binas illas literas non accepiſſe. In prioribus adieceram, mecum tibi conuenire de illo loco ἐν τοῖς

ὀνεί-

ὀνείροις Ὠρωγχεαμμένοις. idque ante x menſes iam excu-
ſum eſt in noſtris Euſebianis animaduerſionibus. Lau-
do, quod Gloſſas veteres ad Perſium attexueris. Scito
illas ita à nobis excerptas à Pithœo editas fuiſſe. Chiro-
graphum earum meum vna cum veteribus Gloſſis Iu-
uenalis, quas itidem ex priſco exemplari Iuuenalis Pi-
thœano, & ex editione Georgii Vallæ collegeram in æ-
dibus meis Aginni, inuenies apud Puteanos fratres, ſi
modo non periit. Patri enim eorum dedi: & fortaſſe
Pithœus quædam aliter edidit, ac ego ſcripſi: quod ta-
men non puto. Ego illarum omnium Gloſſarum ec-
logarius fui. Bis antea de illo Olympiadum καὶ σαδιο-
νικῶν Chronico deſcribendo tecum egi. Idem tertium
ſummo opere à te peto, vt quam celerrime deſcri-
ptum ad mé mittas. Nam non longe abſumus ab eorum
editione, quæ eiuſmodi ſunt argumenti, & quæ illius
Chronici acceſſione amplificari poſſunt. Iuliani Afri-
cani eſſe tibi iam ſignificaui, & de eo dubitare non ſi-
nunt quædam teſtimonia, quæ penes me habeo. Ca-
rolus Labbæus noſter omni moleſtia & labore de-
ſcribendi te leuabit, neque hoc onus refugiet. Tantum
opus eſt diligentia, vt ante accipiam quam illa edantur
quibuſcum illa coniungi poſſunt. Quod mihi recte cu-
ratum voles, id Buzenuallio dirigendum. Certe illud
Chronicon non minus mihi ſomnum adimit quam illi
Atheniẽſi Miltiadis trophæa. Tu me hac inſomnia libe-
rare potes. Τὸ βιβλιδάριον in Serrarium tibi miſi. Dru-
ſium in horas exſpecto, qui exemplaria adferat. Nam e-
ius eſt tibi mittere, non meum, qui opuſculum noſtrum
communi titulo, vna cum ſuo edi curauit. Ego enim, e-
di aut non edi, ſuſque deque habui. Multa eiuſcemodi
amici à me habent: quæ, vt ex manibus meis, ita ex po-
teſtate mea exeunt, vt illorum ſit arbitrii edere, aut à
luce ea abſtinere. idque per me faciant licet. Vale. Lug-
duni

duni Batauorum. v. Kalend. Aprilis Iuliani cIↃ IↃ cv.

PROLOGVS PERSII.

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, vt repente ſic poeta prodirem.
Heliconiadaſque, pallidamque Pyrenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces: ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.
Quis expediuit pſittaco ſuum Χαῖρε,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Coruos poetas, & poetrias picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

Οὔτ᾽ ἱπποκρήνης λιβάδι χεῖλος ἔβρεξα,
Οὔτ᾽ ἐν λόφοισι δικρόοισι Παρνασοῦ
Ὄναρ ἴδον, ὡς ἀοιδὸς εὐθὺς ἐκβαίνειν.
Ἑλικωνίδων μέτ᾽ ὠχριῶσα Πειρήνη
Κείνοις ἐάσθω, κισσὸς ὧν καθερπύζει
Εἰκόνας. ἐγὼ δὲ τοῖς ἀνακτόροις Μουσῶν
Ἡμιστράπευτος τοὐμὸν ᾆσμ᾽ ἐσήνεγκα.
Τίς, ψίτταχ᾽, ἐτράνωσε σοι τὸ σὸν Χαῖρε;
Κίτταις βροτείου τίς λόγου καθηγεῖται;
Ἡ νοῦ χορηγὸς, καὶ διδάσκαλος τέχνης,
Ἀνέφικτα ῥήματ᾽ εὐτυχὴς κιχεῖν γαστήρ.
Ἀλλ᾽ εἴ τι κέρδους προσδόκημα προσσαίνοι,
Κόρακας ποιητὰς, καὶ ποιητρίας κίττας
Δόξεις μέλος τι Πυγασήϊον μέλπειν.

Mane in grabatulo.

Schedium mitto Labbæo, in quo notaui ea quæ deſunt in Codice Georgii, quo vtor, ſi forte in illo, qui eſt in Bibliotheca, exſtant, vt ea ab illo excerpta quamprimum mihi mittenda cures. Tuus Commentarius in Perſium, valde rapuit me. totum me heri veſperi poſſedit, poſtquam ſuperiorem epiſtolam ſcripſi. Nihil tale vnquam ne à ſummis quidem viris prodire poſſit. πέπηγα. Nihil vltra dicere poſſum, iterum te de Chronico τῶν σαδιονικῶν. Vale.

EPISTOLA CV.

ISACIO CASAVBONO. Quia non diu eſt, poſtquam ad te ſcripſi, nihil ſuccurrit nunc, quo te exci- piam. Mitto tibi librum Druſii, qui complectitur meum. Vno enim titulo continentur, vt meus ſit ἐφόλκιον illius. Quid ſcripſerim, profecto, ſi quis exigat à me, rationem reddere non poſſum. Tanta fuit properantia mea. Eiuſcemodi enim non pauca amici mei habent, atque adeo multa, quæ tantum abeſt vt meminiſſe poſſim, vt ea à me ſcripta eſſe ne meminerim quidem; fortaſſe etiam non agnoſcam, ſi quis offerat mihi. Iam quartum te conuenio de illo Chronographo τῶν σαδιονικῶν deſcribendo. Nunquam ceſſabo te obtundere, donec nactus fuero. Vale. Lugd. Batauorum. Eidib. April. Iuliani cIↄ Iↄ cv.

EPISTOLA CVI.

ISACIO CASAVBONO. Opuſculum noſtrum in Loiolitam tibi probari, pluris facio, quam ſi montes aureos meream. Quid frugis in eo ſit, nemo iudicare poteſt,

teſt, niſi Hebraice ſciuerit; neque ſolum id, niſi ita vt tu, ſciuerit. Nam quis non hodie cornicatur Hebraice? Sed meminiſſe debes, me in poſtremis literis hoc monuiſſe, me non ſerio egiſſe, quum illa effutirem. Quicquid enim mihi ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν, hoc prius chartæ illeui, quã animo concepi. Si enim hominem, vt dignus eſt, pro arrogantia accipere voluiſſem, & accuratior ſcriptura, & iuſtum volumen fuiſſet. Nunc quum σκιαμαχῶν hoc velitari ſtilo deluſerim, non adeo eruditos oculos tuos morari poteſt abortiuus ille fœtus. Mollius cum aduerſario agit amicus noſter, & ſane, ne quid diſſimulem, πτεροῤῥυεῖ; & non contentus δηρόν τε μένειν κενεός τε νέεσθαι. Regi magno auſus eſt opus ſuum dedicare: quod ille non pluris faciet, quam peniculum, qui extergentur baxeæ. Sed quo non progreſſa eſt fiducia, quæ etiam meas nugas eidem offerre auſa eſt? Miſi tibi integrum exemplar: quod non dubito te iam accepiſſe. Ego alio genere ſcabiem Clauii in meis Canonibus Iſagogicis defrico. & hominis inſcitiam ac impudentiam ventilo: cuius cento ingens (vere Loioliticus partus) nuper prodiit: in quo nihil aliud quã errores ſuos, quos vix tandem percepit, ineptiſſimis Tabulis tueri conatur. Sed fruſtra. Sæpius mihi venit in mẽtem ſtuporis tot hominum, qui craſſos errores illius piſtrinarii Aſini nondum animaduerterunt. Nam infantiorem, imperitiorem, & magis ridiculum, reperies neminem: ſi quidem vnius Geometriæ ſcientiam excipias; quam in eo etiam ſi ſtipes eſſet, propter longum tempus quo illud ſaxum voluit, aliquam oportet eſſe. Quinquaquaginta enim annos publice Euclidem legit. Hoc vnũ excipe, tantus eſt ſtupor hominis, vt in iis etiam quæ ad matheſin ipſam pertinent, λεβηρίδος τυφλώτερος ſit. Sed aliquando hæc melius ex Canonibus noſtris cognoſces: qui vtinã tam inertes typographos nacti nõ eſſent, vt maturius ꝓdirẽt, q̃ prodituri ſunt, niſi aut meliores opifices,

aut opificibus ipſis meliorem mentem Deus dederit Tuus Perſius mirifice me capit. Tuus diuinus Commentarius eum auctorem, à quo antea alienus eram, cõciliauit mihi. Librum hominis Germani de Idolo Hallenſi te vidiſſe non dubito. Ego ab auctore ipſo accepi. Sed Lipſius aliud germanum ; & eiuſdem argumenti, aut ſub prælo habet iam, aut ſaltem in eo eſt, vt prælo committatur. Et hoc quoque aliud ἐλεγκτικὸν ſcriptum Germanis exprimet. Κέρκωπες Loiolitæ precibus, quæ vim imperii apud Lipſium habent, hanc operam ab eo vel extorſerunt, vel eblanditi ſunt; vel vtrumque. Nam vt ipſi hominem totum poſſident; ita ipſe illis εὐχειρώτως nihil negare poteſt. Quod omnia mihi defers ex Bibliotheca regia, quæ ad exornandum noſtrum Euſebiũ faciunt, vt τὸ περὶ σταδιονικῶν, & ſi qua ſunt cognata illi materiæ, maximas tibi gratias ago. Itaque quod promittis forulos omnes excuſſurum, vt ſi quid in illis latet, quod iuuare nos poſſit, expromas, non mediocri me lætitia afficit. Itaque deſcribendo omnem operam ſuam benigne pollicetur Labbæus noſter. Nam te in illo tædio occupari, οὐδ᾽ ὄναρ optare audeam, neque velim, neque æquum eſt. Ego χρυσόκοκκον deſcribo. Canonum maximam partem expreſſi. Hæc ſunt ſupra ſeniles vires. Sed omnẽ laborem deuorabo. Vale. Lugduni Batauorum. IIII Nonas Maii Iuliani cIↄ Iↄ cv.

EPISTOLA CVII.

ISACIO CASAVBONO. Non potui facere quin hoc epiſtolium tibi exararem, quanquam quid ſcribam non ſuccurrit, & præterea non diu eſt poſtquam ad te literas dedi. Hoc tantum feci, vt ſcires me nullam occaſionem-

præter-

præterire,in qua poſſim tibi fidem facere, me meminiſſe tui. Scribo enim & aliena charta & atramento non meo,& præterea in his ædib⁹,in quas nullum ius habeo, niſi quantum is,qui illas habet,nunc mihi concedit.Cõcedit autem tantum quantum nemini, Is eſt Ampliſſimus legatus Buzenuallius,tuus iuxta & meus; qui te ſalutat plurimum.Ego hic ſeptimum diem àMuſis abſum meis,inquam. Nam quum huc accedo, aliæ me excipiunt.Qui enim cum Buzéuallio eſt,àMuſis abeſſe non poteſt. Expecto Chronicon τῶν σταδιονικῶν. Αὐτοσχεδίασμα in Loiolitam Serrarium accepiſti. Hoc tantum. Vale. Hagæ Comitatenſis Batauorum. xv. Kal. Iunii Iuliani CIↃIↃ CV.

EPISTOLA CVIII.

ISACIO CASAVBONO. Etiam ſi animam ipſam impenderem,nunquam tamen pro magnitudine tuorũ in me meritorum ſatisfactum tibi putarem. Præterita beneficia omitto. Iſto recenti τῶν σταδιονικῶν Chronico quantum me obligaſti! Quas gratias tibi referam? maiores non poſſum,niſi dixero me nullas referre poſſe. Verum fuit quod iamdudum ad te ſcripſi, σταδιονίκας Africani eſſe. Deſinunt enim, vbi opus ſuum ille terminauit. Sed Euſebius in priore libro τῶν χρονικῶν κανόνων κατὰ λέξιν ipſos retulit, vt fere tota illius Chronica nihil aliud ſint, quam centunculus ex pannis Africani conſutus: &, quæ fuit ſcriptoris illius inſcitia,leuitas, ἀπερισκεψία, nullos alios putauit σταδιονίκας deinceps fuiſſe, præter eos quos ab Africano accepit.Idem fecit & in Regibus Lacedæmoniorum,quos nouem tantum putat fuiſſe, quũ tamen plures fuerint, tam ex Euryſthenidis, quam ex Procli-

Proclidis. De imperitia & leuitate hominis non opus eſt plura dicere. ſatis ea diſputata ſunt in Animaduerſionibus noſtris, quæ proxime abſunt à fine: & iamdudum locum dediſſent Canonibus Iſagogicis, ſi ſtrenuas operas, non ignauos homines, nactus eſſem, quibus opus meum excudendum commiſi. Itaque differor indignatione, quum video mihi rem eſſe cum eiuſmodi hominibus, à quibus neque minis neque blanditiis aliquid æqui bonique exprimi poteſt. Iam tres menſes ſolidos vix decem dierum iuſta ab illis exigere potui. Quare quod videris putare me editionem morari, quod eam omni copia reconditarum rerum inſtruere cupiam fruſtra es. Vtinam hæc ſola cauſſa moræ eſſet! neque vero inficias irem. Sed ante triennium iam omnem diligentiam noſtram in illud opus exhauſimus, vt per nos licuerit ante annum illi in lucem exire. Quod autem illud exornare illa ſupellectile volui, ſine qua, hæc diuina temporum notitia, cuius me auctorem eſſe maleuoli nollent, inſtructa ſatis neque abſoluta eſſe poteſt, id vero negare non poſſum; & aliter velle perſuadere, mihi decorum non eſt. Cupio enim illud eſſe ſcrinium rerum earum, quæ non ſolum omni hominum generi profuturæ ſint, ſed & quibus nemo carere poſſit. Itaque multa adhuc ſuperſunt, quæ quamuis moles non ſinit tam cito prodire, tamen huius ceſſationis cauſſam magis in operarum improbitatem, quam in operis molem reiicere poſſis. In Canonibus plura præter expectationem hominum, non tamen ſupra captum vulgi. Ea enim gratia ad illorum ſcriptionem nos contulimus, vt etiam plebeculam pane paſceremus. Hoc iamdudum à me exigunt, & non ab inuito impetrarunt ii, quibus mei libri De emendatione Temporum σκοτεινοὶ videntur. quod neſcio quare illis putare in mentem venerit; quum illi libri nil contineant, quod hiſtoriæ fines migret,

migret, niſi vbi Tabulis diſputationum ſummæ concipiendæ ſunt. quod aliter in hac tractatione fieri non poteſt. Parui igitur, & eo rem deduxi, vt & pueri capere poſſint. In illis Canonibus (quod tibi toties ſignificaui) res eſt mihi cum ineptiſſimo & impudentiſſimo homine Clauio: quem hominem, ex aliorum iudicio potius, quam ex meo, aliquid ſapere putaui. Is vero, qualis ſit, ſatis ſeſe & libello, quem in me ſcripſit, prodidit, & illa ingenti farragine confirmauit, quæ nuper prodiit, qua nihil vnquam imperitius vidi. Denique omnium illorum portentorum, quibus noua anni ratio deformata eſt, ille auctor eſt. Quæ quum ego primus aperuiſſem, & ille iam agnoſcere videatur, tamen tanta eſt illius impudentia, vt tueri malit, quam deprecari. Neque enim aliter Socii ſolent. Videbis, videbis, ô ſumme virorum, quæ nemo vnquam odoratus eſt. Miraberis tot oculos nihil vidiſſe: tantam ſupinitatem, ſecuritatem iudiciorum fuiſſe, vt opus fuerit vno homuncione (ita me vocat τὸ κάθαρμα Del-rio) ad illa caſtiganda quæ tot glorioſi ne ſuſpicari quidem potuerunt. Vidiſti Loioliticum Amphitheatrum honoris: in quo requirere modeſtiam, id vero eſt ignorare quid Loiolitæ profiteantur. Sed nullius Latinitatis veſtigia extare, quum omnes ſocii in illam æruſcationem ſtipem ſuam contulerint, hoc ſane eſt quod nunquam credidiſſem, niſi vidiſſem ipſe. Deum immortalem, quæ ſtribligines, qui barbariſmi, quæ loquendi ſartago! Cæterum nemini bono, docto, modeſto ibi parcitur; neque magis tibi, quam mihi. Burdonem me vocant. Acuti homines. Cauſſam aperiam. Pater meus fratrem maiorem natu habebat, nomine Titum. Ab eo ille diſtinguebatur cognomine à Burden. Nunquam enim Pater meus, aut in aula Maximiliani Cæſaris, aut in Italia alio nomine vocatus fuit, quam Iulius Cæſar à Burden; aut Comes à Burden; Itali voca-

bant eum Tonſum à Burden. Lilius Gregorius Gyraldus, familiaris Patris, mentionem eius faciens in recẽtiorib. Poetis, vocat eum Burdonium: ſi Burdenium dixiſſet, verũ dixiſſet. Neq; aliter potuit. Eſt. n. error Typographi. Hinc illæ lacrymæ. Fanaticus quidam Sileſius Melchior Guilandinus, ſtirpiũ peritus, reliqua imperitiſſimus, quum intellixiſſet, me ab eo in iis, quę de papyro diſputauerat, diſſentire, probe hanc iniuriam ſe vlturum putauit, ſi nos inſititios in genus Scaligerum proderet. Iuuit eum, & operas contulit porcus quidam Latinarum literarum profeſſor Patauinus, qui ex illo loco Gyraldi perſuaſit illi, nos non Scaligeros, ſed Burdonios eſſe. Quid fecit acutus Sileſius? finxit quendam Iulium Burdonem Benedicti ciuis Veronenſis filium in Patauina Schola ad medicinæ gradum fuiſſe promotum. Hoc in vulgus ſparſit, & hinc multa per Europam exemplaria, quorum ego nullum habeo, vulgata ſunt. Ex quo etiam abreptitius ille Robertus Titius Burdones cœpit crepare: & ne vllum mendacium eſſet, quod non in ſcriniis Societatum extaret, nunc in illo Amphitheatro pro Burdenio, Burdonius audio. cuius cauſſam tam illi omniũ hominum improbiſſimi, quam etiam probi ignorant. Vtrum Burdonius an Burdenius vocandus ſim, ſuſque deque habeo. nunquam negabo patrem meum à Burden vocatum fuiſſe: id eſt dominium quoddam in Carnia, quod propatrui mei Bonifacii fuit, non patris mei. Et non ſemel à patre meo audiui id lingua Carnorum ſignificare deſertum. Neque ſolus pater meus ſe eo nomine Italis & Germanis notum fuiſſe ſæpe prædicabat; ſed & ſeniores Ligures Taurini, qui cum eo in Nitiobrigas venerant, non aliter, quam Iulium Scaligerum à Burden vocabant, vt ego teſtis ſum. Ita nunquam ab incunabulis ſectæ Loioliticæ, ad hanc vſque diem, nunquam Loiolitis excidit verum dicere. Nunquam verum di-

dicent, etiam ſi velint. Hoc enim ipſis iam εἰς ἕξιν μετέβη, poſtquam nihil aliud profitentur, quam falſa tueri. Quid enim aliud agunt? Meum fœtum in Serrarium tibi probari vni malo, quam omnibus, qui alibi ſunt; quorum nullus eſt, qui quod in eo laudandum ſit, capere poſſit. Hoc vnum ſcio, neque illis neque Loiolitis ſatis induſtriæ eſſe, vt ſimile concipiant, ſatis iudicii, vt de eo ſententiam ferre poſſint. Abraham Zachati, de quo quæris, auctor, libri פרוסין, editus eſt Kracouiæ in Polonia. Iam exciderat mihi me illeuiſſe chartæ ſcazontem Perſianum Græcum, quum ad te ſcriberem. Tanti enim omnia mea facio, vt maiorem partem me ſcripſiſſe oblitus ſim. In lecto meditatus eram illos verſiculos: à quo recens quum ſurrexiſſem, illos in epiſtola tua conſcribillaui. Sed vide an ita concepti ſint, vt infra poſui: nam hos non poſſum mutare. Vale. Lugd. Batauorum, Nonis Iunii Iuliani CIƆ IƆ CV. Raptim.

EPISTOLA CIX.

ISACIO CASAVBONO. Ex illis quas in aduentu Illuſtriſſimæ Heroinæ Arauſionenſis accipies, poteris intelligere, quam me bearis Chronico illo, quod à te accepi. Si magnitudo gaudii mei meritum tuum metiri poſſet, non admodum laborarem de gratia tibi referenda. Nunc nihil aliud poſſum, quam teſtari te de noſtro Euſebio & nobis optime meritum eſſe. Plane enim omnia ſunt ab Euſebio, quæ ille ab Africano, & aliis accepta, (ſæpe auctorum tacito nomine, quibus hæc accepto referenda erant) in ſuos χρονολογικοὺς στρωματεῖς congeſſerat. Habebunt tamen locum in calce Græcorum Euſebianorum, indicatis locis, quo referenda

erunt in ſecunda editione. Magna profectò & ornamenti ad Euſebium, & vtilitatis ad poſteros, ex illis reliquiis acceſſio facta eſt. Quarum nomine, quia ego ſolus non poſſum, omnes vicem meam tibi gratias referent. Sed tres Olympiades omiſſæ ſunt à Labbæo noſtro; an ab archetypi antiquario, neſcio. Si à Labbæo; oro, vt primo tempore mihi ſuppleantur. Eæ ſunt ρ ι, ρ ο δ, ρ π η. Notæ ad Euſebii Latina Hieronymiana ad exitum prope ſpectant. Græca & Canones Iſagogici, anima iſtius editionis, multum temporis poſtulant. quod geminandum ignauia operarum, quæ me ἀμβολιεργίαις conficiunt. Inſpexi fabulam Annalium ſub annum Chriſti Dionyſianum CCCCXV. ibi ridicule Conſulatu Honorii X, Theodoſii VI, III. Cal. Decembr. dicitur Paraſceue fuiſſe, quum fuerit feria II. Sed puto VI. Calend, non III. Calend. legendum. Nam procliuis eſt lapſus in eiuſmodi. Caphar Gamala non eſt villa Gamalielis, ſed villa Cameli כפר גמלא καμηλοκώμη. Recte *Delagabri*, τῶν τοῦ θεοῦ ἀνδρῶν. גברי דאלה. *Babataiia*, ἀνδρῶν ἀγαθῶν, falſo. דאבא טליא τοῦ ἀβαζαλία, vere Iudaicum nomen. quod & אבטליא poteſt dici. Sed alterum vſitatius, καὶ Ἰουδαϊκώτερον. *Celiel*, ſeruus Dei. Nugæ, כלי אל, θεοῦ σκεῦος, Hebraicum, non Syriacum. *Apaan Dardan*, Nomina propria: non autem Nicodemus, vt nugatur. Vt vere de otio lectorum luſerit, qui tam friuola commentus eſt; & maiores nugas egerit, ſi pro Nicodemi ſepulcro, Apaan & Dardan Iudæorum Chriſti hoſtium reliquias adorandas propoſuerit. [illegible] eſt στρόφιγξ

C

περιστροφὴ, DE, quam in manibus fabri terebra per-

A

agit, ad verbum eſt *terebratio*. [illegible] eſt compendium

viæ

viæ. In itinerario Antonini à loco ad locum ſunt ſæpiſſime duæ viæ, altera longior, altera per compendium. Longiorem omnino flexuoſam eſſe oportet, vt Geometræ mediocri patet, propterea ille ambitus & flexus, vt ab A ad B & C, dicitur στροφάλιγξ ab Arabe. per compendium autem ab A ad C, quam rectam eſſe oportet per Geometrica elementa, id Arabs vocat [illegible], quod proprie ſignificat compaginem, hoc eſt, punctorum A, B, C, in A, C, compagem & reductionem. In II. parte III. Climatis omnino جمل mendoſe legitur, pro جلال meo iudicio, id eſt, excellentia: ἡ ἐξοχὴ τῶν πόλεων, κωμῶν, ὀχυρωμάτων, φρουρίων, &c. id eſt, ἐξοχώτατη τῶν πόλεων, &c. quæ ſequuntur. Sed ego quæro magiſtrum, qui mihi viam præeat, in illo libro, quem bis totum perlegi; nec tamen adhuc mihi ſatisfacio: &, quod vnice queror; memoria me decoquit quotidie. Tu in hac ἀκμῇ meliora potes, & præſtantiora. Vale, XV. Calend. Quintil. Iuliani cIɔ Iɔ CV.

De eo qui Teueti teſtimonia producit, non miraberis; ſi hominem noſces. Noli, me eum in aliquo precio habere propter epiſtolam ad eum ſcriptam, tibi perſuadere. Ab eo enim occaſionem ſcribendi captaui, non ei laudem vllam tribui. Extra cancellos & dryphacta Grammaticæ noli eum excludere, ſi quidem aliquid eum ſcire putas. In eo enim campo curſu valet; extra illos fines, homo eſt ineptiſſimus. præterea τύφου πλέως & quem propter arrogantiam collegæ pati non poſſunt. Nonne vides, ſi quid in eius libello boni illi excidit, vnde acceperit? Nonne vides eadem verba? Simium meum quidam eum vocant. & tamen pauci ſunt, qui

qui ab eius obtrectatione vindicari poſſunt. Sed ſcis quale pecus ſit ὁ παιδαγωγός. Iterum vale: & hæc caue ſint ἔκφορα.

EPISTOLA CX.

ISACIO CASAVBONO. Trinas fere eodem tempore literas à me acceperis; & puto eas tibi redditas eſſe. Omne argumentum nouarum literarum illis prioribus exhauſi. quo minus mirari aut ægre ferre debes, ſi iſtæ aridiores erunt. Quod enim ad te ſcribam, præter iſta ſuperiora, non habeo. Gratum tamen eſt mihi, tecum garrire, etiam ſi nihil habeo quod ſcribam. Sed eſt non nihil, quod epiſtolam claudere non ſinit tam cito. Nactus enim ſum typographum, qui meos Canones Iſagogicos excudat. Ita partito labore, ſpero Nundinis Vernalibus Euſebium noſtrum prodíturum. Canones, tibi ſcripſi non ſemel, eſſe animam illius editionis. Certe abſque ignauia illorum foret, qui meum Euſebium tam lento igne coquunt, iam dudum in auras exiuiſſet. Sed nihil damni incidit in mora. quin per eam potius magna, & ad integritatem, & ad ornamentum, facta eſt acceſſio. Fragmentum illud τῶν σταδιονικῶν, quod nobis liberalitas tua impertiuit, eſt vt Minerua Phidiæ in noſtro opere. Ab illo Euſebianis noſtris; à nobis illi magna lux allata eſt. Nunc quid agas; & an aliquod rerum tuarum certum conſilium ceperis, præſertim an animus ex illis turbellis conſiſtat, ſcire aueo. Nã res tuæ non minori mihi curæ, quam tibi. Vale.

Lugduni Bat. XVII. Kal. Septembr.
Iuliani cIↄ Iↄ CV.

EPI-

EPISTOLA CXI.

ISACIO CASAVBONO. Quamuis anguſtiis temporis excludor, ne tibi ad ſingula reſpondeam, quæ poſtremis tuis comprehendebas, (ita properus fuit diſceſſus Vaſſani iunioris, cui haſce tradidi) tamen facere non potui, quin τὰ κεφαλαιώτατα illius epiſtolæ tangerem: vt ſi non conſilio aliquo te ſubleuare; ſaltem ſocietate curæ officio meo ſatisfacere poſſem: quod non ſinit in re tua dubia me tacere. Quod igitur præcipuum erat in illis literis, de perpetuo timore tuo, & de præmiorum Nemauſenſium ſpe; ſi ad vtrumque ita, vt ratio exigit, reſpōdere velim, res eſt & longioris temporis, & maturioris conſilii. Vt igitur præceps fuerit conſilium in re tam ſeria, ita intempeſtiuum ſilentium in tam neceſſaria. Primum quod tibi non tuto verſari licere putas, vbi & improbitati locus eſt quotidie, & proborum in dies gratia friget, equidem ignoſco & dolori tuo iuſtiſſimo, qui tibi cum omnibus bonis communis eſt; & timori, qui fortaſſe præcipuus tibi auctor eſt, vt de migrādo cogites. Sed ſi huius metus cauſas propius putaueris, mihi non videtur adhuc occaſio vlla ſatis iuſta, quæ animum tuum tam repente ad deſperationem traducere debeat. Neque enim improborum potentia tanta eſt, vt imperium in bonos habeant; neque tam infelix ſeculum, vt iſthic liberior malis habitatio ſit, quam bonis: neque video, cur ſub hoc Principe tutior impudentia ſit, quam innocentia. Quare per has quidem cauſſas, quas ratio temporis huius tibi obiecerit, ſecuriori tibi & quietiori eſſe licet. Vnum tantum opponere potes, τὸ ἄδηλον τοῦ μέλλοντος: ac propterea ſapienti ſemper cauendum, ne imparatum res aduerſæ opprimant: atque

que adeo anteuertendam potius, quam expectandam ruinam; præſertim quum partes proclinatæ incipiant iam ruinam facere. Ego in hac re, & in omnibus memini me hominem, non Deum eſſe, cuius vnius eſt hæc omnia ſcire. Hoc tantum dico: vt ſapientis partes ſunt, etiam omnia tuta timere; ita eius eſt, non omni timori credere. Quamobrem auctor tibi ſum, ne illa vnica cauſſa fuerit, cur à magnis amicis abſcedas, & illam virginem, quæ tibi credita eſt, illis deſeras, qui magno diſceſſum tuum emptum velint, vt à te deſertam ſoli poſſideant: quod profecto euitari non poteſt, ſi illam deſperationem, quam in conſilium rerum tuarum videris adhibuiſſe, ſequaris, & diſceſſus tui metum potius, quam rationem ducem habeas. De propoſito Nemauſenſi honorario longe aliud ſtatuendum cenſeo; & in hoc non amici vllius conſilium, ſed quod res nata ſuggeſſerit, ſequendum. Nemo enim eſt, cui res tuæ notiores ſunt, quam tu ipſe; neminem illæ magis tangunt, quam te. Omnia iuſtiſſima, numeroſa familia, filiæ nubiles, melior honorarii conditio in Arecomicis, quam iſtius, quod percipis Lutetiæ. Quid æquum, ſi hoc non æquum? ſed quæ difficultates ſeſe conſiliis tuis tranſuerſas opponant, tuum eſt cernere. Vnam δυϛκαταγώνιϛον tibi propono. Non potes abire iniuſſo eo, à quo iſthuc arceſſitus es. Facultatem abeundi petiueris, certo certius eſt, ſiue dabit, ſiue non, ſemper in odio ei te futurum. Ab eo diſcedere velle qui te inuitauit, eſt de eo conqueri. Quare ſi non cætera, quæ producere poſſim ſi velim, hoc vnum ſaltem cogita; hoc vno facto peſſime de illo meriturum, qui de te optime meritus eſt. Abſque hoc & aliis cauſis foret, non dubitarem quis animi mei ſenſus eſſet, pronuntiare. Nunc quia melius nota tibi ſunt, quæ tibi expediunt, quam mihi, equidem malo tibi nullum conſilium dediſſe, quam malum. Interea tem-

pus

pus & ratio melius dabunt, quam amici. Quod quidem ſi tibi dignum viſum erit, quod ſequaris, arripiendum potius, quam amittendum cenſeo. Sed de hoc quid tibi animi ſit, ex te audire amplius cupio; & fortaſſe quum rationes omnes putaueris, tum quid ſequaris, audacius non ſolum indicare, ſed & ſuadere poterimus. De Cerbereo, vt tu vocas, & ego non aliter auſim, libro τῶν καθα-ρίτων παιδαγωγῶν, cur aliquis dolor inceſſerit tibi, cauſſæ non erat. Putaſne aliquid deceſſiſſe, de exiſtimatione tua, quod tibi improbi conuicium faciant? quod inter tot heroas locus inuentus ſit, vbi tu cum illis mimum hunc compleres? quid magis è re noſtra, & te, & me, (qui non poſtremas partes in illa fabula ago,) quam non poſſe ludibrium debere niſi hominibus, qui neque bene viuere, neque bene dicere, neque bene loqui poſſunt? Nam quis barbariſmos, ſolœciſmos, ſtribligines ſtercorearum illarum Lamiarum enumerare poſſit? Saltem ſi ſcribere volebant, Latine ſcriberent; ſi maledicere, portentis mendaciorum abſtinerent. Præterea neminem puto hodie exſtare, qui vel ſtructuram verborum, vel ſenſum aſſequi poſſit. Et tibi dolent barbariſmi & ſolœciſmi? Non, ſi ſapias: non magis quam σκίλλαις τυπτόμενος ille Πᾶν apud Theocritum tuum dolere potuit, qui ligneus erat. Nos qui ſenſu humano præditi ſumus, ea, quæ belluarum ſunt, non magis curare debemus, quam belluas ipſas. Longius progreſſus ſum, quam putabam, & iam iam Vaſſanum abiturientem expecto. Vale. Lugduni Batauorum. IX. Calend. Sextilis Iuliani cIↄ Iↄ CV.

EPISTOLA CXII.

ISACIO CASAVBONO. Quum in poſtremis meis literis, quas Vaſſano minori dedi, non ſatis tẽporis mihi ſupereſſe

eſſe putarem, et ad omnia, quæ in tuis proponebas, re-ſpondere poſſem, tamen plus mihi ſuperfuiſſe ex eo ani-maduerti, quod longiores quam putaram, ad te ſcripſi: ita vt vix reliquum quicquam eſſe putem, quod non à nobis diſcuſſum ſit; de perpetuo illo metu tuo, de do-lore, quem ex Cerbereo libro τῶν θεοκαταράτων ψευδαπο-ςόλων concepiſti, de conſilio migrandi. Ad primum, conſtantia vnicum remedium eſt; ad ſecundum, con-temptus; tertio, tempus, & deliberatio opus eſt. Nemo eſt qui in hac re melius tibi conſilium dare poſſit, quam tu ipſe; qui non ex euentu, (qui ſtultorum magiſter eſt,) ſed ex prouiſo conſilio hæc tēperare potes. De libro au-tem illo, in quo omnibus bonis conuicium fit, non de-bet tibi dolere, quum tot heroes tecum in ea arena cum illis beſtiis pugnent. Neque vero male Amphitheatrum vocarunt, in quo nos homines cum beſtiis pugnamus. Noli putare te defunctum eſſe, ſemel appetitus, iterum & iterum repeteris. Crimen eſt, quod ingenium ha-bes, neque illarum partium es. Nulla propria iniuria à me laceſſiti, vltro mihi bellum indixerunt. ἐρρίφθω κύβος. non quomodo ictus declinem, ſed quomodo feriam, in poſterum mihi ſtatuendum. Omnibus nun-dinis aliquod monſtrum in me Libya pariet. Non magis hoc curare debeo, quam latratus canum Lei-denſium. qui mihi ſomnos excutiunt, mordere au-tem non poſſunt. Videbis quomodo accepi beſtiam il-lam Clauium. Vt nemo eſt cui abſurdiora ſcribere con-tigit; ita nemo fertiliorem, & de audaci inſcitia pœnas ſumendi, & de bonis literis bene promerendi, materiã ſuppeditauit. Omnino in ea gente nihil niſi triuiale hactenus animaduertere potui. Plebi doctiſſimi, mihi ſemidocti videntur. Sed confidentia cum mediocri ſcientia coniuncta, maxima doctrina eſt. Si Maldona-tus viueret, longiorem ex me librum, quam Serrarius,

expreſ-

expreſſiſſet. Sed de his viderit tempus. Et vobis intellexi, mea Publiana excudi. Propterea omnia ad editionem Gruterianam recenſui: quæ duplo maior eſt, quam prior illa Pithœana, qua vſus fui. Pagellas Labbæo noſtro miſſis communicabit tibi. Si quid caſtigandum tibi videbitur, per me facias licet, & vt facias, vltro à te contendo. Melius erat hæc non tentaſſe: ſed quia prior editio à Raphelengiis mihi extorta eſt, iam nullum ius in eam habeo. Ideo malui nouam parare, quam veteri illi inchoatæ locum relinquere. Si quid in Bibliotheca eſt, quod ad τὰ χρονολογούμενα faciat, candidus imperti. Ego iamdudum totum χρυσόκοκκον manu mea deſcripſi. item Vettium Valentem Antiochenſem, quem aliunde nactus ſum. Scriptio illa bonas horas mihi ſuffuratur. Quid faciam? homini pauperi ſatis eſt, ſi aliorum opera carere poſſit. Euſebio adhuc perplurimum ad metas relictum eſt. Vale. Lugdun. Batauorum. IIII. Nonas Sextilis Iuliani. poſt triduum natalis meus LXVI. inibit.

EPISTOLA CXIII.

ISACIO CASAVBONO. Quod te obfirmaueris Loiolitarum ſycophantiis non moueri, gratiſſimum mihi; Noli enim putare te defunctum eſſe. Sat eſt eſſe te doctiſſimum, vt illorum obtrectationibus ſis opportunus. Ego quoque illorum mendaciis occallui; quæ non magis mouent me, quam illos veritas: quæ quotidie falſidica eorum detegit commenta. Crimen eſt aliquid ſcire, ſi non es Loiolitarum partium. Itaque ſolos eos petunt, quos ſuo numero non aggregatos eſſe dolent: hoc eſt, quos in Stygiam Societatem illam cooptari auro contra carum non habeant. Omnes,

non dicam noſtrarum partium, ſed & Pontificii modeſtiores. Tartareum eorum Amphitheatrum deteſtantur: de quo ſatis nuper ad Velſerum noſtrū ſcripſi, qui quamuis illi ordini multum fauet, tamen poſtremis ſuis ad me non obſcure ſignificat, ſe ab eiuſmodi virulentis ſcriptis auerſum eſſe; neq; poſſe ſe probare, quod omnibus bonis diſplicet. Librum הסורים habeo; opus nō vetuſtum, quædam γνωμολογικὰ Iudæorum magiſtrorum continens. Pſeudo-Calliſthenes, puto, idem eſt cum eo libro, quem in calce Georgii Syncelli habeo. Eſt opus fabuloſum. Ab eo non potuit accipere Pſeudogorionides, qui Helleniſmi imperitus erat, ſed à Latino, quod manuſcriptum me aliquando vidiſſe memini: vbi multa quoque in priſtina erant. Me Euſebianorum meorum partem alii typographo excudendam tradidiſſe, alias monui. Tamen omnes in vno ludo docti mihi videntur: & neſcio an ex compacto in vnum ceſſationis votum conſpirarunt. Differor indignatione, quoties recordor cum quo genere hominum mihi negotium eſt. Sed nobis hæc deuoranda. Vale. Nonis Septembris Iuliani cIↄ Iↄ cv.

EPISTOLA CXIV.

ISACIO CASAVBONO. Quum in eo eſſem, vt ad tuas poſtremas ſcriberem, tantæ me circumſtabant occupationes, vt vix reſpirandi ſpatium daretur. Nam non poſſim tibi perſuadere, quam me exercitum habeant homines, qui ſibi reſcribi poſtulant: aliter, ſi ceſſemus, iniuriam ſibi fieri putant. In hoc hominum genere familiam ducunt Germani; quibus ſi non reſpondeam, contemni ſeſe clamant; adeo, vt quidam ex illis vi à me literas expreſſerint. Neque vero hæc ſola occupatio mihi inceſſit, quum per longinquitatem regionum aliquando prolatis rebus ad grauiora me conferre interdum

dum poſſim. Sed difficillimam prouinciam mihi impoſui deſcribendi libros; quorum mihi ad tempus poteſtas facta eſt, Syriacorum, Arabicorum, & Hebraicorum. Ego non exiguam iam partem explicui: quamuis in hac ætate, quæ præter incommoda quæ ſecum adfert, ſtulte facit, quod alia vltro arceſſat. Sed vincam, ſi Deus voluerit, & prodero eis, qui poſt me Bibliotheca mea potientur. Itaque à me noui nihil prodire, neque exſpectari poteſt, quamdiu antiquarii munus fungar. Interea tamen Euſebius noſter duobus Typographiis excuditur. Hoc vnum quotidie ab Opt. Max. Deo ſummopere peto, vt mihi vita ad coronidem operis ipſius benignitate ſuppetat, ne liber meus alio, quam me emendatore in lucem exeat. Quamuis multa Euſebiana noua dabimus, nullius tamen partis amore magis tangor, quam Canonibus meis, qui, vt tibi toties dixi, ſunt anima totius operis & induſtriæ, quam in illo argumento collocauimus. Te à tuis ſtudiis, ad meas nugas conuertiſſe, vt Publiana noſtra emendares, id vero tanti apud me eſt, vt ſatis dignas grates tibi referre non poſſim. Sed vtinam aliquid de optimo genere conuertendi in limine operis poſuiſſes. Quod à ſe ipſo commendari non poterit à tuo labore poſſet. Sed potes adhuc, dum reliqua poemata Græca excudentur, ſi quidem tanti ſunt, vt vllum typographum nanciſci poſſint. Itaque oro te, vt omnia, quæ ex Martiali expreſſa tibi miſit Heinſius, excudantur; idque emendatius, quam Caroniana. Ea cum Notis Publianis iuſtum aliquem libellum conficere poſſint. Infinita Epigrammata Græca noſtra in librorum aliquot commendationem confecimus, quæ non memini: ſed fortaſſe alii meminerint melius. Certe noſter Martialis Græcus, etiamſi non haberet aliud, cur edi deberet, tamen quia tibi dedicatus eſt, eo nomine cariſſimus nobis eſt, qui alioquin noſtros fœ-

tus potius exponere ſolemus, quam tollere. Vettius Valens Aſtrologus, de quo quæris, ſcribebat tempore eodem, quo Ptolemæus, ſub Hadriano, & Antonino, vt eius epochæ teſtantur. Citat aliquot veteres eiuſdem ſtudii homines tam mihi ignotos, quam ipſe eſt. neque enim vllus veterum, qui hodie exſtant, eius meminit. Alius Valens fuit tempore Conſtantini: à quo conſultus de vrbis nouæ Romæ Byzantinæ fato. Sed noſter Vettius, vt vides, longe antiquior eſt. Habet multa quidem vtilia, ſed non pauca circulatricis diuinationis nugatoria. Vtitur etiam in μεθόδῳ ἀπὸ χειρὸς iiſdem anaphoricis rationibus, quibus Manilius; quæ, quia vetuſtiſſimæ ſunt, ideo ab omni natione hodiernorum Aſtrologorum ignorantur, adeo vt illis κορυβαντιᾶν viſus ſim, quum illa præter opinionem illorum in Manilianis noſtris explicauerimus. Quantum eſt omnium aſtrologorum, ne minimam quidem partem illarum diuinare potuiſſent, quæ tamen nobis ἐπιστημονικῶς ex penetralibus vetuſtatis eruenda fuerunt. Certe illorum non eſt Manilium interpretari, neque de motu nugatorio octauæ ſphæræ diſputare. Sed hæc alias opportunius. Nunc narro tibi me in ſummis occupationibus meis hæc raptim ſcribere: à quibus ad Prouerbia Arabica me conferam. Non enim maturius hanc operam tibi dicare poſſum. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Calend. Octobris Iuliani cIↄ Iↄ CV.

EPISTOLA CXV.

ISACIO CASAVBONO. Nemo viuit hodie, qui melius de me meruerit, quam tu. Omitto amorem tuum in me, qui æſtimari non poteſt. De doctrina tua loquor, ex qua quotidie haurio, qui melior & doctior, καὶ κρείτ-

τον

τῶν ἐμαυτοῦ fiam. Alii, qui tua legunt, & admirantur, non ita ὀνασθαι αὐτῶν poſſunt, vt ego. Propterea in beneficiariis tuis primus locum occupaui, & qui de ſcriptis tuis iudicare ſolent, quamuis, vt debent, optime de illis ſentiant, tamen patiantur ſe vinci à me, qui melius, quam vllus eorum te noui, & familiarius tua ſcripta admittor quotidie. Quantum enim me liber tuus de Satyra oblectauerit, quam multa me docuerit, dicerem, niſi modus epiſtolæ me in ordinem redigeret. Omnino totum deuoraui: & nihil in eo deſideraui; niſi quod mecum præclarius ageretur, ſi longior fuiſſet, vt longiore bono fruerer. Itaque nemo eſt, cui in literis plus debeam, quem magis ſuſpicer, in quo bonarum literarum theſauros omnes repoſtos ſciam, quam tu. Quo magis à te exigo, vt in Polybio pergas, quem nemo, præter te, nobis talem dare poteſt, qualem ego exopto. Quia enim totum nobis inuidit iniuria temporum id quod bis relictum eſt, quis melius exornare poſſit, quam tu? Scriptoris illius me ſtudioſum fuiſſe profiteor. Sed quæ ad illum notauimus, in alieno libro repoſita ſunt, & nulla ſpes eſt recipi; & præterea non ſunt tanti, vt aut editionem tuam morari debeant, aut exſpectationi tuæ ſatisfacere. Non ſolum contentus fui lectione libri tui de Satyra, ſed etiam, vt honorem haberem manibus & memoriæ Florentis noſtri, Cyclopem Græcum reuiſi. Quæ olim, quum Geneuæ eſſemus, in ora libri annotauimus: & quæ præterea nunc inter legendum ſuccurrerunt, in ſchedion conieci, vt te non ſolum magiſtrum, ſed etiam cenſorem habeam. Quæ de panicis terroribus ſcribis, non contemnenda ſunt: & de illo programmate iamdudum nuncii meas aures, aut potius animum verberabāt. Expecto quid egerint fugitivarii, quos ad retrahendum programmatis authorem miſſos ſcribis. Hiſtoriam τῶν ἐπαοιδῶν τοῦ γοασυπωνύμου non vidi. Quod

ſi literæ illæ Labbæi interciderint, non mediocrem capio dolorem. Itaque iterum ab ipſo Labbæo idem expecto. nam montes auri non merear, vt illius hiſtoriæ monſtro caream. Serrarius reſpondit; ſcin quam inepte? Ne Amphitheatri quidem illius nugæ ad illas accedunt. inſcitiam magis an ſtultitiam, an pædagogiſmum, incertus ſum. Nunc feruet chronologia. Omnes hoc forum excalfaciunt. Aliquot ſimioli noſtri hoc anno ferias ſuas ediderunt, ἑλικτὰ πάντα κ᾽ οὐδὲν ὑγιές. Solus deſiit nugari, ignoratus hactenus Sethus Caluiſius, homo Germanus, qui accuratiſſimum Chronicon edidit, noſtrarum rationum munimentis inſiſtens, vt ne latum quidem vnguem ab illis diſcedat. Eum librum, propterea quod ad nundinas delatus non eſt, videre non potuiſti. quem vero ego habeo ipſius auctoris liberalitate ad me miſſus eſt, eleganter, vt captus Germanorum eſt, compactus, deauratus, pumicatus. Tamdiu ego miſellus in ſterquilinio delitui, donec repertus eſt iſte bonus & doctus vir, qui rationes noſtras in lucem proferret, earumq; fructum huic ſeculo βαρβαρίζοντι proponeret. Viuet ille liber. Calliſthenem illum nunquam vidi. & quia à Pſeudogurionide citatur, omnino Latinum fuiſſe, non Græcum, quem ille vidit, neceſſe eſt. Nam Græciſmi imperitum eum vincunt ſcripta eius. Iſtiuſmodi ὑποβολιμαίων ſcriptorum monſtra olim fuerunt, in quibus Dares Phrygius, Dictys Cretenſis, qui hodie Latini exſtant. eos etiam Græci habuerunt, quorum fragmenta in Cedreno exſtant. Quid dicas de Epitome Iliados Epica Latina? quam ridicule Pindarum Thebanum proſcripſerunt? Quid Ariſtæus ille, quam antiquus eſt, vt etiam à Ioſepho citetur? quod eſt τῶν ἑλληνιστῶν Ἰουδαίων παρεγχείρημα. Quid Ecatæus de Iudæis, quem ab iiſdem Helleniſtis antiquitus confictum fuiſſe, manifeſto ex Origene colligitur? Quid Pſeudoſibillina oracula, quæ Chriſtiani Gentibus obiicie-

Digitized by Google

obnubilabant, quum tamen è Chriſtianorum officina prodiiſſent, in Gentium autem Bibliothecis non reperirentur? Adeo verbum Dei inefficax eſſe cenſuerunt, vt regnum Chriſti ſine mendaciis promoueri poſſe diffiderent. Atque vtinam illi primi mentiri cœpiſſent. Vale. Lugduni Batauorum. III. Kalendarum Nouembris Iuliani CIↃ IↃ CV.

Ad nouam verſionem Polybii vltro te hortor. Nam illa Muſculi ridicula eſt: Perotti ad quinque libros manca. Aliam non vidi. Iterum vale.

EPISTOLA CXVI.

ISACIO CASAVBONO. Oppreſſit me in iſto momento iſte adoleſcens bonis prognatus, & literis Græcis bene excultus; oppreſſit, inquam, quum eſſet in procinctu, & de profectione ad vos cogitaret. Non potui denegare illi operam, quam pro ſuo in me amore exigebat, vt ſibi literas ad te commendatitias darem. Cauſſas commendationis afferre compendifaciam: quum ſatis tibi acceptum fore ſperem, eum dignum commendatione eſſe, quem tibi commendem. Eius feſtinatio fecit, ne poſſim tuis poſtremis reſpondere; quod propediem maiore cum otio faciam. Ne ipſi quidem Labbæo ſcribo, propter eandem cauſſam. Et ſane miror, quid illo factum ſit, quum ab illo tantum ſemel literas acceperim, ex quo ad Bituriges ſuos profectus eſt. Verſiculos aliquot Manibus Theodori noſtri dabo; quos recta Geneuam curabo. Certe admodum ſterilis poetices noſtræ vena eſt: quæ nunquam adeo fluxit, vt aliorum ſitim explere poſſet. Conabor tamen: & quidem iam confecta res eſſet, niſi nouæ quotidie occupationes ſuboleſcerent, quibus ego me, quantum capiunt vires noſtræ, extricare conor, non tamen ita, vt non pes aliquando

 in la-

in laqueo aut in caſſibus hæreat. Non poſſum tibi reſpondere priuſquam maior otii copia fuerit. Velim ſcire cauſam ſilentii Labbæi. Vale. Lugduni Batauorum. v. Idus Decembris Iuliani cIↃ IↃ CV.

Epistola CXVII.

Isacio Casavbono. Quas poſtremas à te accepi, eæ ad diem vi. Calend. Decembr. datæ erant. Quo magis miror meas tibi redditas non eſſe, quas iam accepiſſe debueras, ſi quidem illi quibus traditæ erant, fidem ſuam, quam nobis obligauerant, liberaſſent. In illis de tuo diuino De Satyra Commentario agebam: & quas potui gratias, tibi reddebam. Quantum fructus & voluptatis ex eius lectione percepiſſem, teſtatus amplius fuiſſem, ſi animi affectum calamus noſter aſſequi potuiſſet. Adiunxeram vna ſchedium emendationum in Cyclopem. Quamuis non admodum tua refert te illa accepiſſe, quia illis carere potes; propter multas tamen cauſſas nolim ea periiſſe. Itaque an acceperis, libenter ex te intellexerim. Quid in penultimis tuis de Balforio Gymnaſiarcha Burdigalenſi velles, & de Cleomede, equidem nondum aſſequi poſſum; niſi fortaſſe aliquid eum in Cleomedem edidiſſe ex eo colligi licet. Nuper tibi Sethi Caluiſii Chronologicon laudaui. Id plane ex rationibus noſtris collectum eſſe, etiam ſi ille bonus & eruditus vir non teſtatus eſſet, tamen res ipſa id palam loquitur. Solum illud eſt, quod poſt tot ſæcula Chronologiæ nomine dignum ſit. Et ſane meret immortalitatem. Nam ita vt volebam, atque adeo vt præceperam, conſtructum eſt. Si dixerim quot homines meum illud opus De Emendatione Temporum ad inſaniam adegerit, & tempus & charta me defecerint. Videbis in meis Canonibus, multa

genera

genere phreneticorum; de quibus melius nunc fuerit tacere, quam loqui. Vnum monſtrum videbis: quale non Iubæ tellus generat. Nunquam ſimilis motio fuit. Quum tuum de Satyra librum accepi, eodem tempore ille liber ex Anglia miſſus eſt. Auctor eſt homo abreptitius Thomas Lydiad, qui aduerſus Ariſtotelem ſcripſit. Non difficile erit tibi perſuadere, eum nō dubitaſſe cum homuncione (vt me vocat ſummus heros Delrio) congredi, qui cum Ariſtotele manum conſeruerit. Oblectauit me hominis noua & inuſitata inſania. Pauca ſane quæ in Canonibus noſtris in eum animaduertimus, non minore lectorem admiratione afficient, quam ipſe me voluptate affecit. De Geographia amici mei, aut Coſmographia, idem potes iudicare, quod de illo, ad quem ſcripſi Elenchum Serrarii. Noli putare quos non odi, eos ſtatim me admirari. Pauci aduertunt mentem meam: ideoque non raro etiam beneuolorum reprehenſiones incurrimus. Ille bonus vir, neq; eo ordine, neq, ſuis locis, vti dictauimus, neque omnia, quæ illi de locis Galliæ reſpondimus retulit. Ad Polybium te conuertiſſe quantum lætatus ſim, alteris literis ſignificaui; &, niſi viderem te ſerio in id incumbere, non dubitarem te iterum ad illud excitare. Quis melius hoc tam arduū munus fungetur quam tu? Puto te vidiſſe omnes varias lectiones Vaticani: ſed, niſi fallor, non aliæ ſunt præter eas, quas Fuluius in Fragmentis appoſuit. Richardus Thomſon noſter quædam ex Italia attulit. eadem eſſe arbitror. Quam multa diuina quæ ad rem militarem pertinent, ad eum ſcriptorem dici poſſunt? Vix tres puto hodie extare in Europa, qui virtutes Polybii digito deſignare poſſint. Felicem illum, qui in tuas manus inciderit. Non enim pædagogorum, qui nullum actuoſæ vitæ vſum; neque Politicorum, qui nullum literarum habent, manibus terendus erat. Ego plane vtriuſque rei imperitiſſimus ſum: ſed ſi vna eſſemus,

ſperarem vtrique muneri aliqua ex parte ſatisfacere. Noli ſequi amici illius noſtri conſilium, qui gloſſas nuper potius, quam Commentarium ad bonum auctorem dedit. Qui nihil præter Gloſſas ad Polybium adferret, quo riſu ab aulicis ſemidoctis exciperetur? Sed ille amicus ex ætatis ſuæ modulo captum ingenii ſui nunc metitur; quod profecto vna cum corpore ſeneſcit. Ego tamen ſeptem annis ſolidis illo grandior hanc parſimoniam non imitatus ſum in meo Euſebio. Quanto enim melius erat non attigiſſe? Si meum opus De temporibus tot homines inſanire coegit, multo inſaniores efficiet meus Euſebius: homo & ipſe, neque mentis, neque ὀρθοδοξίας ſatis compos. Sed περὶ ἀναβολῆς καιρὸς, quod quærebas, eſt, rei in opportunius tempus dilatio. neq; tu vero hæc ignoras. Scribebam hæc fere in tenebris. Itaque hic terminus hæreat. Vale, Cal. Ianuarii Iul. cIɔ Iɔ cvi. De Bezæ Epitaphio iam curatum eſſet, ſi per longam perfrictionem, quæ me per aliquot dies exercitum male habuit, licuiſſet. Iam accepi à Grutero noſtro, horribilem librum in me comparari de genere meo. Scilicet ventilatur Burdonius. Interea dum hæc expectamus, non deſpondebimus animum. Accipe verſus quos tibi mitto; malos quidem illos, ſed quibus meliores non merentur ii, in quos ſcripti ſunt. Poteris amicis impertiri. Neque vlla inuidia eſt. Iterum vale.

Epistola CXVIII.

Isacio Casavbono. Vno die omnes literas tuas accepi. Inerant in illis Arabica quædam Mirelmumnim Regis Maroci, qui ante hos tres annos peſte extinctus eſt; egregii Principis, & Chriſtianorum amici. Illud diploma, præterquam quod litera tum Africana, quæ deterrima omnium, tum curſiua, vt vocant, quæ impeditiſſima

ſimum eſt, deſcriptum eſt, peſſime ab eo qui deſcripſit, repræſentatum eſt. Præterea maior pars verborum eſt ſtilo, vt vocant, Cancellariæ. quem ne nos quidem, vt concipitur ab hominibus noſtratis aut Latinæ linguæ, intelligimus. Videbo tamen, an per mendoſam & implicatam ſcripturam coniectura noſtra viam ſibi expedire poſſit: & quod eruero, vel potius diuinauero, tibi ſignificabo. Memini me idem diploma, hoc eſt, αὐτόγραφον, in manibus Chriſtophori, filii Antonii regis vidiſſe. Habebat & aliud, quod ab eo rogatus illi Gallice interpretatus ſum. Puto exemplum & Arabicorum & noſtræ interpretationis hærere in fundo cuiuſdam ſcrinii. Loiolitæ execrabilem, ſceleratiſſimum, impudentiſſimum librum in me cudunt de fabula Burdonii. Non putant ſe aliter exſaturaturos rabiem ſuam, quam in genus meum mentiendo, poſtquam in me nihil poſſunt: quod certe conarentur ſi eſſem in Gallia. adeo omnia iura iſthic deplorata eſſe audio. ἀλλὰ τῶν δεπέρι πάντα μοι δὲ στομαχείσθω. Te ſerio in Polybio verſari, omnes boni & docti gaudent. Meus Euſebius ſubiectis calcaribus in longiora curricula admittitur, &, vt ſpero, cito metam tanget. Scribo ad Nautonerium. illi, ni graue eſt recte literas noſtras curabis. Puto te poſtremas meas accepiſſe. Adiunxeram aliquot in ſceleſtiſſimum Amphitheatrum Epigrammata. Epicedium Bezæ iamdudum curatum. Puto proxima hebdomade Geneuam perlatum iri. De meo lento nomine, non poſſum quin fatuitatis meæ pœniteat. Quod enim in hominem probum fuiſſet beneficium, id in tenebrionem collatum vertit in ſtultitiam. Ita euentus nos aut ſapientes, aut ſtultos probat. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Video, ne ditiſſimos quidem pauxillorum nummorum iacturam patienter ferre. Mihi vero, omnium pauperrimo, & illud damnum non paucorum nummorum con-

coquen-

coquendum, & præterea ſtultitiæ meæ ſupplicium luendum. Vale. Lugd. Batauor. xv. Cal. Martias cIɔ Iɔcvi.

Epistola CXIX.

ISacio Casavbono. Scito, omnes tuas literas mihi redditas eſſe. Sed ex iis, quas ad diem xiv. Calend. Februar. dediſti, intelligo, nondum te poſtremas meas accepiſſe. Quia vero recte curatæ ſunt, eas nunc tibi redditas eſſe minime dubito. Tuas accepi, quum iam fere menſem ἀνορεξίᾳ, διαῤῥοίᾳ, ſiti, & tuſſi moleſtiſſima pene confectus, propius à meta me abeſſe exiſtimarem. Neque vero falſo hoc arbitrabar: quum corpus, quod nulla alimonia reficitur, tandem exſtingui neceſſe ſit. Nunc Dei Opt. Max. benignitate iam hunc quintum diem faſtidio cibi liberatus, cœpi aliquid ſumere: & cum menſa, quam tot dies aperſatus fui, in gratiam redire, & corpuſculo reficiendo operam dare; quod adeo exhauſtũ eſt, vt his ſcribendis vix ſufficiam. Iſte morbus ſuperioribus menſibus multos male exercuit: omnis quidem ætatis, ſed inprimis ſenes; maiore ſane moleſtia quam periculo. In tanto languore, & virium remiſſione, neque mihi deeſſe volui, neque vt non ad tuas reſponderem, committere. Idque eo libentius, quod nihil mihi iucundius fuit, quam quod ex illis intellexi te ſerio in Polybio tuo verſari. in quo, quanquam non ignoro multa eſſe quæ impetum diligentiæ & induſtriæ tuæ remorentur, ea tamen eiuſmodi eſſe ſcio, vt non alio vindice, quam te, opus habeant. Ac bene ſane cum eo grauiſſimo ſcriptore agitur, qui te talem nactus ſit, & qui eum nouum Latinis hominibus, & Græcis integriorem donare poſſis. Alterutrum præſtare pro dignitate, arduum eſt, vtrumq; nulli, præterquam tibi vni, datum. Hoc vt credam facit hinc

ſumma

ſummo hodie doctorum penuria: hinc tua eximia eruditio. quæ ſola, ne illos prouentus bonorum ingeniorum, quos olim adoleſcentes vidimus, deſideremus, facit. Habes latum campum, in quo de militia Romana ea expromere poſſis, quæ fruſtra ab aliis tentata, ab aliis ne tentata quidem. Franciſcus Patritius ſolus mihi videtur digitum ad fontes intendiſſe: quem ad verbum alii, qui ſtudium tractarunt, quum ſequantur, tamen eius nomen ne ſemel quidem memorarunt. Quod equidem magis miratus ſum in illis, de quorum candore dubitare piaculum eſſe putaſſem. Ego nihil non magnum ex tua illa Polybiana editione exſpecto. Sed te felicem, qui Typographos ad manum habeas. Cum quibus mihi res ſit, iamdudum ex me ſcire potuiſti, quod non ſine ſumma indignatione neque meminiſſe, neque referre poſſum: quorum ignauia iam omnium vota & expectationem conſumpſit, qui quum Euſebiana noſtra videbunt, fortaſſe dixerint *αἰσχρὸν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.* De Marcellini Comitis exemplari, quod penes Frontonem Ducæum eſt, gratiam & tibi & illi habeo. Sed iamdudum ille liber cum Latinis Hieronymi inter noſtra excuſus eſt. Vt non integrum ſit mihi, aliquid emendare, aut apponere. Sequutus ſum editionem Onufrii, quæ longe melior eſt Lutetiana, quæ prima omnium prodiit. Præterea, ego ſolum Chronicon Euſebianum tractaui: reliqua, quæ illud opus continuant, aliis illuſtranda reliqui. Nam mihi cum vno Euſebio res eſt, cum eo manus confero, eius rationes diſcutio, errores & temeritatem caſtigo. Incredibile eſt, quantum ille, prudens imprudens peccauerit. Mirabuntur, qui legent. Indignabuntur, qui hodie nihil profitentur, quam peruerſa defendere, vera euertere, nouos errores veteribus ſuperſtruere. Spero, hoc menſe Maio opus noſtrum prodituram, niſi ſolentes mihi imponant, qui toties meam & aliorum

ſpem

ſpem eluſerunt. De Epiſtola Arabica regis Maroci & Feſſæ ad Antonium, *μινυώριδιον Λυσιτανίας βασιλέα*, iam tibi reſpondi. Miſiſti ad me ex Cimiliarchio nobiliſſimi Bordeſiere tria ἔκτυπα. Omnia ſunt, quæ Arabes vocant طلسمان *Taliſman*, Græci στοιχεῖα, Imagines ad conſtellationes factæ. cuiuſmodi legiſti in tuo Coſmographo Arabe, de iis, qui ad declinandos ictus Scorpionum imagines quaſdam horoſcopante ſigno Scorpionis factas geſtabant. Græci, vt dixi, στοιχεῖα vocant, vt Cedrenus. qui faciunt illa, στοιχειωματικοί, vt Ptolemæo in Carpo, IX. *τὰ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ἀπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. διὰ τοῦτο χρῶνται τούτοις οἱ στοιχειωματικοὶ τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτά,* Vbi conſulendus Aly. qui tamen in meo exemplari Hebraico manuſcripto, non Aly, ſed Abugepher vocatur. Tzetzes in Chiliad. pag. 37. de Apollonio Tyaneo, *τῶν μαρμαρίνων πελαργῶν, ὡς ἔφην, στοιχειώσεις.* nimirum ciconiarum ſimulacra faciunda curauerit, *τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων μετρῶν.* Achmet ὀνειροκρ. σξ. *εἰ δὲ ἴδῃ, ὅτι δακτυλίδιον ἐζωγράφησε, καὶ ἔφερε δόλῳ στοιχειωμάτων.* Quocirca Arabes eiuſmodi vocant مطلسم *Mathalſam*, στοιχειωματικά. qualia multa vidimus prìſca, infimæ vetuſtatis, recentiſſima: & eodem die, quo illa tua accepi, vnum mihi à Marquardo Frehero miſſum eſt, characteribus Arabicis Africanis, cum caniculæ ſidere. Denique nihil tam frequens eſt, quam hæc ἔκτυπα in gemmis incluſa videre, etiam vetuſtiſſima. Ea nemo intelligit, niſi qui facienda curauit. Et fruſtra illis interpretandis opera datur. Quot enim veriſimilia dici poſſunt, quorum nullum mentem eorum aperuerit? Veteres Hæretici, præſertim Valentiniani, & Marcoſiani multa eiuſmodi reliquerunt, quæ hodie in antiquariorum loculis aſſeruantur, cum eorum Deo ΑΒΡΑΞΑΣ. Vnum adhuc puto me habere. Ex eo genere ſunt duo mi-

nuſcula

nuſcula, quæ ad me miſiſti, manuſcriptum eſt Sinarum. Niſi fallor, puto adhuc vnum inter quiſquilias meas latere, ſed charta Sinenſi impreſſum. Et non pauca id genus mercatores harum regionum habent. quæ non curant, ſed illis merces ſuas inuoluunt. Apud Faleſellum medicum Achatem vidi quidem, ſed non eius generis ſculpturæ. Ibi enim nullum *ſοιχεῖον*, ſed Diſtichon Græcum erat, quod Grutero inter veteres inſcriptiones reponendum miſi. Nihil vero me de illo ſcripſiſſe, quod ille nobiliſſ. vir putat, memini. neque ſane opus eſt, quum ſit plana lectio, & puero obuia. De meo ingrato debitore, nolo tibi ipſi moleſtiam crees. Malo à tam impuro nebulone ſolutionem deſperare, quam amicis meis negotium de re, cuius curam pene abieci, faceſſere. Non tamen adeo diues ſum, vt non eam lacunam ſacculus meus ſentiat. Nam ne diuites quidem eam iacturam patienter ferrent. Vale. Lugduni Batauorum. IIII. Eid. Martii Iuliani. clↄ Iↄ cvi.

EPISTOLA CXX.

ISACIO CASAVBONO. Quid ad te ſcribam, equidem neſcio. Scribere tamen volui, quamuis nullo argumento. Defunctus plane ſum langoore, qui diu me obſeſſum tenuit: neque adhuc crura ſuum officium faciunt. Hoc heri in deambulatione pomeridiana expertus ſum. Et fortaſſe fuerit ætatis [illegible], quamuis defatigatio à morbo. Vt vt eſt, vaſa colligenda mihi eſſe video. Et tamen, quod gaudeam, priuſquam ille ſummus Imperator ſignum det, non me hac cuſtodia exceſſurum, quam meus Euſebius ex tortorum & carnificum manibus liber prodeat. Sola enim Prolegomena ſuperſunt. De Lipſii noſtri obitu non poteſt te latere. Primus

ego

ego in Batauis nuncium illum accepi. Negari non poteſt, in illius morte, & literis iacturam & amicis luctum ſummum contigiſſe. Amaui hominem, vt amicum. colui, vt bene de literis meritum. Non dubito eum ſæpe leuitatis pœnituiſſe, quod relictis Batauis, à quibus tanquam numen διοπετὴς colebatur, ſe ad ea loca contuliſſet, vbi alieno arbitrio viuendum illi fuit: quod aliqua tolerabile eſſet, niſi etiam illis, quibus obnoxium ſe fecerat, luſus pilaque fuiſſet. Expertus eſt quam ſæpe homines fallat iudicium ſuum, quum, quod ille ſperabat tantum abeſt vt eo potitus ſit, vt minus, quam ſperabat, conſecutus ſit. Ambitio enim, quæ maxima in eo fuit, ad inſtitutum mutandum impulit hominem. Accedebat importunæ mulierculæ, vxoris eius, ſuperſtitio, quæ ambitione ægrum ſollicitabat animum; neque prius deſtitit, quam ad illas virum partes perduxerit, in quibus neque inuenit, quod, vt dixi, ſperabat, & hominum odium atque inuidiam in ſe concitauit. En quo ambitio amicum illum noſtrum perduxit. Neque ditior neque meliore fama obiit, quam alibi obiiſſet: certe in vtriſque partibus honoratior illi mors in Batauis contigiſſet, qui ne in illis quidem partibus apud omnes bene audiuit. Vale. Lugduni Batauorum. Pridie Eidus Aprilis Iuliani cIↄ Iↄcvi.

Non dubito te meas poſtremas accepiſſe, cum illis quas amico illi noſtro ſcripſi. Libellum eius de Epochis anno iam acceperam. Vis verum dicam? De autore melius quam de opere ſentio, Omnia ridicula, falſa, delira, nugatoria. Vale iterum.

Epistola CXX[illegible]

Isacio Casavbono. Imperaueram mihi, ad te non ſcribere, niſi literas meas vna cum Euſebio noſtro acciperes. Iſte tamē probiſſimus adoleſcens propo-

ſito

ſito meô vim fecit, vt à me literas ad te commendatitias
eliceret. Nolui, neque potui, honeſtiſſimæ eius petitio-
ni aduerſari. Tam dignus eſt commendatione mea, quã
amicitia tua. Sane interfui publicis de iure diſputationi-
bus, in quibus ille tale ſpecimen eruditionis ſuæ edidit,
vt maiori ne voluptati an admirationi mihi fuerit, ne-
ſciam. Niſi ſcirem, tibi caros & acceptiſſimos eſſe, quos
tibi commendo, eum pluribus tibi commendarem. Ha-
be igitur eum in tuis, mea, vel etiam eius cauſa. Euſebio
Prolegomena tantum deſunt, quo minus in lucem ex-
eat. Habebis propediem. Vidiſti in Catalogo nundi-
narum Dæmoniaci Schioppii fœtum de Burdonio?
Loiolitæ ſunt huius Dramatis poetæ, ille hiſtrio. Sed, ſi
neſcis, ille Grammatiſta vapulans; alterum carcinoma
eius, is tu es. Valentiſſimus mirmillo non ſatis habet
cum vno componi. te ſecutorem mihi facit. Is ante ali-
quot annos Deum literarum me nominauit. Nunc ego
deſcendi in cœlum. Hæc patienter feremus, ſi contem-
namus. Nullam iniuriam à me in ſe profectam prætexe-
re poteſt: à te laceſſitum queritur. Sed mi Caſaubone, ſi-
ne hæc aures tuas, oculos, animum præterfluere. Loio-
litæ cur in nos hunc nebulonem apoſtatam ſuborna-
rent, nullam cauſam habent, quam quod tu ingenium
habes, me autem habere putant. Quid; quod audio, il-
lum de eo piſtrino Burdigalenſem, quem tu probum eſ-
ſe ſemel ad me ſcripſiſti, in me neſcio quæ συῤῥάπτειν. Ego
probe illum accipiam; vt hominem illius ordinis, & pi-
ſtrini. Tu interea perfer, obdura: à me ſane bene ſuſten-
tabitur. Vale. Lugd. Batauor. XIII. Kalend. Iunij
Iuliani cIↄ Iↄ. CVI. De poſtremis ad te
literis, nihil mihi ſcripſiſti;
quod miror.

EPISTOLA CXXII.

ISACIO CASAVBONO. Quantum video, fruſtra te hic expectamus: quem cum legatis huc aduenturum omnes prædicabant. Quas moleſtias mihi attulerit migratio in has ædes, quas nunc habeo, ſcriberem, niſi vererer non minus tibi moleſtum fore eas legere, quam mihi fuit, eas pertuliſſe. Primum exponenda eſſet pompa ſarcinarum Vacertæ, ſeries longiſſima rerum. deinde denunciatio noui operis domino ædium harum, niſi patienter ferre vellem Bibliothecam meam perire: ita, tanquam vas rimoſum, tota domus perpluebat. Ante hos quadraginta dies nullum habui à curis domeſticis tempus vacuum. Quod reliquum fuit, totum recenſendæ Bibliothecæ dedi. Ex qua aliquid deſideratum iri in tanto librorum numero, & tanta rerum perturbatione, magna mihi formido inceſſerat: & certe in eo timore diu me confirmauit difficultas, vel deſperatio inueniendi ea quæ omnia ſuſque deque molienti non occurrebant. Satis enim periiſſe putabam, quæ toties quæſita non comparebant. Tandem Dei benignitate, nihil eſt quod querar, præter longum quęrendi laborem. Nunc quid agam neſcio. Nondũ enim plane conquieuit animus ab illis fluctibus. Incidit in manus meas ſceleſtum opus Apoſtatæ Schioppij aduerſus gentem noſtram. in quo paraſitus ille Cardinalitius à pluſquam quinquaginta Sodomitis adiutus eſt, qui in illam conuiciorum cloacam operas contulerunt. Cardinales, quorum baſcaudas lingit, ad illud nefarium inceptũ hominem perpulerunt. Vnus ex illis Annalium conditor, de Peronato natus patre; alter agyrta aulę Gallicanę, qui mulieribus aulicis, quoties ſui admirationẽ mouere vellet, diſputationes de ente, de æſtu maris, de calido & frigido

gido habere ſolebat. Nam ſatis commendatur, quod aulicis, & præſertim mulieribus, placet. Alii præterea galerati, vna nocturna Vaticana pluuia, tanquam fungi nati, famelicum tenebrionem è patinis culinarum ſuarum ad id incenderunt. Si nondum vidiſti, ingens operis moles eſt; neque mirum, tot nebulonum centonibus farcta. An tantus futurus ſit ille liber, quem in te promittit, & qui, vt audio, adhuc ſub prælo eſt, neſcio. Hoc vnum ſcio, eoſdem ὑποβολεῖς illius dramatis eſſe. purpuratas laruas illas dico. Eadem igitur, vt video; inuidia ego & tu flagramus. Sed profecto facile illa mendacia eludemus, ſi reſpirare datur. Serrarius, Loioliticus magiſtellus, cui nihil tam dolet, quam hactenus ſe non potuiſſe perſuadere cuiquam docto ſe Hebraice ſcire, aliquid cornicatus eſt in noſtra Euſebiana, de ſucceſſione Herodiadarum. & mirum in modum æſtuat, vt probet patres melius genus Herodis ſciuiſſe quam Ioſephum. Tanta eſt impudentia aſini. An è dignitate mea ſit, aut è republica literaria, illi reſpondere, nondũ conſtitui. Nam magna iactura temporis fuerit ad omnes canum latratus conſiſtere, & iter inceptum toties morari. Lipſium à me laudatum fuiſſe, aliquos ægre laturos tam mihi conſtabat, dum illos verſus ſcriberem, quam re ipſa expertus ſum, poſtquam literas Labbæi legimus. Miror iudicia hominum, ne quid aſperius dicam, qui me puerum putant; & minimo minus tutores eſſe volunt. Neſciunt, neſciunt mi Caſaubone, quare id à me factum ſit: Quod ſi ſcirent, neque tam puerum me eſſe putarent, vt ita de me iudicarent, neq; tanta animi conſtantia eſſent, vt hoc mihi obiicere auderent. Hoc debebant cogitare, quod hominem laudarim, multas eaſque iuſtiſſimas cauſas fuiſſe; neq; tam temerariũ fuiſſe, vt ſi qua infamia in laudando Lipſio in me redundaret, me illam aleam ſubiiſſe, quã tacendo declinare poterã.

Sed nemo ſcit cauſas huius ſcriptionis. Non placet mihi hæc κακοήθεια. Talium conſultorum opus non habeo. Gratias ago Frontoni noſtro de Notis Marcellini. Cæteras expecto. Vale. Lugd. Batauorum, vi. Kalend. Iunias cIↄ Iↄ cvi.

EPISTOLA CXXIII.

ISACIO CASAVBONO. Vix tandem Euſebius noſter ad vos venit. Poſtquam colluctatus ſum cum mendis codicum, cum Chronologiæ deprauatoribus, poſtea manus conſerenda fuit cum ignauiſſimis operis typographorum: à quibus iſte fœtus noſter detentus, vix in lucem exiturus videbatur; niſi partem operis alii excudendam tradidiſſem. Tam illi, quam iſte, tirones in his rebus, qui non niſi parua dicta excudere ſolebant, tot mendis hanc editionem deformarunt; vt non quantum laborauerim, ſed quantum pudere me oporteat, meminiſſe debeam. Spero tamen æquiores lectores boni omnia conſulturos: præſertim quum mendæ eiuſmodi ſint, vt vel à pueris caſtigari poſſint. Abunde laborum meorum fructum percepero, ſi tibi, quicquid eſt eius laboris, probare poſſim. Nam pauci ſunt qui tua capere poſſint, propter eximiam eruditionem. & mea, quod noua ea ſunt: & ideo, prius ad illa ſtupent, quam eorum amore capiantur. Iam ita hanc fornacem excalfecimus, vt in Germania multi fabri extiterint, qui aliquid in ratione temporum cudere conantur. Alios ambitio, alios obtrectatio, alios amor veri ducit. Quotidie offertur mihi aliquod monſtrum Chronologicũ, quod profligare debeam. Facio, & vt ad phreneticos eiuſmodi argumenti auctores mittantur. ſeduloi d operando. His etiam diebus præteritis cuiuſdam Theologaſtri Chronolo-

nologiam propheticam condigne excepi. Nunquam eiuſmodi Scarabeos amitto, quin doctior euadã. Semper enim ex illis velitationibus veritas occultarum rerum emicare ſolet, de quibus nunquam antehac mihi in mentem venerat. Et certe vbi verum πρόβλημα proponas, quæ ex illo pendent, vera quoque eſſe neceſſe eſt, & contra. Cæterum qualecumque eſt quod damus, meum non eſt iudicare, quo loco futurum ſit apud bonos maloſque. Hoc vnum ſcio, magnum inuidiæ incendium mihi ex hoc imminere, tam ex Loiolitis, quod non mirabor, quam à noſtris: quia (quod vix credere poſſis) plus nobis metuendũ eſt à lolio, quod ſuccreſcit ſegetibus noſtris, quam ab incendio, quod hoſtes veritatis frugibus noſtris minantur. Nam à nobis prodierunt prophetæ & καθαροὶ: quod genus hominum cuiuſmodi ſit, ex Prolegomenis in Canones Iſagogicos diſcere poteris. Tuam epiſtolã Gregorii Nyſſeni nudiustertius accepi. Legi quæ potui, antequam compactori mitterem. Noli expectare quid de tuis in illam Notis ſentiam, quandoquidem ſemper tibi ſimilis es: neque de hoc opuſculo aliter, quam de omnibus maioribus fœtibus tuis pronuntiare debeo. Cras puto compactam illam recipiam, & totam deuorabo. Vale. Lugduni Batauorum. III. Non Quintil. Iuliani CIↃ IↃ CVI. Poſtquam hæc ſcripſiſſem, Albatenium vna cum literis tuis accepi. Inerat vna libellus Capelli de nummis, ſed imperfectus. Deeſt enim quaternio M totus. Curabis illi quas ad eum ſcribo: ita rogo te, ita fac amabo. Tyrius Maximus Heinſii prodibit his nundinis. Iterum vale.

EPISTOLA CXXIV.

ISACIO CASAVBONO. Si ventus proſecutus eſt vota noſtra, iamdudum Euſebius noſter ad vos peruenire potuit. Ante quadraginta enim amplius dies res curata eſt à nobis. Offendent te errores typographici: quorum ſeges tanta eſt, vt non ſolum eorum me pudeat, ſed etiam quicquid operæ poſuerim, eius me pœniteat. Qui norunt eos, qui excuderunt, tantum abeſt, vt errata illa mihi obiiciant, vt potius mirentur & frequentiora & grauiora admiſſa non eſſe. Quum illud genus hominũ conſidero, mihi ignoſco: quũ ad librum meum me confero, ad metalla damnatus mihi videor. Sed & tu & boni omnes excuſabitis, &, vt ſpero, calamitatem potius, quam culpam, hoc, quicquid eſt, vocabitis. Si qua noſtra culpa eſt, in alteram editionem exoneramus. Hoc vnum nos conſolatur, quod non eiuſmodi ſint ii errores, vt nõ tiro emendare poſſit. Accepi ſolutionem mali nominis mei, ſi modo illius eſt. Suſpicor neſcio quid fraudis officioſæ, qua me optimus Thuanus magis onerauit quam illum nebulonem liberauit: qui ſi ἰυγνώμων fuiſſet, facile decidiſſet mecum ea ſumma quam mihi debebat. Sin autem officio iudicis mihi ſatisfacere coactus eſſet, fere ad duplum res redierat. Itaque ſi à volente ſolutum eſt, nimium accepi; & id eſt, quod ſuſpectum omne negotium facit. Itaq; oro te, quicquid huius eſt, ne me id diu ignorare patiaris. Nã quamuis non ita in lauta re ſumus, vt vel pauxillum contemnere poſſimus, tamẽ ſi alia via, ac oportuit, æs illud ſolutum eſt, certum eſt omne reddere. Decreueram enim altero tanto, quantum mihi debetur, ingrati nebulonis ἀγνωμοσύνην caſtigare potius quã ſcelus tam inſigne inultum paterer. Sed, amabo, noli nos cælare quicquid eſt. Tuas in Epiſtolam Nyſſeni Notas maxime probamus. neque in te laudando parci eſſe poſſu-

poſſumus, quandoquidem tu non es in nos docendo. Cauſam obtrectationis in nos, & in te, quam ad te ſcripſit medicus ille, quum de Apoſtata Schoppio verba faceret, non ſolum veram eſſe ſcimus, ſed etiam nullam vnquam, præter hanc, eſſe credidi. Vtinam dignus ſim odio improborum: & vere ſim is, quem me ſuſpicantur, vt propterea odium eorum meruerim. Sed audi. Eſt inter Apiculas patris mei, Ecloga, cuius lemma, *Mala relata gratia.* Si tibi vacat eam legere, videbis me infelicitatis paternæ hæredem eſſe, qui virtutum eſſe non potui. Nam nemo viuit hodie qui infelicius beneficia ſua contulerit quam ego. Taceo impudentem illum debitorem meum, quem creditorum manibus violentis eripui. Eſt quidam Romæ, à cuius latere Apoſtata non diſcedit. Poſt parentes nemini plus debet, quam mihi. Diu eſt, quum odium in me ita diſſimulare non poſſit, vt obtrectationibus illud non prodat, poſtquam ſe ad familiaritatem Loiolitarum applicuit. Is ſi non conſilium huius flagitioſi incepti Apoſtatæ dedit, at animum ad male merendum de homine addidit, de quo quid queri poſſit, non habet. Is ſi non eſt, inquam, aut auctor huius rei, aut impulſor, aut hortator, valde me fallit iudicium meum. Quod enim prohibere poterat, & inſanum hominem ab incepto deterrere, quia id non fecerit, id mihi ſatis cauſæ videtur, cur horum omnium culpam in eum conferam. Abſtineo tamen calamum à nomine eius tantiſper, dum certior fiam, vera an falſa ſit ſuſpicio mea. Atque vtinam falſa ſit! Nam quem inſanum in modum amaui, ne nunc quidem facere poſſum, vt in eum animum meum mutem. Quod ſi ita eſt, vt ſuſpicor, id poterit inter illuſtria ingrati animi exempla poni. Vale. Lugduni Batauorum. cIↃ IↃ C V I.
XVIII. Kalend. Septembris
Iuliani.

EPISTOLA CXXV.

ISACIO CASAVBONO. Quum ante tres menſes exemplaria Euſebiana ad ampliſſimum Thuanum miſerim, neque tamen vobis reddita eſſe adhuc, ex literis, quas heri accepi à te, intellexerim, moræ illius cauſam vnicam puto ventos aduerſos, qui per tres menſes continuos flarunt. Nunc quominus illos libros acceperitis, cauſæ non eſt, niſi aliquod vitium per negligentiam eorum interuenerit, quibus hoc negotium mandauimus. Nam hic probe curatum eſt. Rhotomagi fortaſſe, quo exemplaria deſtinauimus, potuit aliqua ceſſari. Sed tamen nulla poteſt tanta culpa eorum eſſe, vt non ſaltem, quum hæc ſcriberem, libri in manus veſtras peruenerint. Literas adhibui, quæ longo interuallo ſarcinam librorum ante nectunt. Illis alteras poſtea adiunxi: heri tertio alias. Itaque conſtat mihi ratio officii mei, ne fortaſſe per obliuionem aut occupationes meas vllam partem illius neglectam putes. Libellum Capelli De re nummaria fruſtra ad te ſcripſi mancum eſſe. Quod enim folium deſiderare videbatur, id alii inſertum hactenus latuerat. Bonum virum eſſe non dubito; induſtrium etiam ex eius ſcriptis probare poſſum: ſed tamen tam in hoc ſtudio, quam in Chronologicis eum falli, mei & illius non parui refert eũ monere: mei, quod nolim eum in errore diu verſari; illius, quod monitus meliora præſtare poſſit: ſed fiet, quum per illum, & quidẽ cum bona gratia, hoc facere licebit. Iterum tibi nuncio, teque obteſtor, ne errorum typographicorum in Euſebio meo prius rationem habueris, quam reputaueris tecum, mihi rem cum eiuſmodi hominibus fuiſſe, qui tirocinium ſuum in meo opere fecerint. quod aliquando puto me tibi ſcripſiſſe. Nautonerio alias ſcribam; nunc non vacat: &

cat: & prætereas libros, non epiſtolas ſcribit. Denique ſcribit tantum quid faciat, non quid reſpondere debeam. Doleo te à complexibus Muſarum tuarum auelli, propter luem, quam iſthic graſſari antea à mercatoribus acceperamus. Oro te, ne prius redeundi tibi volūtas inceſſerit, quam in vrbe tuto & ſine ſuſpicione peſtilentis afflatus verſari poſſis. In tā negotioſa vrbe, tanta fæce populi, tam cœnoſis & inquinatis plateis, difficile eſt contractam labem non diutius hærere. Nobis tui maior cura eſt, quam noſtri. Nam nos, quo magis ſenes, vt ille ait, eo magis bullæ ſumus. Tu in ipſo ſtatu & vigore ingenii es, vt nunquam magis opera tua neceſſaria Reipublicæ, quam nunc. Faxit Deus, ne illa lues ad tractus, in quos diuertiſtis, perueniat. Vale. Lugduni Batauorum. prid. Eid. Septemb. Iuliani cIↄ Iↄ c vi.

Epistola CXXVI.

Isacio Casavbono. Quid agas in illo ſeceſſu tuo, ſcire aueo. Ego, ex quo illuc te recepiſti, nihil literarum à te accepi. Scio te iam Euſebium meum accepiſſe. Portenta mendarum, quæ typographorum partim incuria, partim improbitate commiſſa ſunt, oro excuſes, tantiſper dum aliam meliorem aut auctiorem editionem adorno. Si quid habes χρονολογικὸν, quod in Bibliotheca lateat, impertire nobis, etiam ſi inepta iudicaris. Nam illi μοναχικοὶ libri aliquando ex probis teſſellis pauimenta ſua adornare ſolent. Amphitheatrum Horroris prodiit quidem, ſed nondum mihi viſum. Non narrabo tibi quæ monſtra contumeliarum in te, optimum parentem meum, me, & omnes bonos latrina illa Loiolitica vomuit. Sed hæc, ſi ſapimus, non faciemus vnius aſſis. quandoquidem tametſi Loiolitis probantur, multi tamen Loiolitici ea deteſtan-

tur. Scribo ad te raptim, quum iſte Aquitanus in procinctu eſſet, neque me diſceſſus ſui monuerit. Vale. Lugd. Batauorum. Kal. Nouembris Iuliani cIↄIↄc.vi.

EPISTOLA CXXVII.

ISACIO CASAVBONO. Binas à te accepi; ſed quod ſolet ὕστερον πρότερον. In poſterioribus quas priores accepi, in procinctu te eſſe ſcribebas, & profectionem ad matrem inſtituere. Sonticã cauſſam eſſe oportet, quæ te tam alieno tempore anni, tam ſpurcis tempeſtatibus illud iter capeſſere cogit. Sed propter matrẽ nulla non poteſt iuſta cauſſa eſſe. Mallem tamen clementiore cælo illud iter inſtituiſſes. Ideo incertus ſum, an hæ, quas Lutetiam ad te mitto, ibi te inuenient: quod vt deſperem, facit epiſtola tua, quæ tantum ante hos XVII. dies ſcripta fuit. Nam quas ante VIII dies dedi, quin Lutetiam peruenerint iam, non dubito. Ex quo peſtis te ex vrbe ſummouit, nihil literarum à te accepi. Sed iſtæ binæ, quæ modo mihi redditæ ſunt, nõ patiuntur me de ceſſatione tua queri. quum in illis non ſolum diligẽtiæ tuæ ampliſſimum teſtimonium edideris, ſed & omnes affectuum habenas effuderis. Vt me & Euſebium meum illis laudibus affeceris, quibus tam illud opus, quam me, indignum eſſe ſentio: quum Euſebius magis laudatore Caſaubono, quam editore ſuo, gloriari poſſit: cui duo maxime optanda fuerant, vt magnorum virorum laudatione dignus eſſet, & purior à typographorum ſordibus ad eos perueniret. Et, amabo, quid in hac ætate boni promittere poſſum? quid potui in iuuentute? qui neque ingenio, neque inſtitutione ad ea peruenire potui, quæ qui adeptus eſt, tum vere ſe illis laudibus dignum eſſe agnoſcere poſſit, qua-

tum inuidiæ vereor vt par ſim. Certe ſi earum minima aura Loiolitarum aures verberauerit, ſatis argumenti fuerit, ad tertium tomum ſceleſtiſſimo Amphitheatro accudendum. Nihil enim eos magis vrit, quam ſi quem ab aliis laudari vident, qui illis odio propter virtutem ſit. Et, ne longius diſcedam, audio illos θεοκαταράτους in illa Sycophantiarum latrina, Sethum Caluiſium meretriciis & Loioliticis conuiciis excepiſſe, quod me laudarit, quod meam doctrinam in ratione temporum ſecutus ſit. Nondum enim illum Tartareum fœtum videre contigit. Expectamus autem in diem. Iam pro patre meo, pro te & me Apologiæ diuinæ paratæ ſunt ab amico noſtro. Cauſſam, quæ moram obiecerit editioni impuri Schioppii, vix tandem mihi aperuit Labbæus. Nam tempore nundinarum XXII folia iam edita erant: & puto ad calcem perductam. Omnino qualubet eſſe notus optat: & quidem erit. quandoquidem Rittershuſii hoſpitis ſui nummorum ac librorum fur recta Romam ſe contulerit; vt non prius ἀποστάτης, quam fur dici poſſet. Sed de his poſtea amplius. Quid vero agam, noli quærere. quum me non ſolum laborum meorum, ſed etiam vitæ tædeat. Tamen obduro, & quæ in publicum edidi, recenſeo, vt à mendarum typographicarum ſegete repurgem. præſertim meos Canones, qui ita male à typographo accepti ſunt, vt nō prius conquieſcam, quam meliores, emendatiores, & auctiores dem. De Tacticis, quis fabulæ auctor ſit, neſcio. Hoc vnum te ſcire velim, in ſomnis id illi oblatum eſſe. Fortaſſe ex eo hariolati ſunt, quod quædam τακτικῶν ἀποσπασμάτια penes me eſſe ſciunt. Ego, mi Caſaubone, memini me ſenem eſſe, neque quicquam magis metuo, quam ne in curſu ilia ducam. An aliquid dignum expectatione à me prodierit, viderint alii. Ego ſcio, mihi ſatis inuidiæ paratum eſſe, vt eo à nouis inceptis deterreri de-

beam.

beam. Et quia vtplurimum nos ſenes ſuſpicaces ſumus, nulla hora mihi labitur ſine expectatione viciſſitudinis rerum & mutationis huius ſtatus; qui, ne quid diſſimulem, filo pendet. adeo abhorret ac mutat ab illa felicitate, in qua ego eum deprehẽdi, quum in has regiones veni. Hac æſtate, ac ſuperiore, quantam laudis materiam hoſti, quantum nobis infamiæ parauerimus, notius eſt, quam vt tibi pluribus probem. Ideo tædio tam ſtudiorum meorum, quam præſentis ſtatus, nihil magis optarim, quam ignobile otium, cuius copia non defutura erat in agello meo, niſi οἱ θεοστυγεῖς ibi ſedes abhinc XXII annis fixiſſent, in quibus eas radices in illo tractu Aquitaniæ egerunt, vt facilius ſit ſolum ipſum, quam eos inde euelli. Deus Opt. Max. miſericors & iuſtus, non ſemel ex ſummis difficultatibus me eripuit, quum per ætatem poteram mihi conſulere & rebus meis. Quo magis confido, in hac ſenectute eum magis mei miſertum iri. Sene vago, etiam diuite, quid magis ridiculum? quid paupere miſerius? Omnis mea ſpes in eius exhauſta bonitate repoſita eſt. Vltima eſt illa conſolatio, ſed miſerrima, quod ſi qua futura eſt calamitas, eo breuior erit, quo propius à morte abſum. Soli ſenes in miſeriis hac ſola ſpe ſuſtentare ſe poſſunt. Certe diu eſt quum mihi nullus dies ſincerus præterit. Adeo mihi illa obiicio interdiu, quæ noctu per inſomnium & vigilias mente volutaui. Sed dices, vitium eſſe ætatis, Vtor ſane illo: & tamen non minimam partem ſibi vindicat etiam vitium ſæculi. Ἀλλ' ὁ θεὸς ἡμῶν βέλτιον βουλεύσεται. Vale. XVIII Kalend. Decembris Iuliani

cIↄIↄCVI.

EPI-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

EPISTOLA CXXVIII.

ISACIO CASAVBONO. Omne argumentum ſcribendi exhauſero, poſtquam à me intellexeris, me tuas accepiſſe, quibus ſignificabas meas tibi redditas fuiſſe. Noui quid ſcribam, equidem nihil habeo. Quo in ſtatu res hic ſint, melius poſſem exponere poſt duos menſes, quia, vt humores in corporibus vere ineunte mutare ſolent, ita animi hominum tunc pro rebus ipſis conſilia captabunt. Omnino res in ancipiti eſt: & bene: quod nondum in præcipiti. Ille, cui has dedi, repentinam profectionem ſuam mihi indicauit. Nolui committere, vt ſi non longas, aliquas tamen literas ad te non darem. Quum hæc ſcriberem, magna in ſolicitudine eram, quod ex his ædibus, quas decennium ſolidum inquilinus habui, migrare cogor. Emacitatis morbus cerebris hominum vſque adeo inceſſit, vt Veios nobis migrandum ſit, ſi omnes ædes extrariis vendantur, vt iam hic vulgo fit. Rideres ſolicitudinem meam, ſi ſcires. Bona fide tibi narro; nunquam tantam inſaniam emendi hominum animos occupaſſe. Et iam Leyda, non Academia, ſed officina aut proſeucha Iudæorum erit. Sed alias expecta à me longiores. Nunc neque quid ſcribam, neque, ſi velim, quo modo ſcribam, ſcio. Vale. Lugd. Batauorum VI. Kal. Februarii CIƆ IƆ C VII.

EPISTOLA CXXIX.

ISACIO CASAVBONO. Vnas tantum literas, ex quo Lutetiam à matre te recepiſti, accepi. Do veniam occupationibus tuis. Ego quoque, propter imminentē mercatorum profectionem, ſcriptione nunc obruor literarum. Nam vt victoria illius Imperatoris denunciabat cædem βοσὶ λευκοῖς, ita aduentus nundinarum

Fran-

Francofurtenſium nihil quam occupationes mihi indicunt. Sed ſcin quas? Eiuſmodi, vt malim iuſti operis ſcriptionem ſuſcipere, quam tam multiplici literarum ſiluæ operam dare, tam ineptis epiſtolis bonorum alioqui virorum reſpondere. Beant nos denique, qui noſtro iniuſſu, nobis inſciis, epiſtolas noſtras, verſus, nugas; omnia trunca, mendoſa edunt. Quid faciam? parendum, etiam inuito genio meo. Audiuiſti, puto, cauſſam Cerberi Apoſtatæ, cur in nos illud virus euomuerit. Aiebat me in quadam ad te epiſtola ſibi obtrectaſſe: Eo ſe vltum priuatas ſimultates iuiſſe. Nunc aliud cantat: Nō ſibi, ſed nouo illuſtri Galerato maledixiſſe, ad cuius culinam frequentior eſt, quam bonus miles ad ſigna. Illū nouum purpuratum quem deſignem, te non latet, cum quo res tibi fuit. Ego ſane nihil tale vnquam à me profectum memini. Sed tamen illam epiſtolam aiunt à te amicis communicatam; in Germaniam, & inde Romam perlatam, atque adeo à multis viſam, lectam, deſcriptā. Certe aut ego valde ſenex ſum, id eſt ἐπιλήσμων, aut nihil omnino tale ſcripſi. Ambo tamen damus pœnas, vel παῤῥησίας noſtrę, vel συκοφαντίας alienæ. Vide quos ad lectionem noſtrarum literarum admittas. Nam multi φίλοι ἄφιλοι. Scire tamen aueo, an iuſta cauſſa ſit, quare in nos hæc cudatur faba. Quicquid eſt, bene Apoſtatæ cum Apoſtata conuenit: neque mirum ſi mutuas operas tradunt: ὁ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν ἱζάνει. Quum commodo tuo fieri poterit, oro te, ne pigeat inſpicere, an quid in Bibliotheca adhuc lateat, ex quo ornamentum aliquod ſecundæ editioni Euſebianæ accedat. Nam quis putaſſet aureum illud ὀλυμπιονικῶν fragmentum tamdiu oculos tot περιέργων hominum fugiſſe? Quis ſcit, an ſimile, vel potius maius ibidem lateat? Videris oro; & noſtra ſtudia, vt iam feciſti, iuueris. Vale. Lugduni Batauorum IIII. Kal. Martii cIↄ Iↄ cVII.

EPI-

EPISTOLA CXXX.

ISACIO CASAVBONO. Tuas literas modo accepi,& quidem occupatiſſimus. Breui iterum ſcribam. Mitto ad te Epicedia in Lipſium, dono Heinſii. qui & maxima pars eſt poëtarum, qui contulerunt operas, & cuius diuina eſt illa præfatiuncula. Tota ſocietas Loiolitarum talem præſtare non poſſet. Poſtquam in alias ædes migrauero, dabo operam Commentariis patris in περὶ ζώων ἱστορίας. Interea oro te, ſi potes, aut tu, aut amici tui, à Frontone Ducæo impetrare Varias Lectiones Marcellini Comitis, vt ſtatim mihi mittas. Paucæ illæ, quas ab eo accepi, à reliquo quid ſperare debeam, ſatis indicio ſunt. Valde enim bonas expertus ſum. De iuuene Diuionenſi, qui eſt Heidelbergæ, nihil audiui: ſed Epigrammata illa αἰσχρολογίας accepturum à Grutero me confido. Iam enim quædam ad me miſit; longe optima ex alio ſcriptore, Stratone Sardiano. De hoc alias. Potes adhuc, ſi commodum tibi eſt, ſcire, an in veſtra Bibliotheca aliquid lateat, quod in ſecundam Euſebii noſtri editionem coniicere poſſim. Idem Grutero ſcribo. Non piget mendicare. Pauper enim & ab ingenio & ab opibus omnibus natus ſum. Itaque vt paupertas, ita & impudentia petendi nobis familiaris eſt. Poſt biduum mittam ad te Elenchum in Pareum. Vale. Lugduni Batauorum. XI. Martii cIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA CXXXI.

ISACIO CASAVBONO. Binas intra biduum à te accepi, ὕστερον πρότερον, priores poſterius. Aliter iſtis cōtinget, quas vna cum reliquis, quas pridem ad te ſcripſi, vna opera tunc accipies, quum per cæli furorem æquinoctia-

amiſimus, Buzenualium, Vertunianum, alios: quos antecedere potius, quam ſequi debebam. Quod vero quæ, vt tibi perſuaſum eſt, de re nummaria ſcripſi, mitti tibi poſtulas; ego ſane non morarer deſiderium tuum, ſiquidem tale à me ſcriptum eſſet. Sed neque ego vnquam habui in animo opus iuſtum de ea re edere; neque ſi quid priuatim mihi ſoli notaui, id aut in operis formam digeſſi, aut ſi digeſſiſſem, in publicum exire paterer. Nam quid eius argumenti intactum reliquerunt docti viri? in quibus tres regnum obtinent, Budæus, Georgius, Agricola, & Franciſcus Hottomannus. Itaque recoquere ea, quum iam omnia ab illis occupata ſint, neſcio hoc fuerit iniuriam illis facere, an me illudendum propinare. Scripſi equidem quædam, quo um ne ipſis quidem in mentem venit: ſed quæ origines potius quaſdam, quam rem nummariam illuſtrant. In quibus & non pauci veterum Scriptorum loci emendantur, explicantur, & cum aliis comparantur. Quod ſi tanti eſſent illa, vt curis tuis digna cenſeres, non grauarer deſcribere, aut de illis ſaltem quæ meliora viderentur delibare. quæ quum tam pauca ſint, vt vix iuſtæ diatribæ modum impleant, non video quare illa mittere debeam. Mihi illa ſcripſi, non aliis, nedum tibi, tan o viro, qui meliora nos docere potes. In extrema epiſtola tua de Arabicorum nominum Orthographia addis, literis Iudaicis concepta. Ego ita ſcripſi, vt extat in Chronico Abraham Zacuthi, qui ea nomina Turcico more deſcripſit. Quantum Iudæorum ſcripta Arabica & Perſica imponere tironibus poſſint, ego quotidie, qui tot ſcripta eius gentis legi, experior, in literis præſertim خ & غ, quæ ipſi ſemper ſuis ך & כ exprimere ſolent; neque vnquam Arabica niſi literis ſuis ſcribunt. Inde factum, vt multa perperam ſcribant, & interpretentur. Certe Rabbi Dauid Kimhi

verbum Arabicum כפר putauit bene ſcribi, quum tamen Arabice aliud ſit كسر, aliud خسر. In Perſicis crebrior eſt abuſus ille. Sed his locus hic non erat. In Catalogo Nundinarum nulla ſcripti Schoppiani aduerſus te extat mentio: neque puto prodiiſſe. Plurimi Germani ad me indignationis ſuæ teſtimonia aduerſus illud monſtrum miſerunt. Didici tenebrionem illum vulgo & ex ſcorto militari conceptum: Sororem ita à matre inſtitutam, eodem quæſtu vitam tolerare. Furta & rapinas ipſius Schoppii, ſcelus & aduerſus hominem optimum Rittershuſium hoſpitem ſuum ingrata facta, publicaturi ſunt ipſi, qui de his ad nos ſcripſerunt, Germani. Nos omnia expectamus, vt hoc tectorio Satyra, quæ in eum paratur, incruſtetur. Non putaram tot φιλοσκαλαύκς in Germania eſſe. Et certe non deerunt, qui iniuriam Manibus parentis mei factam vlturi ſunt. Ter accepi literas Verona; vnde bonorum iſtic virorum iuſtam aduerſus hunc Cerberum indignationem intellexi. Scribunt à purpuratis ſubornatum. Quorum ſignifer iam in Galliam quum hæc ſcriberem redibat. Tu, ſi ſapis, ab eo caue. Nam qui in Deum perfidus fuit, quid faciet tibi, quem ſcit ex eorum numero eſſe, quos ipſi hæreticos vocant? Miror vero te de morte Vertuniani noſtri, medici Pictauienſis, nihil ad me ſcripſiſſe. Hunc nuncium accepi, quum recens à funere Buzenuallii eſſem: vt luctus geminaretur. Librum Regium, cum Indice Bibliothecæ ab ipſis Buzenuallii hæredibus accipies. Ad epiſtolam, quam incluſi, niſi graue eſt, reſpondeas velim. Vale. Lugduni Batauorum. III. Eid. Octobr. cIↃ IↃ CVII.

Gratias Frontoni Ducæo De Variis lectionibus Marcellini ago. Alio ſane ingenio eſt ac Delrio eius ſocius. Quo inuidentiorem, maledicentiorem, arrogantiorem bipedem

bipedem hodie neminem credo viuere. Fac literæ, quas ad Stephanum Hubertum medicum ſcribo, diligenter curentur, & de reliquis Alcorani Latini mittendis autem ei velle. Iterum vale.

Poſtquam has literas ſcripſi, binæ redditæ mihi ſunt tuæ: in quarum alteris mentionem obitus Vertuniani facis.

EPISTOLA CXXXV.

ISACIO CASAVBONO. Zohar accepi. Sed quid ſcripti hoc ſit, ego neſcio. Magna me eius admiratio inceſſit. Non enim eſt interpretatio eius, quod ego habeo Syriaca dialecto conſcriptum, quæ nihil commune habet cum Maronitana, aut Iudaica aut Talmudica. Et quidem pauci in Europa ſunt Iudæi, qui illius libri non mentem ſolum, ſed & ἑρμηνείαν aſſequantur. Eſt autem ἀναγωγικὴ διέξοδος εἰς τὸ πεντάτευχον. At iſtud, quod accepi à te, eſt quidem θεωρία quædam in Pentateuchum, ſed Caballaſtica; Hebraice, non Syriace, quantum coniicere poſſum, concepta. & (vno verbo) nihil aliud quam Cabbala φρενίτιδος, Iudaicæ fœturæ. Ego librum illum per ampliſſimum virum Petrum Ianinium præſidem, hominem omni laude maiorem, remittam tibi. Quæcunque enim ad me ex Bibliotheca Regia mittes, non reddam, niſi per eos, quibus recte dare poſſim. Qui Zohar illud tuum vertit, Auguſtinianus eremita erat, quem alii Ægidium de Viterbio, alii Ægidium de Roma vocant. Multa ſub Rudolpho Auguſto anno M CC LXXX. ſcripſit; vir Hebraiſmi peritiſſimus. Alius item Ægidius, & ipſe quoque Auguſtinianus, & Hebraice peritiſſimus, memoria patrum noſtro-

noſtrorum floruit: qui poſtea Cardinalis fuit, & Eliam Leuitam cum familia eius domi ſuæ habuit. Nolo te neſcire, viros ampliſſimos Electoris Palatini Conſiliarios agere apud Principem ſuum, vt te illuc euocent. Quia ſæculum hoc magnam rerum mutationem minatur, ſi tempeſtas iſthic incubuerit, habes portum in Germania tutiſſimum. Interea, ne te incerta ſpes rebus tuis diffidere cogat, antequam Furiæ dirum increpuerint. Nam is huius anni ſtatus eſt, vt aliquid π[illegible] καὶ ἀδόκητον imminere neceſſe ſit. Non enim fruſtra pax ab illis vltro oblata eſt, à quibus minime expectandum fuit. Eccui bono, niſi aliquod monſtrum alunt? Nihil tamen adhuc proceſſit. Res in eodem ſtatu, in quo ante vi. menſes. Bis diebus præteritis Hagam me contuli: quo itinere abſtinere diu coegerat omnium diriſſima, quarum homines meminiſſe poſſunt, hiemis inclementia. Diceres Hagam Πανιώνιον aut Πυλαίον eſſe. Quid ni? quo trium Regum, trium Romani Imperii Electorum, & multorum Germaniæ potentiſſimorum aliorum Principum Legati conuenerunt. Omnino annonam incenderunt, quam hiems aſperrima intendit. Vtinam interpretationem Baal Aruch, cuius mentionem in meis feci, ſiquidem in ea Bibliotheca extat, mittere ad me poſſis. Pollux multo locupletior his nundinis expectatur. cuius ſpem nobis fecit Iungermannus; optimus & diligentiſſimus iuuenis. Stephanum Salmaſii ante Autumnales nundinas prodeiturum non puto. Sed & Suidam à Porto habebimus. Sceleratus Schoppius in Comitiis Ratisponenſibus nunc eſt. Breui temeritatis ſuæ accipiet mercedem. Noſtra, & Patrum, adde & auorum memoria, tam lepidum, tam feſtiuum vllum ſcriptum non prodiit. Ridebis & miraberis igneum Heinſii noſtri ingenium. Tam lectorem inuitabit ſcriptionis amœnitas, quam proter-

uitas

nia Schoppiana deterret. Vale. Lugduni Batauorum. IIII. Eidus Martias cIɔ Iɔ cVIII. Librum de libertate Eccleſiæ nondum legi. Nondum enim compingi curaui, quod illi finis deſit. Vltimus quaternio eſt KK. quot poſt eum deſint, neſcio. Sed imperfectum librum eſſe, argumento ſit, quod ipſe quaternio non eſt vltimus operis.

EPISTOLA CXXXVI.

ISACIO CASAVBONO. Nudius ſextus ingentem faſciculum literarum Hagam miſeram. Sed biduo ſerius illæ miſſæ ſunt, quam oportuit: quum iam alius cum literis legatorum Regis iuſſu in Galliam traieciſſet. Sed ſpero, quas in illo faſciculo ad te dedi, citius te accepturum, quam has. quia iſti honeſti adoleſcentes ὁδοῦ πάρεργον Britanniam inuiſere decreuerunt, priuſquam ad vos traiiciant. Zohar quem ad me miſiſti, non eſſe eum quem putabam, ſatis ſuperque ex meis literis iam ſcire potuiſti. quem librum cuiuis nobilium ſtudiorum cultori inutilem eſſe iudico. Non eſt Ægidius de Roma, vt in meis literis tibi aſſerebam: ſed interpretatio illius Ægidii Viterbienſis, qui poſtea Cardinalis fuit, & Eliam Leuitam Germanum, cum tota familia aluit. Commendo tibi hos adoleſcentes. Ii poterunt eludere fabulam de ſchiſmate Academiæ huius. Nihil συκοφαντικώτερον, neque mendaci loquius confingi potuit. Satyra Menippea in furiam & furem Schoppium nudius-tertius prælo ſubiecta eſt. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Cal. April. cIɔ Iɔ cVIII.

* *
*

EPI-

Epistola CXXXVII.

Iſacio Caſavbono. Accipe Satyram Heinſii, quæ hodie primum lucem videre cœpit. Abunde tibi nuper ſcripſi. ideo breuiores ad te do. Nihil enim noui ſuccurrit mihi, quod morari te poſſe putem. Furia illa iterum aliquid in me intonuit. Titulum tantum vidi, non adiecto nomine. Aut ille ſcripſit, aut ſubornauit qui ſcriberet. Incredibilis in me omnium nebulonum coactio. Breui appendiculam de fabula Burdonii accipies. Vltimos libros Hiſtoriæ Ampliſſimi Thuani nondum vidimus. Cauſſam comminiſci non poſſumus. Oportet mercatorem, cui tradiderat, ei aduſſe manum. Quorum hominum perfidiam in ſimili re non ſemel experti ſumus. Nondum hiemis finem ſuccepit. Quum hæc ſcriberem, ita algebam, vt ne ignis quidem regelare me potuerit. atque adeo nonum hunc diem coli dolore infeſtabar. Itaque duplicis hiemis vim experior: intus ſenii, foris anni. Vale. Lugdu. Batauorum. XVIII. Calend. Maj. CIↃ IↃ CVIII.

Epistola CXXXVIII.

Iſacio Caſavbono. Non opus eſt, vt te pluribus morer, quum nuper Satyricon Heinſii acceperis, quod hac æſtate auctius, vna cum Apologia aduerſus Burdoniorum ἀλάστορας accipies. Non enim illi Furiæ eum honorem habemus, vt reſpondeamus: ſed εἰς δυσζέπειαν eorum fecimus, qui in tam fatuo commento ſupra alios ſapere ſibi viſi ſunt: quum interea omnes Tranſalpinos cor habere negent. Bis fere eodem tempore ad te ſcripſi. Cum prioribus literis epiſtola paulo longior

gitur ad Stephanum Hubertum erat: quam ei recte curatum opto. Cum poſterioribus Satyricon accepiſti. De libellis quos ad me miſiſſe ſcribis, ſcito nullos me accepiſſe. Noui Bibliopolarum fraudes: neque tu ignorare eas potes. Tam paruam iacturam æquo animo feremus, qui maiores quotidie experimur σοφοῦ ἐστιν, ἐπ᾽ οὐδενὶ ξενίζεσθαι. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Calend. Iunii cIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA CXXXIX.

ISACIO CASAVBONO. Poſtquam ex tuis funus intellexi domeſticum, quod maximum vulnus animo tuo inflixit, meæ partes erant aliqua conſolatione dolorem tuum lenire. Quod quum non fecerim, noli putare aut me officium neglexiſſe, aut per obliuionem omiſiſſe. Quum enim proxime, poſtquam literæ tuæ mihi redditæ ſunt, ad te ſcriberem, nolui intempeſtiuum remedium dolori tuo adhibere: tum quia recens vulnus erat, quod tangere periculoſum eſſet: tum quia nihil ad te conſolandum depromere poſſem, quod non tibi domi naſcatur. neque tibi tantæ eruditionis viro opus ſunt ea quæ nos in ſimili caſu melius à te peteremus, quam vt noſtris tu egeas, aut ea te iuuare poſſint. Quod reliquum eſt, ſatis officio meo me ſatisfeciſſe puto, ſi ſignificarem ſaltem, huius damni ſenſum non minus ad me perueniſſe, qui nullum diſcrimen inter res meas & tuas pono, & quæcunque animum tuum afficiunt, mecum tibi communia eſſe. Noui patrium affectus, qui pater non ſum. Noui etiam conſtantiam tuam: quæ, quum pietatem cum maxima eruditione coniunxeris, tibi deeſſe non poteſt. Nam pietas non ſinit te non velle,

quæ Deus voluit. eruditio docet ea ferenda eſſe æquo animo, quæ neque ſolis nobis accidunt, neque vt non acciderint, lacrimis noſtris efficere poſſumus. Non exſpectabis, vt hanc ægritudinem tempus tibi adimat. Hoc plebeiorum ingeniorum remedium eſt. Sapientis eſt tempus ipſum anteuenire, & dolori ipſi naſcenti occurrere. Iam igitur, qua tua eſt ſapientia, te has partes expleuiſſe puto: quo minus & tibi moleſtus ero, & me labore inutili liberauero. Scito autem, propediem Satyricum Heinſii tertia parte auctum prælo ſubiectum iri. Addetur vna Apologia confutandæ fabulæ impudentiſſimæ de Burdonio. Auctor ineptiſſimus libelli de tribus Capellis eſt Loiolita. Qui legerunt, (ego tanti non feci legere) ineruditum, & ridiculum atque inficetum aiunt, & geminum Amphitheatri. A barbaro *** inſulam Epiſtolam aſini cuiuſdam importuna hortatio, magis quam proprius expreſſit dolor. Paulo poſt & priorum quibus me laceſſiuit ſcriptorum, eum pœnituit; & nunc huius tam ſtolidæ etiam Epiſtolæ pudet. Quare collegam ſuum virum doctiſſimum & modeſtiſſimum flens & obteſtans, & quidem cum in lecto decumberet, rogauit, vt ad Franciſcum Gomarum ſcriberet, atque efficeret, vt iſta omnia, cum bona gratia componantur; ab vtroque noſtrum, quos offendit, ſibi ignoſci poſtulans. Parui libens, qui & Chriſtianus ſum, & Scaliger, non * * * * * *. Multi in Germania ex præceptionibus noſtris Chronologica ſcribunt. quorum ſpecimen quoddam nuper accepimus, ὡς πάλαι. vicit Veritas. Idem & in Burdonii confutatione videbis. Vale. Lugd. Batauorum. v. Eid. Iunii CIↃ IↃ CVIII.

* *
*

ἱστορίας ζώων recenſebo. Longus eſt labor & grauis, ſed patientia leuiorem efficiemus. Schedia Marcellini Comitis, quæ dono Frontonis ad me miſiſti, non ſinunt me reliqua, quæ non accepi, negligere. Adeo integra & bona expertus ſum. Itaque ſi reliquum potes ab eo impetrare, beabis nos. Scito vix mihi tempus vacuum à ſcribendis epiſtolis relinqui. Quare, vt ille apud Plautum, miſeram rem dicit formoſum eſſe nimis; ita ego, nimis notum eſſe. An aliis natus ſim, neſcio; mihi certe non ſum. Vale. Lugduni Batauorum. XI. Calend. Aprilis CIↃ IↃ CVII. Puto me omnia ſcripta Venetorum legiſſe. In illis auctoribus tres palmam obtinent: Paulus Seruita, Marſilius Neapolitanus, Antonius Quirinus patricius Venetus. Certe quomodocunque in amicitiam coeant illæ duæ partes, nunquam coire poterunt in cicatricem illa vulnera, nunquam ſtigmata deleri, quæ Pontifex accepit. Iterum vale.

EPISTOLA CXXXII.

ISACIO CASAVBONO. Remitto tibi librum Regium, vna cum indice Bibliothecæ: quos libros heri tantum accepi. Quod ſerius redditi ſunt, in cauſa fuit morbus Buzenuallii, quo propius abfuit à morte. In indice longe plurimi Græci deſiderantur, quorum ego indicem alium habeo. Quid illis libris actum ſit, equidem miror. Nam pauci quidem illorum, quorum nomina in meo ſunt, in tuo illo extant. Cæterum quæ Mathematica eſſe non dubito, illa non niſi præſens agnoſcere poſſim. Ἀρχύτου καὶ Αἰνείου τακτικὰ, quæ ab Æliano citantur, inter optima ſcripta reponas licet. Miratus ſum XV. libros aduerſus Iulianum Gregorii Theologi, quum duo tantum hodie extent. Auctor tibi ſum, vt, ſi tibi non vacat. τὰ Συμποσιακὰ Plu-

tarchicum vulgatis conferantur: quum in illis multa deſiderari, & quidem omnium optima, præſertim de Iudæis, non ignores. quæ ſummo ſtudio ſunt colligenda. Sed quis eſt ille De anno Romanorum, Ægyptiorum, & Alexandrinorum liber? Fortaſſe aliqua nouimus. Tres ſunt, quorum copiam mihi fieri volo: Alcoranum in Latinum traductum, cum Arabico textu; Vocabularium Arabicum: Traductio libri Zohar ſuper III. libros Moſis. Quantum nos beaueris, ſi ad nos ea mittes? Si quid fructus ex illis collegero, tibi certum eſt communicare. Interea da operam, vt quamprimum accipiam. Vnum excipio. Si verſio Latina Alcorani eſt eadem quæ hodie in manibus hominum verſatur, Petri Diaconi Hiſpani, patienter carebo ea; ſin recentior eſt, non eſt quod maius beneficium in præſentia à te expectare velim, aut poſſim. De Zohar non fruſtra poſtulo. Delectaret me magis per eum auctorem peruagari, niſi ſalebræ feſtinantem te morarentur. Eius ſermo Syriacus neque cum Targumin, neque cum Dialecto Maronitarum conuenit. Omnino diuerſum genus Syriſmi eſt ab aliis. Liber Regius, quem miſiſti, duo ſcripta eiuſdem argumenti habet, quæ prima ſunt illius voluminis; Quomodo εἰς τὴν ὀρθόδοξον ἐκκλησίαν οἱ ὁποιανοῦν αἵρεσιν ἢ τὴν αὐτὴν ἐξαρνησάμενοι, recipiendi ſint. Prius ſcriptum eſt ἀνώνυμον: poſterius Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani eſt, qui ſub Ludouico Pio Auguſto, Caroli Magni Filio vixit. Sequitur deinde Χρονικὸν ἀκέφαλον ineptiſſimum. multa ſunt ἐκ τοῦ Ἑξαημέρου Baſilii. Sequitur non inutilis, ſtatuarum, columnarum, & ſimilium in vrbe Byzantina collectio, quorum quædam apud Suidam integriora extant. Non parſiſſem operæ in deſcribendo, ſi per occupationes licuiſſet. Poſtremo addita & temporum Farrago, ex Georgio meo Taraſii Syncello, & aliis: quæ non

eſt

eſt vnius aſſis. Vt nec volumen totum: præter illa ſtatuarum Byzantinarum collectanea. quorum potiri aliquis fructus eſt; carere, non magna iactura. De illis quæ ſuperius tetigi, amplius tecum agerem, & preces adiicerem, niſi hoc eſſet diffidere amicitiæ noſtræ. Τὸν δεῖνα, à me ita acceptum fuiſſe, qui mirantur, neſciunt illum ſtercoreis Orationibus ſuis me prouocaſſe: præterea, me non ſolere, niſi prouocatum, ita ſcribere. Miror tot eſſe hodie, qui putant aut me tam puerum, vt tutore egeam; aut tam ſenem, vt illis deliare videar. Qui legerint ineptiſſimas illas Orationes, & præterea, qui reſcierint quæ ille quotidie aduerſus me cornicatur, modeſtius de me loquentur. Improbitas eius, feritas, inſcitia, ſatis in Academia eius notæ ſunt. Reſcribet ſine dubio, ſed cum ſuo flagitio. Vale. Lugduni Batauorum, Calendis Iunii, CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA CXXXIII.

ISACIO CASAVBONO. Binis tuis literis ſtatim reſpondiſſem, niſi in Buzenuallii noſtri profectionem ad vos id diſtuliſſem. Is, quum eius valetudo in dies ingraueſceret, ſperabat mutatione loci morbum leuatum iri. Itaque ea de cauſſa reditum ad vos cogitabat. Sed hæc cogitantem mors repentina oppreſſit. Decreuerat antequam hinc diſcederet, manere hic apud me dies ſex, aut ſeptem. Eo enim hominem perduxeram, vt colloquiis noſtris familiaribus crederet multum de moroſitate & triſtitia, quam morbus adferebat, deceſſurum. Itaque iam reda inſtructa quum in eo eſſet, vt ſe ad nos conferret, repente languorem nactus, abiecto conſilio profectionis, quieti ſe dedit. Quieſcere autem non decumbens in lecto, ſed in cathedra ſedens ſolebat;

neque fere toto tempore morbi aliter quam ſedens ſomnum captabat. Totam illam noctem miſeram traduxit, quod anhelitum ita ægre traheret, vt vox illi ſubinde interrumperetur. Die ſequenti hora VI. pomeridiana, quæ in IX. Septembris incidit, animam edidit. Heri mane triſtem illum nuncium accepi: qua animi perturbatione tam cari capitis amiſſione, tute melius conieceris, quam ego tibi expoſuerim. Omnino cum hæc ad te ſcriberem male abanimo habebam. Nunquam memini me tantum animo mœrorem concepiſſe. Quem honorem ille eximiæ eruditioni tuæ, quo amore te & me proſecutus ſit, partem ſcio te non ignorare, partem melius quam tu ſcio. Plura ſcribere lacrimæ & imperioſius dolor non ſinunt. De impuro Schoppio id conſilium tibi do, quod tu mihi dediſti, & ego arripui: vt ſilentio has contumelias proſequamur. Lutum & ſtercus generis humani Martinus Delrio librum in me Apologeticum pro Dionyſio Areopagita, edit, quaſi ego ſolus oculos habeam, & non alii ante me partum ὑποβολιμαῖον eſſe viderint. Sed, (quod præcipuum eſt,) nemo περὶ θεραπευτῶν animaduertit: quo nomine ex Euſebii ſomnio de Eſſenorum monachiſmo, monachum deſignari ille ineptus ψευδαρεοπαγίτης arbitratus eſt. Præterea alius liber longe contumelioſior Schoppiano, ab eodem Martino Loiolita, tacito tamen nebulonis nomine, excuditur. Quanquam melius eſt & Schoppii ſycophantias, & Martini Delrio conuicia diſſimulare; tamen fabulam de Burdonio, & illius Delrio fanaticos aſſultus, non ſerio ſed ioculari ſcripto quædam nobilia excipient ingenia, quæ & tuum patrocinium quoque vltro ſuſcipiunt. Illuſtriſſimi Cardinalis Bortemei iudicium de te tam mihi gratum eſt, quam iucundum te à tam laudato viro laudari. Non adeo pudor vetuit ex rebus. Superſunt adhuc, à quibus amor recti

teſti-

teſtimonium de te exprimit eiuſmodi, quod neque niſi de te dici, neque niſi à ſummis viris impartiri poteſt. Virtus & dotes animi quæ in te ſunt, & illæ quas falſo in me eſſe putant, inexpiabilia vtrique noſtrum pepererunt odia. At quorum? Scarabæorum, tenebrionum, ἀθέων, ἀποστατῶν, ἀλαστόρων. An non hæc ſatis ſunt, quæ nos conſolari poſſint, quod non hoſtes alios, quam retrimenta generis humani meruimus; & quod ea attigimus, à quibus longe ſe abeſſe ſentiunt? Hæ hæ ſunt lacrimæ. hinc hinc illa ærugo, ille ſuccus lolliginis. Quare rideamus; illos autem μακρὰ κλαίειν iubeamus. Nobiliſſimo & præſtantiſſimo Regis Magnæ Britanniæ oratori quas gratias agam neſcio, adeo impar tanti de me viri iudicio mihi videor. Quicquid ille de me ſentit, tibi ſcio totum acceptum ferri debere. Vnum metuendum eſt mihi, ne minorem me prædicatione tua tandem deprehendat; & tu partem huius ſuſtineas dedecoris: qui me ex amore tuo, non ex merito meo æſtimaris. Huius rei omnis alea tibi ſubeunda eſt. Sed tamen propter tam inexpectatum meum ex beneuolentia tanti viri gaudium, non poſſum non facere, quin etiam ſi non poſſim, tamen me poſſe aliquid præſtare, perſuaſerim quo ſi non grates dignas agere, tamen gratiſſimum animum aliqua illi exponamus. Certe ego gentis Anglicæ ingenia ex tenebrionis Lydiathi ingenio non æſtimaui; neque tam inſanio, vt ipſi Lydiatho credam, qui in tota Britannia neminem præter ſe doctum eſſe gloriatur. Scripſit Apologeticum: & quia librarius exemplaria diſtrahere, quæ ille ſuis ſumptibus edi curauit, non potuit, ac neſcio, quæ lites inter librarium & illum interceſſiſſent, neque ſumptus, in quos ſeſe obligauerat, præſtare vellet, coniici eum in carcerem, donec rem ſolueret, librarius iuſſit. Eſt longe ditiſſimi mercatoris filius: atque etiamnum ita inſanit, vt plura ſe habere

habere iactet, quæ aliquando editurus ſit. Loiolitæ, omnes futiles ſcriptores contumeliis. Lydiathus portentis vincit. Nam poſt hominum memoriam non prodiit liber, qui plura prodigia complectatur. Quid vero, mi Caſaubone? tantus tibi viſus eſt Martialis meus, vt præfatione tua ornari meruerit? Ego profecto illam non ad meam laudem, ſed ad defenſionem mei comparatam eſſe iudico. Nam abſque illa fuerit, nulla aut admodum exigua eius haberetur ratio. Glorior tamen me tantum à bonitate tua conſequutum eſſe, quantum à doctrina aut ingenio mereri non potui. Expecto in diem non librum meum, ſed præfationem tuam; cuius picturæ liber ille eſt πάρεργον. Nobiliſſimum & omni laude maiorem Oratorem Angliæ meis verbis ſaluta. Plura tibi ſcriberem, ſi per ægritudinem animi liceret. Vale. III. Eidus Septemb. cIↃ IↃ CVII. Chronicon quod ad me miſeras, iamdudum Buzenuallio reddidi; neque illo, vltra trihorion vſus ſum, ſi modo vti eſt, oculos tantum in librum conicere. Nam ille liber nullius oculos morabitur, præterquam eius qui tempus perdere volet. Simul ac ſarcinæ Lutetiam perlatæ fuerint, tibi tuto reddetur. Nam id curabimus, Iterum vale.

EPISTOLA CXXXIIII.

ISACIO CASAVBONO. Tria exemplaria Martialis mei accepi. Panegyricus Heinſii magnam inuidiæ ſubiecit facem. tua præfatio plane me totum comburet. Quanquam indignum me fateor tam luculento teſtimonio tuo, tamen in illo pudore meo non poſſum diſſimulare gaudium meum, quod ſpero canes meos de ſuſpendio cogitaturos. Falſo enim me laudari tunc patiar, quum

eos vere diſcruciari ſenſero. Quid faciam, præſtantiſſime vir, qui me imparem tantæ inuidiæ & tantis laudibus video? Quaſi parum eſſet me rem habere cum ſæuiſſimis hoſtibus, niſi etiam tam grauis prædicatio tua acceſſiſſet: quæ me ſemper obnoxium tibi reddet, quod me illis laudibus oneraſti, quas, quum voles, repetere potes. De tuo enim largitus es, non meum mihi reddidiſti. Neque laudari eſt, beneficium accipere. Nihil in præfatione illa video cuius mihi ratio non ſit reddenda, ſi qui me norunt, me conueniant, & quis ego ſim qui tam illuſtre teſtimonium exprimere potuerim, quærant. Qui quum me tam diſſimilem mei in pictura illa tua videant, niſi tuum in me perſpectum habeant amorem, laudes illas alio potius, quam ad me ornandum pertinere putent. Certe ipſe Heinſius, qui in me laudando non parcior fuit, habet quod opponat maleuolis meis, ſi videtur fines modeſtiæ migraſſe. Quas ergo grates tibi habeam, equidem non video. Tam enim pudet me talem non eſſe, qualem me facis, quam me gratiæ referendæ imparem eſſe. Heinſius non aliter excepit illam Præfationem, quam reliqua opera tua. in quibus eruditionem tuam, in hac autem laudatione pietatem in me prædicare ſolet. Neque vero vana retulit ὁ μακαρίτης ille amicus noſter, qui me operam deſcribendis libris dare tibi referebat. Quum enim quantum annorũ poſt me reliquerim, & quam parum mihi ſuperſit ad metas, cõſidero, totum me ad ſarcinas colligendas comparo. Et primũ quidem inducto priore teſtamento nihil confeci. Sororem bonorum meorum inſtitui hæredem: amicis de quiſquiliis meis aliquod μνημόσυνον noſtri reliqui: quod amorem meum magis quam diuitias teſtari poteſt. Non enim locupletare eos poſſum, quum neque ipſi hoc à me exigant: neque ego tam me diuitem agnoſcam. Vellem

equidem te meliore aut grandiore dono proſequi, quam eo quod poſt obitum relinquo: quod tam gratum tamen tibi fore opto, quam mihi honorificum erit, etiam in ſuprema voluntate mea me tui meminiſſe. Dimidium facti habeo, quod bene incæpi. Supereſt vt ad reliqua ordinanda animum adiiciam. Quare quæcunque in exoticis linguis aut ſparſa erant in ſupellectile libraria, aut aliunde vel prece vel precio comparare potui, ea omnia manu mea in hac ætate deſcribuntur: In qua iam tempus erat miſſionem petere. Syriacum Lexicon dimidiatum cum Interpretatione Arabica ante biennium deſcripſi, Auctor libri eſt Ieſus bar Aly. Perſicum quoque, cum præceptionibus Grammaticis, nudius ſextus abſolui. Si, vt maleuoli noſtri perſuadere volunt, ego mea induſtria prodeſſe non potui, ſaltem aliena aliquam à poſteritate gratiam inibimus. Nam poſt mortem multa ἰδιόγραφα ἀνέκδοτα relinquimus. Selectiores Orientalium linguarum libros Bibliothecæ huius Academiæ legamus. cuius cura nunc Heinſio mandata eſt. Nam Paulus Merula, qui munus illud antea adminiſtrabat, morbo confectus diuturno, in Germania inferiore obiit. Iam proſpexi rebus meis, ne in ea ſim culpa, quam effugere præclari viri non potuerunt: qui, tanquam nihil poſſiderent, inteſtati mori quam de morte ſaltem cogitare, maluerunt. Ego contra cum nihil fere habeam, hoc parum, qualecunque habeo, malui ſupremo iudicio ordinare, quam non de morte cogitaſſe videri. Et ridebunt fortaſſe quidam, quod me non puduerit in tam tenui re teſtamentum feciſſe. Quos velim ſcire, intereſſe viri boni, ſaltem, vt mortalem eſſe ſe meminerit, idque ſcripto aliquo teſtatum ſuis relinquat. Hoc ego cur non faciam, qui videam quotidie ante me mori, qui poſt me nati ſunt. Intra duos menſes amicos aliquot turbato rerum ordine amiſi-

EPISTOLA CXL.

ISACIO CASAVBONO. Heri præſtantiſſimam Herodis Regis inſcriptionem accepi. Tuæ notæ non diſcedunt à genio auctoris ſui. Ideo noli quærere an placuerint, quum partim à præſtantia ingenii tui, partim ab ipſa Inſcriptione etiam admiratio acceſſerit. Quæ quum ſit einſdem argumenti cum ea, quæ literis veteribus Ionicis exarata erat; qui factum, vt vel illa tam obſoletis & iamdudum deſuetis characteribus concepta fuerit, hæc vero tua communibus literis, altera ſoluta, hęc adſtricta verſuum legibus oratione, non minus miror. Herodem ipſum ſemipaganum, ſemiiudæum ſcio. Sed de his fortaſſe plura alias. Omnino dicam. Valde me delectauit illud, quod in eam dictaſti. Peſtilentiſſimum ſcriptum ſcelerati illius Schioppii habebam in manibus, quum hæc ſcriberem. Reſpondebitur non ad conuicia, quæ meretricibus, cauponibus, & lenonibus digna ſunt, ſed ad ea, quibus ſerio triumphant, de meo genere. Tribus foliis rem tranſactam τῷ θαυμασίῳ Heinſio noſtro dabimus: qui in Menippeam ea transformabit. Nunquam tã ſceleratum ſcriptum prodiit. Ibi Delrio, Serrarium, ſed inprimis Corybantem Titium agnoui. Eſt enim illud Babylonicum, ex multorum centonibus contextum. Thuanum, vt & te, non raro compellant. Sed omnia ridenda ſunt. Non ſunt tanti, vt propter aſinos homines iraſci debeant. Illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi literę argumento ſunt, non prorſus humanitatẽ ex rebus ſublatam: & ſupereſſe animas *Queis meliore luto finxit præcordia Titan*. Tua, mi Iſaci, ſingularis virtus, non ſolum ab illis generoſis ingeniis, ſed & ab inuidis, probitatis & eruditionis tuæ exprimet confeſſionẽ. Puto te iam accepiſſe, quæ Iunkeyræ Burdigalenſi tradidimus. Quia Fronto Ducæus, cœpit bene mereri de nobis, optarim integrum ergà nos extare beneficium, & reliqua Marcel-

equidem te meliore aut grandiore dono proſequi, quam eo quod poſt obitum relinquo: quod tam gratum tamen tibi fore opto, quam mihi honorificum erit, etiam in ſuprema voluntate mea me tui meminiſſe. Dimidium facti habeo, quod bene incæpi. Supereſt vt ad reliqua ordinanda animum adiiciam. Quare quæcunque in exoticis linguis aut ſparſa erant in ſupellectile libraria, aut aliunde vel prece vel precio comparare potui, ea omnia manu mea in hac ætate deſcribuntur: In qua iam tempus erat miſſionem petere. Syriacum Lexicon dimidiatum cum Interpretatione Arabica ante biennium deſcripſi. Auctor libri eſt Ieſus bar Aly. Perſicum quoque, cum præceptionibus Grammaticis, nudius ſextus abſolui. Si, vt maleuoli noſtri perſuadere volunt, ego mea induſtria prodeſſe non potui, ſaltem aliena aliquam à poſteritate gratiam inibimus. Nam poſt mortem multa ἰδιόγραφα ἀνέκδοτα relinquimus. Selectiores Orientalium linguarum libros Bibliothecæ huius Academiæ legamus. cuius cura nunc Heinſio mandata eſt. Nam Paulus Merula, qui munus illud antea adminiſtrabat, morbo confectus diuturno, in Germania inferiore obiit. Iam proſpexi rebus meis, ne in ea ſim culpa, quam effugere præclari viri non potuerunt: qui, tanquam nihil poſſiderent, inteſtati mori quam de morte ſaltem cogitare, maluerunt. Ego contra cum nihil fere habeam, hoc parum, qualecunque habeo, malui ſupremo iudicio ordinare, quam non de morte cogitaſſe videri. Et ridebunt fortaſſe quidam, quod me non puduerit in tam tenui re teſtamentum feciſſe. Quos velim ſcire, intereſſe viri boni, ſaltem, vt mortalem eſſe ſe meminerit, idque ſcripto aliquo teſtatum ſuis relinquat. Hoc ego cur non faciam, qui videam quotidie ante me mori, qui poſt me nati ſunt. Intra duos menſes amicos aliquot turbato rerum ordine

amiſi-

EPISTOLA CXL.

ISACIO CASAVBONO. Heri præſtantiſſimam Herodis Regis inſcriptionem accepi. Tuæ notæ non diſcedunt à genio auctoris ſui. Ideo noli quærere an placuerint, quum partim à præſtantia ingenii tui, partim ab ipſa Inſcriptione etiam admiratio acceſſerit. Quæ quum ſit eiuſdem argumenti cum ea, quæ literis veteribus Ionicis exarata erat, qui factum, vt vel illa tam obſoletis & iamdudum deſitetis characteribus concepta fuerit, hæc vero tua communibus literis, altera ſoluta, hęc adſtricta verſuum legibus oratione, non minus miror. Herodem ipſum ſemipaganum, ſemiiudæum ſcio. Sed de his fortaſſe plura alias. Omnino dicam. Valde me delectauit illud, quod in eam dictaſti. Peſtilentiſſimum ſcriptum ſcelerati illius Schioppii habebam in manibus, quum hæc ſcriberem. Reſpondebitur non ad conuicia, quæ meretricibus, cauponibus, & lenonibus digna ſunt, ſed ad ea, quibus ſerio triumphant, de meo genere. Tribus foliis rem tranſactam τῷ θαυμασίῳ Heinſio noſtro dabimus: qui in Menippeam ea transformabit. Nunquam tã ſceleratum ſcriptum prodiit. Ibi Delrio, Serrarium, ſed inprimis Corybantem Titium agnoui. Eſt enim illud Babylonicum, ex multorum centonibus contextum. Thuanum, vt & te, non raro compellant. Sed omnia ridenda ſunt. Non ſunt tanti, vt propter aſinos homines iraſci debeant. Illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi literę argumento ſunt, non prorſus humanitatẽ ex rebus ſublatam: & ſupereſſe animas *Queis meliore luto finxit præcordia Titan*. Tua, mi Iſaci, ſingularis virtus, non ſolum ab illis generoſis ingeniis, ſed & ab inuidis, probitatis & eruditionis tuæ exprimet confeſſionẽ. Puto te iam accepiſſe, quæ Iunkeyræ Burdigalenſi tradidimus. Quia Fronto Ducæus cœpit bene mereri de nobis, optarim integrum ergà nos extare beneficium, & reliqua Marcel-

equidem te meliore aut grandiore dono proſequi, quam eo quod poſt obitum relinquo: quod tam gratum tamen tibi fore opto, quam mihi honorificum erit, etiam in ſuprema voluntate mea me tui meminiſſe. Dimidium facti habeo, quod bene incæpi. Superest vt ad reliqua ordinanda animum adiiciam. Quare quæcunque in exoticis linguis aut ſparſa erant in ſupellectile libraria, aut aliunde vel prece vel precio comparare potui, ea omnia manu mea in hac ætate deſcribuntur: In qua iam tempus erat miſſionem petere. Syriacum Lexicon dimidiatum cum Interpretatione Arabica ante biennium deſcripſi, Auctor libri eſt Ieſus bar Aly. Perſicum quoque, cum præceptionibus Grammaticis, nudius ſextus abſolui. Si, vt maleuoli noſtri perſuadere volunt, ego mea induſtria prodeſſe non potui, ſaltem aliena aliquam à poſteritate gratiam inibimus. Nam poſt mortem multa ἰδιόγραφα ἀνέκδοτα relinquimus. Selectiores Orientalium linguarum libros Bibliothecæ huius Academiæ legamus. cuius cura nunc Heinſio mandata eſt. Nam Paulus Merula, qui munus illud antea adminiſtrabat, morbo confectus diuturno, in Germania inferiore obiit. Iam proſpexi rebus meis, ne in ea ſim culpa, quam effugere præclari viri non potuerunt: qui, tanquam nihil poſſiderent, inteſtati mori quam de morte ſaltem cogitare, maluerunt. Ego contra cum nihil fere habeam, hoc parum, qualecunque habeo, malui ſupremo iudicio ordinare, quam non de morte cogitaſſe videri. Et ridebunt fortaſſe quidam, quod me non puduerit in tam tenui re teſtamentum feciſſe. Quos velim ſcire, intereſſe viri boni, ſaltem, vt mortalem eſſe ſe meminerit, idque ſcripto aliquo teſtatum ſuis relinquat. Hoc ego cur non faciam, qui videam quotidie ante me mori, qui poſt me nati ſunt. Intra duos menſes amicos aliquot turbato rerum ordine

amiſi-

Epistola CXL.

Isacio Casavbono. Heri præſtantiſſimam Herodis Regis inſcriptionem accepi. Tuæ notæ non diſcedunt à genio auctoris ſui. Ideo noli quærere an placuerint, quum partim à præſtantia ingenii tui, partim ab ipſa Inſcriptione etiam admiratio acceſſerit. Quæ quum ſit eiuſdem argumenti cum ea, quæ literis veteribus Ionicis exarata erat, qui factum, vt vel illa tam obſoletis & iamdudum deſuetis characteribus concepta fuerit, hæc vero tua communibus literis, altera ſoluta, hęc adſtricta verſuum legibus oratione, non minus miror. Herodem ipſum ſemipaganum, ſemiiudæum ſcio. Sed de his fortaſſe plura alias. Omnino dicam. Valde me delectauit illud, quod in eam dictaſti. Peſtilentiſſimum ſcriptum ſcelerati illius Schioppii habebam in manibus, quum hæc ſcriberem. Reſpondebitur non ad conuicia, quæ meretricibus, cauponibus, & lenonibus digna ſunt, ſed ad ea, quibus ſerio triumphant, de meo genere. Tribus foliis rem tranſactam τῷ θαυμασίῳ Heinſio noſtro dabimus: qui in Menippeam ea transformabit. Nunquam tã ſceleratum ſcriptum prodiit. Ibi Delrio, Serrarium, ſed inprimis Corybantem Titium agnoui. Eſt enim illud Babylonicum, ex multorum centonibus contextum. Thuanum, vt & te, non raro compellant. Sed omnia ridenda ſunt. Non ſunt tanti, vt propter aſinos homines iraſci debeant. Illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi literę argumento ſunt, non prorſus humanitatẽ ex rebus ſublatam: & ſupereſſe animas *Queis meliore luto finxit præcordia Titan*. Tua, mi Iſaci, ſingularis virtus, non ſolum ab illis generoſis ingeniis, ſed & ab inuidis, probitatis & eruditionis tuæ exprimet confeſſionẽ. Puto te iam accepiſſe, quæ Iunkeyræ Burdigalenſi tradidimus. Quia Fronto Ducæus cœpit bene mereri de nobis, optarim integrum ergà nos extare beneficium, & reliqua Marcel-

equidem te meliore aut grandiore dono proſequi, quam eo quod poſt obitum relinquo: quod tam gratum tamen tibi fore opto, quam mihi honorificum erit, etiam in ſuprema voluntate mea me tui meminiſſe. Dimidium facti habeo, quod bene incæpi. Supereſt vt ad reliqua ordinanda animum adiiciam. Quare quæcunque in exoticis linguis aut ſparſa erant in ſupellectile libraria, aut aliunde vel prece vel precio comparare potui, ea omnia manu mea in hac ætate deſcribuntur: In qua iam tempus erat miſſionem petere. Syriacum Lexicon dimidiatum cum Interpretatione Arabica ante biennium deſcripſi, Auctor libri eſt Ieſus bar Aly. Perſicum quoque, cum præceptionibus Grammaticis, nudius ſextus abſolui. Si, vt maleuoli noſtri perſuadere volunt, ego mea induſtria prodeſſe non potui, ſaltem aliena aliquam à poſteritate gratiam inibimus. Nam poſt mortem multa ἰδιόγραφα ἀνέκδοτα relinquimus. Selectiores Orientalium linguarum libros Bibliothecæ huius Academiæ legamus. cuius cura nunc Heinſio mandata eſt. Nam Paulus Merula, qui munus illud antea adminiſtrabat, morbo confectus diuturno, in Germania inferiore obiit. Iam proſpexi rebus meis, ne in ea ſim culpa, quam effugere præclari viri non potuerunt: qui, tanquam nihil poſſiderent, inteſtato mori quam de morte ſaltem cogitare, maluerunt. Ego contra cum nihil fere habeam, hoc parum, qualecunque habeo, malui ſupremo iudicio ordinare, quam non de morte cogitaſſe videri. Et ridebunt fortaſſe quidam, quod me non puduerit in tam tenui re teſtamentum feciſſe. Quos velim ſcire, intereſſe viri boni, ſaltem, vt mortalem eſſe ſe meminerit, idque ſcripto aliquo teſtatum ſuis relinquat. Hoc ego cur non faciam, qui videam quotidie ante me mori, qui poſt me nati ſunt. Intra duos menſes amicos aliquot turbato rerum ordine

amiſi-

EPISTOLA CXL.

ISACIO CASAVBONO. Heri præſtantiſſimam Herodis Regis inſcriptionem accepi. Tuæ notæ non diſcedunt à genio auctoris ſui. Ideo noli quærere an placuerint, quum partim à præſtantia ingenii tui, partim ab ipſa Inſcriptione etiam admiratio acceſſerit. Quæ quum ſit eiuſdem argumenti cum ea, quæ literis veteribus Ionicis exarata erat, qui factum, vt vel illa tam obſoletis & iamdudum deſuetis characteribus concepta fuerit, hæc vero tua communibus literis, altera ſoluta, hęc adſtricta verſuum legibus oratione, non minus miror. Herodem ipſum ſemipaganum, ſemiiudæum ſcio. Sed de his fortaſſe plura alias. Omnino dicam. Valde me delectauit illud, quod in eam dictaſti. Peſtilentiſſimum ſcriptum ſcelerati illius Schioppii habebam in manibus, quum hæc ſcriberem. Reſpondebitur non ad conuicia, quæ meretricibus, cauponibus, & lenonibus digna ſunt, ſed ad ea, quibus ſerio triumphant, de meo genere. Tribus foliis rem tranſactam τῷ θαυμασίῳ Heinſio noſtro dabimus: qui in Menippeam ea transformabit. Nunquam tã ſceleratum ſcriptum prodiit. Ibi Delrio, Serrarium, ſed inprimis Corybantem Titium agnoui. Eſt enim illud Babylonicum, ex multorum centonibus contextum. Thuanum, vt & te, non raro compellant. Sed omnia ridenda ſunt. Non ſunt tanti, vt propter aſinos homines iraſci debeant. Illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi literę argumento ſunt, non prorſus humanitatẽ ex rebus ſublatam: & ſupereſſe animas *Queis meliore luto finxit præcordia Titan*. Tua, mi Iſaci, ſingularis virtus, non ſolum ab illis generoſis ingeniis, ſed & ab inuidis, probitatis & eruditionis tuæ exprimet confeſſionẽ. Puto te iam accepiſſe, quæ Iunkeyræ Burdigalenſi tradidimus. Quia Fronto Ducæus cœpit bene mereri de nobis, optarim integrum erga nos extare beneficium, & reliqua Marcel-

habere iactet, quæ aliquando editurus ſit. Loiolitæ, omnes futiles ſcriptores contumeliis, Lydiathus portentis vincit. Nam poſt hominum memoriam non prodiit liber, qui plura prodigia complectatur. Quid vero, mi Caſaubone? tantus tibi viſus eſt Martialis meus, vt præfatione tua ornari meruerit? Ego profecto illam non ad meam laudem, ſed ad defenſionem mei comparatam eſſe iudico. Nam abſque illa fuerit, nulla aut admodum exigua eius haberetur ratio. Glorior tamen me tantum à bonitate tua conſequutum eſſe, quantum à doctrina aut ingenio mereri non potui. Expecto in diem non librum meum, ſed præfationem tuam; cuius picturæ liber ille eſt πάρεργον. Nobiliſſimum & omni laude maiorem Oratorem Angliæ meis verbis ſaluta. Plura tibi ſcriberem, ſi per ægritudinem animi liceret. Vale. III. Eidus Septemb. CIƆ IƆ CVII. Chronicon quod ad me miſeras, iamdudum Buzenuallio reddidi; neque illo, vltra trihorion vſus ſum, ſi modo vti eſt, oculos tantum in librum conicere. Nam ille liber nullius oculos morabitur, præterquam eius qui tempus perdere volet. Simul ac ſarcinæ Lutetiam perlatæ fuerint, tibi tuto reddetur. Nam id curabimus. Iterum vale.

Epistola CXXXIIII.

Isacio Casavbono. Tria exemplaria Martialis mei accepi. Panegyricus Heinſii magnam inuidiæ ſubiecit facem. tua præfatio plane me totum comburet. Quanquam indignum me fateor tam luculento teſtimonio tuo, tamen in illo pudore meo non poſſum diſſimulare gaudium meum, quod ſpero canes meos de ſuſpendio cogitaturos. Falſo enim me laudari tunc patiar, quum

eos vere diſcruciari ſenſero. Quid faciam, præſtantiſſime vir, qui me imparem tantæ inuidiæ & tantis laudibus video? Quaſi parum eſſet me rem habere cum ſæuiſſimis hoſtibus, niſi etiam tam grauis prædicatio tua acceſſiſſet: quæ me ſemper obnoxium tibi reddet, quod me illis laudibus onerasti, quas, quum voles, repetere potes. De tuo enim largitus es, non meum mihi reddidiſti. Neque laudari eſt, beneficium accipere. Nihil in præfatione illa video cuius mihi ratio non ſit reddenda, ſi qui me norunt, me conueniant, & quis ego ſim qui tam illuſtre teſtimonium exprimere potuerim, quæratur. Qui quum me tam diſſimilem mei in pictura illa tua videant, niſi tuum in me perſpectum habeant amorem, laudes illas alio potius, quam ad me ornandum pertinere putent. Certe ipſe Heinſius, qui in me laudando non parcior fuit, habet quod opponat maleuolis meis, ſi videtur fines modeſtiæ migraſſe. Quas ergo grates tibi habeam, equidem non video. Tam enim pudet me talem non eſſe, qualem me facis, quam me gratiæ referendæ imparem eſſe. Heinſius non aliter excepit illam Præfationem, quam reliqua opera tua. in quibus eruditionem tuam, in hac autem laudatione pietatem in me prædicare ſolet. Neque vero vana retulit ὁ μαχαιρίτης ille amicus noſter, qui me operam deſcribendis libris dare tibi referebat. Quum enim quantum annorũ poſt me reliquerim, & quam parum mihi ſuperſit ad metas, cõſidero, totum me ad ſarcinas colligendas comparo. Et primũ quidem inducto priore teſtamento nihil confeci. Sororem bonorum meorum inſtitui hæredem: amicis de quiſquiliis meis aliquod μνημόσυνον noſtri reliqui: quod amorem meum magis quam diuitias teſtari poteſt. Non enim locupletare eos poſſum, quum neque ipſi hoc à me exigant: neque ego tam me diuitem agnoſcam. Vellem

EPISTOLA CXL.

ISACIO CASAVBONO. Heri præſtantiſſimam Herodis Regis inſcriptionem accepi. Tuæ notæ non diſcedunt à genio auctoris ſui. Ideo noli quærere an placuerint, quum partim à præſtantia ingenii tui, partim ab ipſa Inſcriptione etiam admiratio acceſſerit. Quæ quum ſit eiuſdem argumenti cum ea, quæ literis veteribus Ionicis exarata erat, qui factum, vt vel illa tam obſoletis & iamdudum deſuetis characteribus concepta fuerit, hæc vero tua communibus literis, altera ſoluta, hęc adſtricta verſuum legibus oratione, non minus miror. Herodem ipſum ſemipaganum, ſemiiudæum ſcio. Sed de his fortaſſe plura alias. Omnino dicam. Valde me delectauit illud, quod in eam dictaſti. Peſtilentiſſimum ſcriptum ſcelerati illius Schioppii habebam in manibus, quum hæc ſcriberem. Reſpondebitur non ad conuicia, quæ meretricibus, cauponibus, & lenonibus digna ſunt, ſed ad ea, quibus ſerio triumphant, de meo genere. Tribus foliis rem tranſactam τῷ θαυμασίῳ Heinſio noſtro dabimus: qui in Menippeam ea transformabit. Nunquam tã ſceleratum ſcriptum prodiit. Ibi Delrio, Serrarium, ſed inprimis Corybantem Titium agnoui. Eſt enim illud Babylonicum, ex multorum centonibus contextum. Thuanum, vt & te, non raro compellant. Sed omnia ridenda ſunt. Non ſunt tanti, vt propter aſinos homines iraſci debeant. Illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi literę argumento ſunt, non prorſus humanitatẽ ex rebus ſublatam: & ſupereſſe animas *Queis meliore luto finxit præcordia Titan*. Tua, mi Iſaci, ſingularis virtus, non ſolum ab illis generoſis ingeniis, ſed & ab inuidis, probitatis & eruditionis tuæ exprimet confeſſionẽ. Puto te iam accepiſſe, quæ Iunkeyræ Burdigalenſi tradidimus. Quia Fronto Ducæus cœpit bene mereri de nobis, optarim integrum erga nos extare beneficium, & reliqua Marcel-

lini,niſi graue eſt,nobis mitti. Quædam cenſuræ in no-ſtra Euſebiana, auctore Martino Delrio Antuerpiæ excuduntur.Si merent reſponſum, vt & illa, quæ Serrarius laterat,non erimus in mora. Indicem Bibliothecæ, & Chronicum illud quod ad nos miſiſti, vnum d em retinui. Complicatum Buzenuallio noſtro reddidi. Ibi eſt epiſtola,qua iudicium tibi meum de illo Chronico expono. Addidi & alium Bibliothecæ Regiæ Indicem:in quo non pauca ſunt,quæ in illo tuo non habentur.Eſt interpretatio Zohar & Alcorani,cum Dictionario Arabico,in Bibliotheca.Oro te, vt quamprimum ea nobis mittas, quando commodum erit. Hoc in illa epiſtola ſcribebam; ſed quantum iudicare poſſum, ante menſes duos eam non accipies. Tantum enim,aut fortaſſe plus temporis detinebuntur. Hic Legati in re ſumma publica occupatiſſimi ſunt. Vale. Lugd. Batauorũ. VIII.Kal.Iulii cIↃ IↃ CVIII.

EPISTOLA CXLI.

ISACIO CASAVBONO. Cogitanti mihi ad te ſcribere, opportune redditæ ſunt tuæ,quas ex ad diem XV. Kalend.Iul.dediſti.in quibus quereris, quas ad me vltimo ſcripſiſti,mihi redditas non eſſe. De illis,atque adeo & prioribus,quas Bongarſio noſtro dederas,quietus eſto. Nudius tertius Martialis exemplaria, quæ propter moram periiſſe exiſtimabam,accepi. Meurſius recte tuas mihi reddidit, vt & alia præterea quæ in mandatis ab amicis habebat. Satyra Heinſiana triente auctior recuſa eſt.Additur illi luculenta fabulæ Burdonianæ confutatio.adeo vt nullum mendacium tanta felicitate profligatum ſit. Julius Cæſar Scaliger, ex iſto tam ridiculo commento hoc conſequutus eſt, vt longe ſit illuſtrior, quam

quam ante. Nihil prætermiſſum eſt, quod quidem ad Burdones pertinet, quod non & valide oppugnatum, & ſtrenue expugnatum ſit. Nam conuicia, furiæ, ſycophantiæ, meretricibus, Amphitheatro, & feci Apoſtolorum Loiolæ relicta ſunt. Hoc eſt, illuc retorta, vnde contorta fuerant. Sunt & quidam φιλοσκάλανοι Germani, qui proteruitatem impuræ illius Furiæ ferre non poſſunt: qui adornant, quæ, quanquam eſt impudentiſſimus, vulgo nota eſſe nollet. Tanta eius vitæ eſt impuritas: vt neque apud illos, ad quos iam transfugit, honeſtum locum habeat; neque cum illis quos deſeruit, relicta in gratiam redeundi ſpes ſit. Si quæris quid agam, ſcito mihi tempus omne in nugis fluere, dum nulla mihi datur à ſcribendis literis requies. Quod ſi tædia quæ in friuolis quæſtionibus ſoluendis deuoranda mihi ſunt narrare vellem, neſcio an fidem vllam habiturus ſis. Qua poſſum me in libertatem vindico. Vel vt herifugæ potius, aliquando me in pedes coniicio. Alioqui ne dormiendum quidem eſſet. Nudius quintus Bibliothecæ Bauaricæ Catalogũ legenti πῦχος octo librorum Polybii occurrit. Ego imperitum librarium Excerpta VI, VII, VIII, librorum cum quinque prioribus coniunxiſſe puto: atque hoc eſſe quod octo libros Polybii vocarit. Quicquid ſit, ad Dauidem Hoeſchelium ſcripſi, vt videat, an verum ego, aut librarius, dixerimus. Malim ſane coniecturam meam vanam probari: ſed vix tantum boni ſperare auſim. Rogaui præterea Dauidem, ne pigeret ad te ſcribere, ſi contigiſſet (quod vtinam contingat) vanum coniectorem me eſſe. De Notis Polybii Buzenuallii, dubito an meæ ſint, qui nullas ſcripſi. Tantum inter equitandum de locis Polybianis ego & Lud. Caſtanæus verba aliquando fecimus, quæ ipſe in hoſpitio ad libri ſui annotabat marginem. Nam quæ illi in diuerſoriis tum explicabam, neque

mihi expendere vacabat accuratius, neque illi propter negocia, quibus diſtringebatur, annotare. Scio quicquid exciderit mihi, tam opportunum reprehenſioni eſſe apud illos, qui à calumnia continere ſeſe non poſſunt, quam excuſationẽ mereri poſſe apud eos, qui ſciuerint in Polybio nos cucurriſſe potius, quã ambulaſſe. Itaque magna mihi iniuria fieret, ſi ex illis friuolis aliquis captum meum æſtimaret. Quamquam enim magna præſtare non poſſumus, tamen cauendum nobis ſedulo, ne quid inepte faciamus; & ne nobis excidat ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον: quod effugere non poſſimus, ſi patiamur ea ſub nomine noſtro in vulgus exire, quæ neq; recenſuimus, neque, ſi relegamus, noſtra eſſe affirmare audeamus. Ego ſatis longam epiſtolam nuper ad te dedi, ne forte Λακωνισμὸν meum mihi obiicias. Sed quum has vltimas ſcripſiſti, nondum meas tibi redditas fuiſſe puto. Vale. Lugd. Batauorum. VI. Kal. Auguſti.

Heinſius eſt in Zelandia in nuptiis Grotii. Vix puto rediturum, niſi & ipſum adſtrictum aliqua compede grata.

EPISTOLA CXLII.

ISACIO CASAVBONO. Quas Deo Opt. Max. gratias agã pro tam inſperato auxilio, quod pro ſua inexhauſta bonitate tibi impertitus eſt, quum in flumine Sequana tantum diſcrimen adiiſti? Quantum me affecerint literæ tuæ, quum hæc legerem, inde colligere potes, quod etiamnum ad memoriam rei inhorreſcit animus mihi, quam miſera fuiſſet tot capitum iactura cogitanti: quum quæ in morte tua ſola fuiſſet, ei nulla comparanda ſit. Sed Deum tam propter te eorum miſertum

eſt,

eſt, quam tui propter omnes, qui literas colunt. Neque enim tibi caris tuis orbato tranquillam, neque nobis te adempto felicem vitam agere licuiſſet. Vtinam σωτήρια de naufragio G. perſoluendi tam iuſta cauſſa tibi fuiſſet, quam merito ea Deo Opt. Maximo debes, tam inſigni periculo liberatus. Accipe nunc Satyram Heinſii, triente auctiorem, vt & fabulæ Burdonianæ Confutationem. Si quis impudentiam calumniæ miratur, nihil agit, niſi cogitet, quot nebulones capita contulerint vt tam abſurde mentirentur, neque quicquam præter ludibrium ſui relinquerēt. Sane multa in viros probos ab improbis quotidie confingi mirum non eſt. Sed in illis extant quædam, quorum alia ſpecie veri mouent, alia commenti feſtiuitate alliciunt. In hac calumnia tantum abeſt, vt vtrumque, aut alterutrum deprehendas, vt nihil magis mirer, quam eſſe, quos neque impudentia mendacii, neque ſtupor nebulonis à lectione eius libri deterruerit. Sed quid facias, vbi maior gratia eſt impudentiæ, quam modeſtiæ: addo etiam, maior impunitas maledici ſcripti, quam quotidianorum ludorum? Nuper Fur ille Veſpillonides ad amicos ſuos ſuique ſimillimos ſcribebat, ſe primum omnium feneſtram ad obtrectandum omnibus, quorum aliquod nomen & celebritas in literis exſtaret, aperuiſſe. atque adeo multos eſſe, qui exemplum ſuum ſequerentur. Sed pulcre auſpicatus eſt. Nam infamia generis eius, furta, flagitia, adhuc intra paucorum conſcientiam laterent, ſi ille in nos ea mentitus non eſſet, quæ in ipſo nimis vera deprehenſa ſunt. Præterea, nunquam Scaligeri tam illuſtres fuiſſent, quam nunc ſunt. Scitum vetus eſt: ex malis moribus bonas leges naſci. Nunc ex mendacio veritas illuſtrata eſt. Aiunt, optimum & doctiſſimum Franciſcum Iuretum, in Præfatione ad editionem Symmachi, iniquis modis ab eo acceptum fuiſſe. Adeo nemo ab illa Furia tutus e-

 uadere

uadere poteſt, qui quidem aut pietatis aut literarum nomine commendetur. Hoc vero alicui mirum videri poſſet, quum tam bene illi in maledicendo cum Loiolitis, conueniat, cumque obtrectationis & ſcelerum tanta ſit ſimilitudo, tamen à fure auerſos eſſe, niſi quum in bonos inuehitur: quos tanquam communes habent hoſtes: & in eo magna inter ſceleſtos concordia. Oro te, ne paucas horas in legenda Confuſutatione perdere pigeat. Nullam quidem elegantiam animaduertes: neque ſane eam affectauit auctor. Sed, quod ſerio promittere audeo, nuſquam commentum impudentiſſimum tanta felicitate profligatum legiſti. Vale. Lug. Bat. v. Kalend. Septembr. 1608.

EPISTOLA CXLIII.

MARCO VELSERO, Patricio Auguſtano, S. Non potui citius eruditis literis tuis reſpondere, quia bellum in finibus noſtris redintegratum eſt; vt non inueniamus quibus tuto noſtras committere poſſimus. Accepi vero Annales veſtros, eruditionis, elegantiæ & optimæ frugis plenos. Spero me ex illis eos fructus percepturum, quorum fidem tibi aliquando faciam, quum etiam de meo in te grauiſſimo animo teſtimonium relinquam. De quæſtione viciſti, manus do. Auguſtus poſt Actiacam victoriam in Ægypto ſub finem hiemis Peluſium cepit: & paulo poſt Alexandriam, auctore Plutarcho. Id ſatis erat ad confirmandam ſuſpicionem meam de Alexandria illo tempore ab Auguſto recepta. Sed errorem aperuit tempus mortis Cleopatræ: periit enim tempore ficuum maturorum, vt idem Plutarchus teſtatur. Nullum dubium igitur relinquitur ſententiæ veſtræ; quam amplectimur, qui & natura & inſtitutione φιλαληθέστατοι ſumus. Illud autem Kalen-

darium

darium compoſitum eſt partim ex illo, quod C. Cæſar primum publicauit, item ex illo, quod ex emendatione Auguſti, quum Faſtos correxit, prodiit. Nos non ceſſamus. Si typographi noſtram operam diligentia ſua proſequerentur, nullæ nundinæ Francfurdienſes ſine aliqua noua ingenii noſtra fœtura præterirent. Parimus quidem quotidie; ſed qui partus noſtros tollere velit, habemus neminem. Speramus tamen, quod ſub prælo habemus, tandem per multas ἀμβολιεργίας proditurum. Vale, mi Nobiliſſime Vir. Lugd. Batauorum. XIII. Kal. Nouemb. Iulianas cIↄ Iↄ XCVIII.

EPISTOLA CXLIV.

MARCO VELSERO. Frequentiores à me haberes, Vir Clariſſime, ſi quibus meas recte committerē, haberem. Has tibi exaraui, occaſionem inſperatam nactus, cuius me admonuit P. Merula noſter. Nihil enim prius habeo quam vt quibus modis poſſim quam frequentiſſime amorem meum in te, vt omnibus, ita & tibi teſtatum relinquam. Tua humanitas hoc à me exigit, eruditio etiam in dies monet, quia quotidie eius aliquem guſtum nobis Annalium tuorum opus inſtructiſſimum mouet: cuius dotes eximias malo mirari quam laudare, ne tam caſtigato labori iniuriam faciam, ſi parcius laudauero. Sed reliquiæ illæ monumentorum veterum & inſcriptiones, quum à lectione tui operis diſceſſi, iterum me reuocant: in quibus pauimentum illud teſſellati artificii, tanquam tabellas de naufragio, crebrius inuiſere ſoleo; rarum priſcæ φιλοτιμίας argumentum: quod neque meliorem interpretem, quam te, neque commodiorem inſpectorem vel potius

admiratorem, quam me, nanciſci poterat. De ſcimpodio aliter cenſerem. Non enim eſt lectus diſcubitorius, ſed potius ἀνάκλιντρον, ex ſella & lecto. hoc eſt, medium quid inter ſellam & lectum: in quo ſemiſupini, pedibus in ſcamillo ſuppedaneo quieſcentibus, recubabant. In ſaxo, ER. LEG. agnoſco *erogatorem legionis*: de quo in Cod. Theodoſiano. In alio, PANNYD. eſt PANNYCIDI: quod rectius erat PANNYCHIDI, Παννυχίδι. In Delphica video diotam, vrceum, obbam. In aliis L L. eſt *lubentiſſime*, vel *lubenter lubenter*. vt B. B. eſt BENE BENE, ſiue *optime*. V. S. L. E. M. *Votum ſoluit lubentiſſime merito*. CLEOPHAS, Κλεόφιλος, Κλεοφᾶς, Κλεόπατρος, Κλεοπᾶς. Neque aliquid Ἰουδαϊσμοῦ propterea attribueris: non magis quam cuiuis alii Græco nomini decurtato. Vt Ἀπομώνιος, Ἀπομῶς, etiamſi illius mentio apud Apoſtolum, vt τοῦ Κλεοφᾶ, ſiue Κλεοπᾶ in Euangelio. Negotiator artis cretar æ ad fulloniam pertinet; vt negotiator purpurariæ, ad βαφικήν. Pagina 221. anulus, quem tenet puer, eſt, non trochus, qui erat ingens circulus, quem radio in triuiis agitabant pueri, (vt in Batauorum vrbibus ſolet) ſed, vt puto, erat inſtar σφαίρας pueris, quo in palæſtra ſeſe adultiores exercebant. In paſſione Sanctæ Afræ, quæ melioris notæ eſt quam diploma in Titiorum gratiam confictum, *catomum* non eſt genus (quod hactenus docti ſuſpicati ſunt) tormenti, ſed ἡ τοῦ τραχήλου ἔκφυσις, qua ceruix humeris committitur. Id nos explicamus alibi. Veteres Martyres plumbatis in ceruice tundebantur: quam catomum fere ſemper acta Martyrum vocant. Id nos veterum teſtimoniis muniemus. Conſul in Ambabus apud Auſonium plane notat, vt hodie in vrbibus, municipiis & aliis oppidis: Cõſules creari ſolitos, qui hodie hactenus nomen retinent per totam Aquitaniã, & Prouinciam Narbonenſem. MIRPA.

eſt

eſt Μιρφᾶς, vt Ciceroni *Rupa*, Ῥυφᾶς, à Rufo. NATIONE VEIN. Neceſſario poſt N ſequebatur vocalis, quia ει pro ι longa ponebatur, ſequente N cum vocali, non aliter. Sic ΑΑΤΕΙΝΟC in veteribus marmoribus & Irenæo, Αὐτοιεῖνος, & ſimilia. VEIN igitur non poteſt eſſe *Vindelicum*. Ex his potes aduertere, quam libenter tua legam. ex quibus nihil non ad fructum ſtudiorum noſtrorum hauſimus. Et quæ hic notauimus, non aliter amamus, quam ſi tibi probentur. Vale, mi Velſere. XIII. Kalend. Februarii Juliani cIɔ Iɔ XCIX.

EPISTOLA CXLV.

MARCO VELSERO. Non poſſum ſatis dolere vicem literarum mearum, quas ad te ſuperiore hieme ſcribebam, quod ab illis interceptæ ſint, qui ea cauſſà literas omnes aucupantur in via, vt eas nunquam reddant, aut ſtatim diſcerpant. Itaque eo magis doleo, quod eæ tibi redditæ non ſint, quia forte tibi videor ceſſator & officium ſcribendi defugiſſe: Quod nolim inprimis animum tuum inducas. Quanto enim mihi carior eſt amicitia tua, tanto antiquior mihi eſſe debet cura illam omnibus officiis teſtandi. Quid vero in illis meis literis ad te ſcripſerim, ὁλοσχερῶς quidem meminiſſe fortaſſe poſſim: hoc eſt, de quo potius, quam quid ſcripſerim. Memini enim quum ad te illas ſcriberem, recentem ab Annalium tuorum lectione ad illas ſcribendas me contuliſſe: Vt tibi lectionis meæ fructus, quem perceperam, conſtaret, & cum fructu voluptatem coniunctam fuiſſe intelligeres. Itaque doctiorem à ſtudio Annalium exceperunt me illa vetuſtatis monimenta, quæ illis ſubieciſti: vt adhuc maior ſpes proficien-

di fieret; quod factum eſt. Valde enim illa pauimenta muſinarii operis gladiatorii ſpectaculi me capiebant. quæ non ſolum vt bona fide exprimerentur, curaſti, ſed &, erudita interpretatione tua, illuſtriora vt eſſent, effeciſti. Ego mi Velſere, illas canæ vetuſtatis reliquias nobilioribus monimentis antepono, quod oculis ea noſtris obiiciant, quæ ſola mentis acie in tenebris palpabamus potius quam videbamus. Quid enim ſunt ſtudia noſtra & iudicia in talibus, niſi coniecturæ? quæ vt vere ſint aliquando, tamen & tunc, quum veræ ſunt, fideiuſſore indigent. Sed de Titiorum familia, quod antiquum eſſe diploma illud Cuiacius credidit; ſatis mirari non poſſum. Nam & mediocriter Latine ſcienti fraus ſubolere poteſt. Sed infinita eiuſmodi vidimus, quibus ex Longobardica ſcriptura accedebat dignitas: quæ ſola fidem vetuſtatis facere poterat, niſi argumenti ἀστοχία falſitatem proderet. Sed ſcis quam ſubacta eſſe oporteat ingenia, quæ de monimentis eiuſcemodi tuto iudicare poſſint. Quod ad reliqua tua pertinet monimenta, mihi ſcimpodium non lectus diſcubitorius, ſed ἀνάκλιντρον videtur eſſe, ex ſella & lecto compoſitum. in quo ſemiſupini, pedibus in ſuppedaneo quieſcentibus, cubabant. In Delfica autem illa agnoſco diotam, vrceum & obbam. In alia inſcriptione PANNYD, *Pannycidi* ſcriptum pro *Pannichydi*: quod frequentiſſime occurrit. In alia ER. LEG. eſt *Erogator Legionis*: de quo habes Titulum in Cod. Theodoſiano. In Paſſione S. Afræ *catomum* quid ſit, interpretaremur, niſi alibi id à nobis factum eſſet. Vbi quid ſit, & quam multi fallantur qui aliter interpretantur, oſtendimus. MIRPA, Μιρφᾶς, à primigenio barbaro Μίρφιος: quemadmodum Ciceroni *Rupa*, Ῥυφᾶς, à Rufo. Non raro duplex L. L. occurrit: quod eſt *libentiſſime*: vt B. B. *optime*. Omnino

illis

illis veteribus literæ geminatę compendium vicem gradus ſuperlatiui eſt. Hoc non raro notauimus. Itaque V. S. LL. M. eſt nobis, *Votum ſoluit libentiſsime merenti*. Cleophas eſt vt illud Mirphas. Nam & hoc quoque ad eandem ἀναλογίαν: Κλεόφιλος, Κλεοφᾶς, Κλεόπατρος, Κλεοπᾶς. Neque vlla neceſſitas Iudæum eſſe. *Negotiatorem artis cretariæ, artis fullonariæ* interpretamur. Quod ſic dictum vt *negotiatorem artis purpurariæ* in alio ſaxo accipimus. Anulus quem ille puer geſtat, non eſt trochus, quum trochus ingens ſit circulus, quem radio per vias, vt hic in Batauis pueri, agitant. Sed anulus ille puero eſt vicem δίσκου, quo adultiores ſeſe exercebant. Apud noſtratem Auſonium *Conſul* in ambabus recte habet: quod municipales magiſtratus per totam Aquitaniam & Prouinciam Romanam ita vocarentur, & ita ad hanc vſque diem vocentur. Pag. 217, N. I. F. L. an tuto poſſumus mutare in N. LL. L? hoc eſt, *numis ſeſtertiis quinquaginta*? Tu ipſe quanto melius hæc quam ego, iudicabis? NATIONE. VEIN. Scio, ει eſt ι longum; ſed ſequente conſona vnica. Itaque frequentius ante N vnicam, Ἀντωνεῖνος, Λατεῖνος. Nunquam enim fere aliter ſcribebant. Itaque in VEIN proxime ſequens litera omnino vocalis debuit eſſe: quo minus credas VEINDELICVM poſſe intelligi: Nam non poteſt. Ego de hoc amplius delibero. Hæc omnia tibi meæ in tuis ſcriptis curæ & amicitiæ erga te fidem facere poſſunt. Nam ſi erro (& quid ni?) non tamen venia carebo. Quod niſi tua ſcripta vnice amarem, nunquam illa tam accurate expendiſſem. Tu pro tua humanitate, puta hæc ab homine profecta, qui nihil prius habet, quam vt tua amicitia dignus exiſtimetur. Vale, mi Velſere. Kal. Auguſti Iuliani cIↄ Iↄ XCIX. Velim ſcire (quod ab amico quodam noſtro accepimus) an ex tua mappa itineraria, quæ

Antuerpiæ excuſa eſt, liber aliquis confectus ſit, & Venetiis excuſus. Nam qui hoc dubium mihi tolleret, adhuc reperi neminem. Rurſus vale.

EPISTOLA CXLVI.

MARCO VELSERO. Trinas à te literas accepi, Vir magnifice. Primis adoleſcentes quoſdam Auguſtanos mihi commendabas: Sequētibus meas, quas periiſſe ſuſpicio erat, longo poſt tempore te accepiſſe ſignificabas. Poſtremæ multa complectuntur. Ad quas omnes antequam ſigillatim reſpondeo, ſcias, duorum commeatuum, quos mihi literas vltro citroque noſtras mittendi proponis, altero nos excluſos eſſe edicto Albert. quo omnium rerum commercium & aditus ad illa nobis loca interdicitur. Itaque vix eſt vt vllæ literæ Antuerpiam recte curari poſſint. De Amſtelrodamenſi via videro poſthac: &, ſi hac bene proceſſerit, frequentiores à me accipies. Primum igitur de adoleſcentibus acceptum tibi eſto, ea mihi eſſe in chariſſimis, quæ à Velſero commendantur; & ideo illos, tum tua commendatione, tum illorum cauſſa mihi eſſe gratiſſimos. neque vnquam commiſſurum me, vt tua te ſpes fallat, in iis præſertim rebus, in quibus mei in te amoris & fidei exempla illuſtria exercere poſſim. Eoque magis, quo accuratiore genere commendationis te vſum video. Equidem illis omnem meam operam, ſtudium & induſtriam prolixe detuli: nihilque prætermiſſum à me puto, quo & illis fidem facerem te mihi acceptiſſimos eſſe, & tu intelligeres, non fruſtra te eos nobis commendaſſe. De catomo, vel catomio (nam vtrūque memini me legere) non pauca in Quintum Manilii

mo-

moquimus. Quid ſit κάτωμον, & κατώμιον, ipſa verbi compoſitio aperit, quanquam nunquam in Helleniſmo legimus. Sed peroptimum & vetuſtiſſimum Gloſſarium Latinoarabicum characteribus Longobardicis ſcriptũ *catomum* eo verbo Arabico interpretatur, quo commiſſura ceruicis cum humeris ſignificatur. Et non aliter ipſum etymon Græcum loquitur. Sed duo hinc loquendi genera in Martyrologiis nata, ſenſu diuerſa, origine coniuncta, *Catomis cædere*, & *Catomo ſuſpendere*, vel *Catomiare*. Legimus itaque apud Victorem Afrum Epiſcopum: *Venerabilem ſenem in publica facie Catomo ceciderunt:* id eſt, palam & in propatulo plumbatis in ceruicibus ceciderunt. vt catomum ibi accipiatur τοπικῶς, non ὀργανικῶς. Non enim inſtrumentum, quo cæderetur, ſed locus vbi cæderetur, accipi debet. Quod enim ille locus plumbatis cæderetur, palam eſt apud Prudentium: *Plumboque ceruix verberata extuberet.* Illuſtratur hinc & emendatur Tertullianus, peſſime acceptus, Apologetico XII: *Ceruices ponimus ante plumbum. Glutinum & gomphoſis capiti ſunt diis veſtris.* Itaque in Paſſione S. Afræ: *Iuſſit eam flagellari, & catomis cædi:* nudæ corpus flagris, ceruices plumbatis cædi accipio. Qui autem flagris cædebantur, ii funibus vtrinque à terra leuati ita ſuſpendebantur, vt ceruices à terra longius quam pedes extarent. Meminiſti illud in comœdia, *Ego plectar pendens.* Pendentes autem, hoc eſt, μετέωροι, flagellabantur. Illud *pendere* eſt ἱμᾶσι προτείνεσθαι in Actis Apoſtolorum. Nam προτείνεσθαι eſt funibus vtrinque à terra leuari: non autem ſtantem funibus ad columnam deſtinari, vt pictorum natio ſomniat. At quos contumeliæ & deridiculi cauſa ignominioſius & atrocius plectere volebant, eos contrario ſitu ſuſpendebant, nempe capite deorſum: quod non ſemel legimus in optimæ notæ Martyrologiis. Id Græcis

eſt

eſt κατωκάρα κρεμᾶν. in vetuſtiſſimo autem Martyrologio id dicitur ad verbum *capite iorſum ſuſpendi*. Apud Ioſephum legimus, plurimos Iudæos κατωκάρα ἐσταύρωσαν, idque χλεύης χάριν, deridiculi cauſſa. Hoc eſt quod Martyrologia dicunt, *Catomio ſuſpendere*, *Catomiare*. Sic Græcis κατωμιστὴς ἵππος dicitur, qui ſeſſorem in humeros & ceruicem deiicit. Ergo κατωμίζειν fuerit *Catomiare*, quod Laberius dixit *in Catomium tollere*. *Tollet bona fide vos orcus nudas in Catomium*. Vbi ridicule Grammatici *Catomium* interpretantur ſubterraneum locum. adeo vt quædam Gloſſæ nomine Iſidori *Catomium* ergaſtulum interpretentur. Sed nugatoria ſunt. Nam *Tollere in Catomium* eſt, vt Plautus loquitur, *capite ſiſtere*, vt pedes in ſublimi ſint, caput deorſum. τραχηλίζειν etiam hoc dicunt Græci. Nam quid aliud τράχηλος, quam *Catomium*? Ergo τραχηλίζειν *Catomiare*. Et ſane quem κατωμιστὴν ἵππον vocatum diximus, is etiam τραχηλιστὴς ἵππος dicebatur, qui ſeſſorem in ceruicem euertit. Et quemadmodum ceruicem cædere, eſt catomis cædere, ita etiam τραχηλίζειν pro eodem dicebant: vt quum pugil pugili cæſtibus ceruices cæderet. Hoc enim eſt τραχηλίζειν, id eſt, *Catomiare*, *Catomio cædere*. Quid aliud eſſe putemus apud Ciceronem? *Vereor, ne Cato nos in catomium*. Quid inquam, eſſe aliud ſuſpicemur, quam, δέδια μὴ Κάτων ἡμᾶς τραχηλίζῃ. Luſus eſt in agnominatione, vt apparet, *Cato*, *Catomium*. Hæc de Catomo, Catomio, Catomiare hactenus apud me locum habeant, ſi quidem tibi probantur. Sin, aliter. Libellum tuum in tabulam Peutingerorum Geographicam accepi, quo nomine ſummas grates tibi habeo. Non diſſimulabo, me impatientius eius deſiderium tuliſſe, poſtquam illum, quem Merulæ miſeras, legi: eoque magis, quod nulla ſpes adipiſcendi affulgeret. Diatriba de Toliſtoboiis erudita

viſa

viſa eſt,& perplacet. Omnia accurata. Sed multis impoſuit etymon nationum ex earundem lingua aucupatum. Quam enim periculoſa ſit ea via, hodiernorum ingeniorum luxuries quotidiana, & inprimis Becceſelenicæ Origines Goropianæ me docent: quæ nihil aliud ſunt, quam χελιδόνων μουσεῖα, κατὰ πφυμίδες. Vt ille vir nihil aliud oſtendere illis ſuis ſcriptis videatur velle, quam ſibi otium ſuperfuiſſe quo ad leuia ingenia oblectanda abuteretur. Riſi, quum legerem Renum flumen zelotypum intelligi ex Dionyſiacis Nonni, ῥέωος ἴβηρ. Sane ἴβηρ ad Brabantiſmum alludit, quo zelotypia deſignatur, ſi quidem β non vt B, ſed vt V pronunciatur. Sed vobis Germanis illa littera eſt vt F in voce qua zelationem deſignatis. Hoc eſt plane ludere de otio ſuo. Nihil eſt, quod magis huic curioſæ garrulitati imponat, quam Theutoniſmus, propter crebra monoſyllaba, quę aliter atque aliter pro arbitrio nugacitatis accipi poſſe optime ſcis. At certe rarum eſt in vllo idiomate verbum quod non ſibi vindicare poſſit Germanicus aut Belgicus Theutoniſmus, ſi quidem iſto iure experiri liceat. Vnde nata illi Becceſeleno confidentia, etiam Hebraiſmum de fundo Brabantiſmi eruenti: vt cum Moſe expoſtulare veritus non ſit, quod is etyma ex Hebraiſmo potius quam Belgiſmo deducat. Brabantini enim ante Adamum erant, vtpote προσέληνοι. Sed ſatis nugarum. Tu hæc melius q̃ nos. Scotum Chorographũ hodie videre licuit: qui quanquam nihil boni habet, niſi quæ ex Plinio hauſit, gratum tamen eſt quod iniecit de xv Conſulatu Theodoſii, ſi quidem verum dicit, quod vix eſt, vt aliter credam. Vnde enim barbaro homini in tanta ignoratione bonarum literarum in mẽtem veniſſet quintidecimi Conſulatus Theodoſii, niſi à meliore ſcriptore accepiſſet? In poſtremis literis ꝙ de Welfis & Vi-

Viſultis Scaligeris quæris, nihil aliud dicere poſſum, niſi, tam verum eſſe, multos illo nomine in gente noſtra Friderici Ahenobarbi ſæculo, & antea fuiſſe, quam verum eſt me hæc bona fide retuliſſe quæ à Patre meo audiuerim. Cuius vt multa inſignia & facta & dicta reticui, ne vanus illis viderer, qui aliena ex ſuo captu metiuntur, ita de ipſis Priſcis Scaligeris multa prudens prætermiſi, ne modum epiſtolæ excederem, ſi modo non exceſſi. Heu, mi Velſere, rotam rerum humanarum! Ex illa tam illuſtri ſtirpe Veronenſi, tot Regibus cognata, vnicus ſuperſtes ſum, ludibrium Fortunæ. Nam qui in Bauaria, Carnia, & alibi, Scaligeri, veri gentiles quidem illi noſtri ſunt, eodemque vinculo inſignium & nominis nobiſcum coniuncti, alii tamen ſunt à Veronenſibus. Et tamen nullum ſupereſſe Scaligerum dicunt homines humanitatis ne ſcio an literarum imperitiores. Longior fui. Sed antequam te abſoluo, audi fabulam. Ante hos quatuor quinque plus minus annos quidam porcus Patauinus, vt Dominorum ſuorum gratiam, quam virtute demereri non poterat, inſectatione nominis Scaligeri colligeret, commentitias literas Academiæ Patauinæ in vulgus ſparſit, quibus Iulius Cæſar Burdonius, ſi Diis placet, anno Chriſti cIↄ Iↄ xix, Magiſterium artium adipiſcitur. Vt acumen hominis perſpicias, ſcito, apud Lilium Giraldum in Dialogo de Poetis recentioribus ſcriptum eſſe, Iulio Cæſari Scaligero antea cognomen fuiſſe Burdonio. Lilius vulgari patris mei cognomini Latinam accommódare inflexionem, & ex *Burden* Burdonium facere voluit. In aula enim Cæſaris Maximiliani & inter Germanos, etiam in veſtra magnifica vrbe Auguſtana, non alio cognomine cenſebatur, quam *Der Graff von Burden*: ab Italis autem nunquam dictus eſt vulgo, niſi *il toſo da Burden*: quod ſtrictum tonderetur. Ego aliquando audiui

audiui à patre, *Burden* Comitatum in Carniæ finibus eſſe: eorumque lingua, quæ ſemi-Slava eſt, id nomen deſertum ſignificare. vt re vera infructuoſus eſt & ſterilis ille comitatus, cuius Dominus fuit Bonifacius propatruus meus. Quum igitur acutus homo apud Giraldum nomen Burdonii legiſſet, ilico res noua aſininum animum percuſſit, qui Patrem meum inſititium Scaligerũ eſſe vt credidit, ita ſuppoſititiis literis perſuadere aliis voluit; ſi modo alios tam fatuos eſſe credidit, quibus ſe imponere poſſe hoc ſubtiliſſimo commento putauit, vt Patrem meum annorum triginta ſex magiſtrum artium factum induceret: ad quem gradũ pueri & vix ephebis iamdudum egreſſi promoueri ſolent. & eo tempore, quo iam biduum ille militabat in caſtris Gallorum in Alpibus Ligurum. Nonne, mi Velſere, pro tanto acumine, palmario tibi dignus videtur? Ego nouam editionem Epiſtolæ de gente noſtra adorno. ei has facundi huius oratoris literas, cum commentario, adiungam. in quo monſtrum ſuis coloribus exornatum dabo, & craſſum hoc mendaciũ ita exagitabo, vt etiã apud nos Transalpinos, quos ſeſe aſtutia anteire putant, pueri, vel ruſtici ſpecioſius, quotieſcunque volent, mentiri poſſint. Interpellaui te his nugis, & euidentiſſimi huius monſtri mentione; tempore fortaſſe alieno, & in ſeriis occupationibus tuis, quas pro eo, quod ſuſtines, munere, à te exigit reſpublica tua. Amor tuus, quo memoriã & nomẽ priſcę gentis noſtræ proſequeris, fecit, vt hos limites moderationis tranſilire non vererer. Volumen Epiſtolarum & Orationum Patris me ad te mitto. quas neſcio quo bono fato annis ſuperioribus in Gallia nobiliſſimus adoleſcens Franciſcus Douza nactus eſt. Dabis hoc memoriæ Patris mei, & laudi gẽtis tuæ Germanicæ: Vt, ſi commodum eſt, Panegyricũ, in eos, qui ſtrenue in obſidione Viennenſi pugnantes interfecti ſunt, legas. Quantum

pro hac charitate in Germanos debeat Germania, vt deritis vos Germani. Certe hoc mihi conſtat, nullum φιλογερμανώτερον fuiſſe. Vale, mi Velſere. III. Eid. Febr. cIↄ Iↄ c. Lugduni Batauorum.

EPISTOLA CXLVII.

MARCO VELSERO. Ad omnes tuas literas vnis ante menſes tres reſpondi. Alias poſtea à te accepi, in quibus de ceſſatione Merulæ querebaris. Compellavi hominem, eique diem ex tuis literis dixi. Promiſit reſcripturum, & plene ad omnia tua reſponſurum. Ego non ceſſo, ſed aliquid, vt ille dicebat, quotidie muginor. Deſtituit tamen aura curſus noſtros. Nam fruſtra ſubſidia quærimus. Habeo enim in manibus Chronica Euſebiana, quæ ex ſcriptis codicibus priſtino ordini reſtitui. Tamen non ſatis fido iis quibus vſus ſum, niſi meliorem aliquem nanciſcar. Tribus ſcriptis vſus ſum. Excuſum, cum aliis tribus ſcriptis collatum, vidi. Quid verbis opus eſt? Ita ſunt inter ſe ſimiles, vt ſex illi vnius vicem ſint. Nam vitia illorum nullus ſuſtulerit, niſi qui illorum diſſimilis erit. Itaque, mi Velſere, ſi tua opera vnius ſcripti vſuram ad menſem vnum impetrare poſſem, pluribus tibi non perſuadebo, quantum meus liber inde leuari poterit. Ego ſane non inutilem fore neque ingratam operam meam, quam in eo libro poſui, mihi perſuaſi, & candidis ingeniis me perſuaſurum ſpero. Nõ puto me pluribus à te contẽdere debere, quod vno verbo me impetraturum confido, ſi quidem id, quod peto, in tua poteſtate eſt. Itaque expectô an aliquid præſidii à te ſperare debeam: cuius vt me certiorem quam primum facias, oro. Ego vltra menſem libro non vtar, & optima fide remittam. Vale, mi Velſere. VIII. Eid. Augusti Iuliani. Lugduni Batauorum.

cIↄ Iↄ c.

EPISTO-

EPISTOLA CXLVIII.

MARCO VELSERO. Ecce in procinctu me oppreſſerunt tuæ. Iamdudum enim ad te literas meditabar, quum tuæ mihi redditæ. itaque videor illas eliciuiſſe, vt vna opera eis reſpondere poſſem. Nihil enim libentius facio, mi Marce, quam quod ad mei erga te amoris teſtificationem facit. Hoc vero ſola in tanto locorum interuallo præſtare poteſt frequens literarum opera: cui ego nunquam deſum, quantum mihi per homines licet, cui recte meas dare poſſim. Quod quum fecerim, & non omnes ad te perueniſſe doleo, & per negligentiam hominum factum indignor, quo minus apud te probare diligentiam meam poſſem. Binas certe à me Hungher mercator accepit. & has illi mane mittam. Quod reliquum erat pagellarum Photii, quas Hœſchelius noſter ad me miſit, & recenſui, & nihil, quod lectoris oculos morari poſſit, animaduerti, præter duo aut tria quæ in literis meis ad eum notaui. Ac nihil antiquius habeo, quam vt eius voluntati ſatisfaciam, dum commodis publicis hac via conſulere poſſim. Quod me quidem non feciſſe, non tantum mihi dolori erit, quantum voluptati me eius petitioni paruiſſe. De Euſebio, amabo mi Velſere, iuua nos. Nam mendas codicis tui non moror, qui fortaſſe mendoſiores habeo. Omnes tamen, quod ſatis mirari nō poſſum, vno exemplo conceptos. vt nō à pluribus ſed ab vno deſcriptos, nō plures codices, ſed vnum cenſeas. Et profecto ita eſt: ab vno traduce propagati ſunt omnes. Iam typographum exſpectat opus, & miſere prodire geſtit. quod non fiet, niſi aliorum exemplariorum id auctoritatibus muniuero. Scito enim totū illud Chronicon ab inferis me excitaſſe. Miraberis audaciam eorum, qui mutilarunt, ἀκεφ-

γίαν, qui, dum iuuare volunt, plurimum illi nocuerunt. Hæc malo te ex ipſa editione quam mea prædicatione cognoſcere. Quare ſi codicis illius ſcripti varietates in ora alicuius editionis apponi curaueris, & ad me miſeris, & de me, & de ipſo Euſebio, & (quod caput eſt) de ſtudioſis omnibus bene merebere. Iacta enim eſt alea: & quia eo vſque proceſſimus, vt proximum emendato, vel potius, reſtituto, Euſebium edere poſſimus, ne nobis deſimus, videndum; & ne in ipſo fine animum deſpondeamus. Vale, mi Velſere. XI. Kal. Decemb. ſub ipſum articulum quo tuas accepi. cIↄ Iↄ c.

EPISTOLA CXLIX.

MARCO VELSERO. Non dubito, quin eæ quibus ad poſtremas tuas reſpondebam, tibi redditæ ſint, vna cũ iis quas ad Dauidem noſtrũ ſcripſi, quando & reliquum Notularum in Photiũ miſi. Quod ſi ſerius tibi redditæ ſint, ſcito me illas maturius curaſſe; quippe qui tuis ſtatim reſponderim. Nihil enim mihi antiquius eſt, quam vt de diligentia mea & officio literarum tibi conſtet. de quo ſi quicquam remittam, tantum de fide mea detraham: quam tamẽ inprimis tibi perfectam eſſe volo, & vti ſit, omni opera curabo. Noſter Euſebius, adhuc in excubiis eſt. Quanquam enim ſupremam manum illi nos addidiſſe putabamus, tamen adhuc inter ſcriniola noſtra, propter expectationem aliorum codicum, ſe continet. quorum in diẽ mihi ſpem faciunt amici. Inter eos vnus luculentiſſimus eſt, quo elegantiorem negant ſe vidiſſe ii, qui in hac palæſtra multum triti ſunt. Et ſane ſpecimen quod ad me miſſum eſt, & iudicii eorum fidem mihi facit, & monet, vt adhuc ſuſtineam editionem meam. Itaque nihil detrimenti erit in mora. Παρακεκινδυνευμένον ἔπος, ſed tamen veriſſimum non

vere-

verbor dicere: illum authorem multum debere nobis. Sed melius fecero, ſi aliquando eum ipſum tibi fidei iuſſorem meorum verborũ dabo, quam ſi nunc pluribus tibi opellam meã prædicem. ne potius venditatio quã prædicatio eſſe videatur. Spero his nundinis partẽ aliquam de Inſcriptionibus Gruteri prodituram. Crebrioribus ad me literis de ceſſatione typographi expoſtulauit: abſque qua foret, iam integrũ opus in manibus omnium verſaretur. Nos in illud contulimus, quod volumen Smetianum vel æquare vel ſuperare poſſit. Sed omne ius meum in Gruterum tranſcripſi. vt illi ad editionem illam inſtituendam faceremus animos. à qua eũ multæ cauſæ deterrebant; præter omnes autem magnitudo. Nunc eum audentiorem fecit & hortatio mea & experientia, quæ illum docuit, ὅτι τῇ ἐπιμελείᾳ πάντα δοῦλα γίνεται. Certe eſt optimus vir, & multarum literarum: & qui nihil non efficere poſſit, modo velit. Vale, mi Velſere. Kal. Martii. Lugduni Batauorum cIↄ Iↄ cI.

EPISTOLA CL.

MARCO VELSERO. Quo minus Euſebius noſter in lucem prodeat, non mea, ſed typographorum culpa eſt, qui res ſuas potius agunt quam noſtras. Nam paratus quidem ille eſt iamdudum, neque typographi moratur operas. Parum abfuit quin omne edendi propoſitum abiicerem, propter horrendam perturbationem, quam in ſcriptis codicibus, quibus hactenus vſus fueram, inueni. Duæ enim exemplariorum formæ, valde inter ſe diſcrepantes; tam in annis digerendis, quam in hiſtoriarum periochis aſſignandis. Prioris generis nouem aut ſcriptos aut collatos vidi; omnes ita inter ſe ſimiles, vt vno dictante excepti videantur. Poſterioris formæ duos habeo, alterum à Cl. Viro Marquardo Fre,

hero, alterum ab ampliſſimo Senatore Pariſienſi Petauio. Hi duo, vt magnus illis inter ſe conſenſus eſt, ita valde à prioribus differunt. Quid facerem in tanta diſcrepantia? Quum deſcribi curaſſem vnũ exemplar ad priorem formam, vt ederetur; poſtea ab exactis Regibus, ad finem Chronici, adeo manifeſtum chaos, tam in annis deprehendi quam in hiſtoria, vt omnes librarii qui deſcripſerunt, maiuſculis literis ſe omnia deinceps, non per annos, ſed per tempora, digeſſiſſe profiteantur. Itaque non opus fuit aliis manifeſtæ perturbationis teſtibus, quam ipſis librariis, qui & cõmiſerunt eam & profeſſi ſunt. Quare iratus, vt dixi, & labori meo & vigiliis, totum editionis inſtitutum abieceram. Sed me duo codices poſterioris formæ in incepto confirmarunt, qui quid ſequendum, quid fugiendum eſſet, præierũt. Rurſus igitur retextum opus reſumpſi. & manu mea integrum deſcripſi, digeſſi, & concinnaui. Quando prælo committetur, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Hoc enim non arbitrii noſtri, ſed typographorum eſt: qui & voluntatis noſtræ clauum tenent. Non ſcribo quid in illo ſcriptore præſtiterim. Nam non meum eſt, de mea induſtria iudicare, ſed lectorum. Hoc vnum dicam: longe alium, & meliorem, & ampliorem quam antea, Euſebium nos edituros. Vale, mi Magnifice Velſere. Nonis Auguſti Iuliani, LXII. Natali meo, cIɔ Iɔ CI.

EPISTOLA CLI.

MARCO VELSERO. Non dubito te accepiſſe, quas ad te nuper proximis nundinis dedi. Illis ad tuas reſpondi priores. Poſteriores, quibus amice mecum de lento Euſebii negotio expoſtulas, haud diu eſt quum accepi. Equidem, mi Marce, non ſolum tuo ſed & meo quoque deſiderio lentum eſſe ſcio. Sed quid

faciam?

factum? An abortivum edam, quem maturum & perfectum dare poſſum? Qui? dices. quia parum abeſt, quin Græce loquentem ab inferis excitare poſſim, ſiquidem mihi copia auctoris αἰεκδότου fiat, cuius Excerpta in manibus habeo. Extabat in Bibliotheca regia Pariſiis. Sed, vt alia precioſa Regis κειμήλια, ita & hic auctor manus furum effugere non potuit. Nuſquam enim comparet. Ego ex ipſo Euſebio, & aliis auctoribus, qui iam editi ſunt, maiorem partem Græcorum Euſebii, ſatis feliciter reſtitueram: verum plura in Excerptis ſunt. Quare quod deſtitutus ope auctoris illius Græci efficere non potui, id vt expleant illi, qui librum nanciſcentur, monebo. Interea Excerptis illis tanquam ruderibus, ſi non mœnia inſtaurare potero, maceriam tamen aliquam excitabo. Quid vero in Latinis præſtiterimus, malo te ex editione, quam ex verbis meis cognoſcere. Hoc vnum dicam, nullum magis truncum auctorem ad nos perueniſſe, neque in quo plus ſibi inſcitia librariorum ac temeritas licere voluit. Vale, mi præſtantiſſime vir. Lugduni Batauorum. XIII. Kalend. Decembris cIↄ Iↄ ҁI.

EPISTOLA CLII.

MARCO VELSERO. Nudius ſextus ad te ſcripſi, & cauſam dilatæ editionis Euſebianæ reddidi. Quæ ſontica eſt: quod ne tu quidē negabis. Spes Georgii Monachi facta nobis erat, qui Chronicon ab exordio rerum, ad Heracleonam Heraclii F. ſcripſit, & maiorem partem Chronici Euſebiani delibauit: ex cuius excerptis haud dubie pene integrum Græcum Euſebium reſtituere poſſim. Illum mihi Scriptorē cum ex Bibliotheca regia ſuppeditatum iri ſperarem, fruſtra fui: quia vltimo bello ciuili à furibus ſublatus eſt. Itaque hoc nuncio

(amici enim Lutetia ſcripſerunt mihi) omnis mea ſpes concidit: quæ tamen erecta eſt, poſteaquam in Bibliotheca veſtra Auguſtana ſcriptorem eum extare animaduerti. Is eſt numero LXXXI. in catalogo Dauidis Hœſchelii. Itaque reliquum eſt, mi Marce, vt tua opera illius mihi fiat copia. Fideiuſſores idoneos & locupletes, Iohannem Commelinum & Iudam Bonnutiũ mercatores Amſtelrodamenſes, dabo. Præterea, vnum tantum menſem illius vſum peto: poſt quod tempus bona fide reſtitutum iri vobis ſpondeo. Per Deum immortalem fac, mi Marce, ne fruſtra hoc à te petiuerim. Quod eſt hodie perfugium bonarum literarum, præter te? Ad quem confugiam, niſi ad Marcum Velſerum, vnicum ſtudioſorum præſidium? Non eſt mihi animus Euſebium edere, niſi omni cultu exornatum: quod quidem abſque illo libro præſtari non poteſt. Tu ſolus inopiæ huic noſtræ mederi potes. Itaque quid de hoc ſperare debeam, fac, oro, me quamprimum certiorem, ne animi dubius pendeam. Denique in te vno totius huius negotii cardo eſt. Si quid ceſſatur à nobis, hoc fruſtratio voti noſtri de illo libro facit. Si quid ex illo in poſteros vtilitatis manabit, Velſerus tanti boni auctor erit: eiuſque beneficii teſtimonium in notis noſtris poſteritati relinquemus. Vale, mi Marce, & quam primum aut ſitim noſtram exple, aut quid ſperare debeam, ſcribe. Lugdun. Batau. VI. Kalend. Decemb. cIɔ Iɔ ç I.

EPISTOLA CLIII.

MARCO VELSERO. Non verebor iterum te de eadem re conuenire, de qua proximis literis egeram. Editio Euſebii noſtri tota ex arbitrio tuo pendet. In te enim ſolo ſitum eſt, eam promoueri aut retardari. Nam qui iuuare nos potes, idem ſi negas, tantum nocu-

noueris. Iuuare autem potes, ſi per te Georgium Monachū Bibliothecæ veſtræ publicæ adipiſcor, qui Chronicon ſuū ſpoliis Euſebianis exornauit. Meminiſti quibus precibus apud te vltimis meis literis egerim. Eaſdē iterum referre, eſt diffidere bonitati tuæ. Reliquum eſt tantum, vt tibi aurem de eadem re vellam: ſi per ſerias occupationes tuas alio auocatus fuerit animus tuus, quo minus iſtius negocii memineris; aut occaſio lapſa ſit, quominus id efficere potueris. Te ſolum implorat Euſebius noſter: quem tuum facere potes, ſi illi reddamus, quod Georgius illi abſtulit. Tabellarii veſtrates, qui Amſtelrodamum commeare ſolent, recte nobis librum perferre poterunt, & Ioanni Commelino negotiatori Amſtelrodamenſi dare. Is non ſolum de libro reſtituendo recipiet, ſed omnibus opibus ſuis pro me fide iubebit. Fac, mi magnifice vir, ne fruſtra à te hoc petierim. Ego faciam, ne fruſtra tantum beneficium mihi contuleris. Vale. Lugduni Batauorum, Prid. Eid. Decembris cIɔ Iɔ c I.

EPISTOLA CLIV.

MARCO VELSERO. Accepi iam literas tuas, vna cū illis quas ad me Fabricius dedit. Statim vt reſponderem conuenit me is, qui eas mihi reddidit. Feci, quanquam occupatiſſimus. Nudius tertius Procopiū manuſcriptum mercatori dedi, quem librario ciuitatis veſtræ, qui Francofurti negotiatur, tradet, vt tibi recte reddatur. Tu vero Hæſchelio noſtro dabis. Poſt paucos dies vberius vtrique ſcribam; &, ſi Georgium accepero, de eo ſignificabo tibi. Plura ſcribere anguſtiis temporum, & moroſiſſimo negotio, quod me tanquam claudum ſutorem inclusum detinet, excludor: Literas, niſi graue eſt, quas ſcribo, Fabritio quamprimum redden-

das curabis. Nam, vt ex iis, quas ad me ſcribit, intellexi, primo vere Patauio diſceſſurus eſt. Itaque ſtatim illi eas reddes. Vale, mi Velſere. Lugd. Batauor. IX. Kal. Mart. cIↄIↄcII.

EPISTOLA CLV.

MARCO VELSERO. Superioribus diebus, quum acciperẽ tuas, quas ad me miſiſti vna cum iis, quas Fabritius Patauio ad me dederat, ad te ſcripſi. Ego vtriſque ſtatim reſpondi. Quid noui ad te ſcribam, non habeo. Veſtrum Georgium Monachum expecto. Aliud exemplar vetuſtiſſimum ex Bibliotheca Regia iniuria temporis multis in locis detritum propediẽ huc deferetur. Fortaſſe quæ illi defuerint, in veſtro extabunt; & contra. Vnde ſpes eſt, poſſe alterũ ab altero curari & lacunas expleri. Sin minus, ad Bauaricum confugiendum erit: vnde auxilium ab Hœſchelio noſtro petam. Puto te non ignorare impoſitas mihi clitellas. credo quia valẽtiorem non reperiebant aſinum quam hominem ſexagenario maiorem. cui præter occupationes plurimas, nullus labitur dies, in quo alicui non ſit reſpondendum; & nonnunquam pro epiſtolis libelli integri conficiendi. Indicem igitur ingentis illius Inſcriptionum molis conſtruo, quandoquidem hoc defugere non potui, ὅτι πεπράδιεγχείλω Quid verbis opus eſt? Septem menſes ſolidos in legendo illo volumine & materia colligenda nunc verſor. Nunc totus iſte apparatus digerendus eſt: vt fere nihil feciſſe videar, quia tantum mihi reſtat faciendum. Scito autem ab hoc tempore nullum mihi reſpirandi locum eſſe datum: dum relictis rebus omnibus huic vni totũ me dedo, ne alia ſtudia immiſcendo tempus laboris mihi prorogem. Interea quãtum mihi impendendũ eſt literis ad amicos ſcribendis, totũ id illi moleſto negotio ſuffuror. Exhauriendus tamen iſte labos; & quantum tædii eſt, deuorandũ. Quod

certum eſt me effecturum, ſi viuo: quando autem, ϑεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Vale, mi Velſere. Lugduni Batauorum, Nonis Martii cIↃ IↃ CII. Procopium meum manuſcriptum ad Bibliopolam Auguſtanum Francofurtum miſi.

EPISTOLA CLVI.

MARCO VELSERO. Fragmentum Georgii vna cum ſchemate ſtellæ, non nouæ, vt aiebant, ſed nondum in literas relatæ, accepi. Vtrumque gratiſſimũ fuit, eoque magis, quod de illa ſtella non fruſtra dubitabam. neq; vana fuit ſuſpicio mea. Sed fragmento Georgiano multa adhuc deſunt. vt verum ſit, quod alias memini tibi ſcribere, antiquarios illum ſcriptorem, dũ deſcribunt, mutilaſſe. In noſtro enim exẽplari improbitas eorum inde arguitur, quod quæ multis in locis in alium locum differt Georgius, quũ eo peruentum eſt, ea nuſquam compareant. Hæc nõ rara temeritatis veſtigia ab ipſis relicta ſunt. Foliorum vero trium, quæ in noſtro exemplari amputata ſunt, vix quarta pars Fragmentum illud tuum videtur. Hoc moneo, vt non ſolos improbos τοὺς καλλιγράφους exemplaris noſtri ſcias, ſed & illos qui deſcripſerunt tuum. imo & improbiores. Euſebio noſtro mora non nocuit. Hoc ex editione ipſa quæ poſt Paſcha paratur, probaturum me tibi confido. Eam charta & typographus moratur: cuius opera in Scriuerii Martiali occupata: quam luculentiſſimam editionem poſt Pentecoſten abſolutum iri credo. Interea ego non ceſſo. Et quamuis in multa munia diuiſus ſum, maiorem tamen partem ſibi apparatus vindicat Euſebianus. Quum Litu̅rgiis Elkupti vſus fueris, eas, quod quidem commodo tuo fiat, remitte: &, ſi quid meorum vſui eſt tibi, vel pete commodato, vel proprium habe. Vale. mi Marce. Lugd. Batau. feria IV. ante Paſcha.

EPI-

EPISTOLA CLVII.

MARCO VELSERO. Ex tuis literis, quas nunc accepi, redditos tibi Procopium, Georgium Syncellum, & Liturgiarum libellum intelligo. Binas etiam antea à te acceperam. Omnibus reſpõdere vno tempore volebam: hoc eſt, quando mihi, tibi eos libros redditos fuiſſe, conſtaret. Georgium veſtrum ſcito non eſſe eum quem volebam, neque vlli vſui ad mea Euſebiana mea eſſe. Satis mirari non poſſum, qui factũ, vt duo nomine eodem idem tractẽt, qui ab eodem principio profecti, in eodem fine conquieſcunt. Idem certe in veſtro Georgio principium, idemque finis, qui in eo, quem in animo habebam. Sed in eo volumine, quod nobis vſui eſt, Georgius Syncellus ab Adamo incipit, in Diocletiano deſinit. Excipit eum Valens, ſecutor Theophanes, ad Heraclium & Heracleonam. In volumine veſtro vnus idemque ſcriptor ab Adamo ad Heracleonam. Et tamẽ iſte eſt Syncellus, vt alter. Sed, Deum immortalem, quam diſpar conatus huius veſtri! Nam, vere dicam, nihil in eo deprehẽdere potui, quod me doctiorem facere poſſet, neque illum legere aliud eſt, quã horas perdere. Gratias tamẽ tibi, vir magnifice, ago, quod tua opera illum nanciſci mihi contigerit: neque deteriori genere tibi obſtrictum me eſſe intelligo, quam ſi ille ſcriptor mihi vtilis fuiſſet. Quid enim tua in literas, in ſtudioſos, in doctos homines eximia beneficia prędicem? quæ ſi dicendo ſperem conſequi, & minus dixero, & tibi iniuriã fecero. Liturgias illas Græce reddere animus nobis fuit. Græce enim melius reddi, quam Latine poſſunt. quia ſunt ex Græcis cõuerſa. Sed lacunis, & obſoletis literis, quæ & tenorem ſententiæ interrumpunt, & impetum remorantur, ſum deterritus. Habeo & alia Orien-

Orientalia, quæ ad ritus pertinẽt Eccleſiaſticos. Fortaſſe, ſi vacabit mihi, Græce reddere ea poſſim. Elkupti, id eſt, Chriſtiani Ægyptii, duplici lingua in ſacris, vetuſtiſſima Ægyptiaca, & interpretatione Arabica, vt Iudæi Hebraica & Chaldaica, Maronitę Syriaca & Arabica, vtuntur. Literas tantum ab Alexandrinis Elkupti iſti, quæ ſunt Græcæ, vt vides, acceperunt: ſed & aliæ, quia Græcarum numerus non ſufficiebat, acceſſerunt, Idem & Moſchovitæ fecerunt. qui præter Græcas, alias appendices habent, quibus ſonum exprimant quem Græci ignorant. Sed de his nunc locus non eſt, neq; otium. Exemplaria multa Arabica ope Meletii Patriarchæ Alexandrini, ſperabam me nacturum: quod ei magna cum iis Hollandis qui iſthic negotiantur familiaritas intercedebat. Sed ante paucos menſes optimus doctiſſimuſque vir, magno meo & negotiatorum Batauorum dolore, quos ille ſemper ſumma comitate exceperat, diſceſſit. Poſt obitũ Patriarchæ Conſtantinopolitani Alexandria Conſtantinopolim ab Eccleſia Gręca excitus fuerat; vt vacante ſede vice Patriarchæ iudicaret. quod munus ille aliquot per annos ſumma & integritate & innocentia obiuit. Atque adeo ſpes erat, eum propter innocentiam vitæ, & multarũ rerum peritiam Patriarchã Conſtantinopolitanum renuntiatum iri. Idq; omnes boni obnixe optabant. Sed in eum locum furcillis vir ἀναλφάβητος, vt eſt maxima pars Monachorum Orientis, intruſus eſt. Poſt cuius creationem Meletius ad Alexandrinam rediit Eccleſiam. cuius ſedes in maxima vrbe Cairo eſt. Igitur ſi ille nunquam ſatis laudatus vir diutius vixiſſet, magna facultas mihi omnia Arabica, Æthiopica, & Ægyptiaca, quæcunque optaſſem, habendi ſuggerebatur. Pro quibus Græca totidem, aut plura, quorum inopia apud illos magna eſt, rependiſſé. Ante annos enim viginti, tum, quum ille πρωτοσύγκελλος

Σιλβέ-

Σιλβέστρου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας adhuc eſſet, Reginæ Nauarræ pyxidem inſtructam gemmis, cum Epiſtola Græca miſit: qua petebat, vt Baſilii, Chryſoſtomi, Nazianzeni exemplaria, quæ aliunde nanciſci non poterat, ſibi mitteret. Epiſtolæ exemplum adhuc penes me habeo. Inde animos ſumpſi, exemplaria Arabica commutatione Græcorũ mihi quærere, ſi bonus ille vir in viuis manſiſſet. Verum fruſtra fui, quum ille & deceſſerit, & vota reliquerit mea; vir omni laude, & eo, cui ſucceſſerat, Silueſtro digniſſimus. Tamen alia inde ex Ægypto mercatorum quorundam Maſſiliẽſium cura habemus. Quod ſi diligentiæ meæ fortuna non defuiſſet, inſtructiſſimam eiuſmodi exemplaribus bibliothecam haberem. Quæ tamen pauca habeo, tua ſunt, & vbi voles, à me petes. Commendo tamen tibi illud Liturgiarum exemplar: ne vtendo manibus deteratur. Iam enim à tempore, vt vides, male acceptum eſt. Numiſmata gentis Scaligeræ cum literis Fabritii noſtri & tuis accepi. Quo nomine gratias tibi ago. Nondum Hebraicos accepi libros, quos ille ad me ex Italia miſit: quia inter mercimonia Raphelengiana ſunt, quæ nondum huc perlata ſunt. Propediem quum accepero, & illi, vt gratias agam, ſcribam, & à me quoque alias expecta. Euſebius totus mihi denuo deſcribendus. Quindecim menſes, propter expectationem Georgii Syncelli, ceſſat; &, quod caput eſt, quia decem menſes labor indicis Inſcriptionum totum me occupatum habuit. Cui heri cum Deo ſupremam manum admoui. Iam liber ſum: neque ſatis ſcio, magis mirer εὐήθειαν meam. qui tantum oneris mihi imponi paſſus ſim, an patientiam, qui omnibus difficultatibus inuitis ad exitum perſeueraui. Sed nimis garrio. Vale, mi Velſere. IV. Eid. Mai

CIↃIↃCII

EPI-

EPISTOLA CLVIII.

MARCO VELSERO. Quid ad te ſcribam neſcio. Nam poſt vltimas meas, quas vberrimas ad te dedi, nihil, quod te ſcire magni interſit, ſuccurrit. In illis Syncelli illius veſtri ad vos remiſſi cauſas expoſui. Neque eſt cur iterum tibi illa refricem, quę etiam ſemel dixiſſe fortaſſis nimium fuerit. Magnus mihi labor totum reſcribendi Euſebiū incumbit. Nam pro vno, quatuor libri manu propria inſtituendi. Itaque annus eſt, quum aliud nihil ago quam quod ſolent, qui corrigendo operas typographis locant. Apparebit tandem, quā iuſta moræ noſtræ cauſa ſit: & quam miſera conditio mea, qui id ætatis neminem, qui laborem meum leuet, hic habeo. ἐγκακητέον. vincemus. Et tibi vel inprimis, vir magnifice, diligentiam noſtram probabimus. Si quis nos ceſſare putat, fruſtra eſt. tam certe quam qui operā nos ludere exiſtimat. Fabritius antequā Patauio diſcederet, quas ad me miſiſti, me monebat, vt quas primum ad ſe ſcriberem, eas ad te mitterem. Feci, eaſque vna cū Cluſianis huc concluſi, vt tua opera ad illum recte perferantur. Id vt fiat, etiam atque etiam rogo. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Eid. Iunii CIƆ IƆ CII.

EPISTOLA CLIX.

MARCO VELSERO. Modo literas tuas ex a. d. pridie Kal. Aug. quibus ad poſtremas noſtras reſpondes accepi, quas tibi redditas eſſe gaudeo: vt me nō deeſſe officio meo ſcias. Nullas ſane à te accipio, quibus non aut ſtatim, aut non multo poſt reſpondeam. Alioqui copia obrutar, niſi omnibus, quas accipio, ſuo quibuſque ordine & tempore reſpondeam. Tot enim ſæpe ſcri-

ſcribendæ ſunt, vt temporis rei precioſiſſimæ partẽ maximam, hæc opera mihi præripiat. Vt ecce, heſterno die ternas denas ad amicos Galliæ explicaui; nudius tertius nouenas. Interea continuandus eſt improbus labor. Euſebium meũ dico, per quem mihi otioſo eſſe non licet. Iam magnam partem confeci. Supereſt non facilior, & quæ multo acrius me exercitũ habebit. Sequentur Notæ, quæ neque minus temporis poſtulant, neque minorem curam ſibi vindicant, quam ſcriptor ipſe. Georgiũ ex Bibliotheca Regia habeo; non lacunoſum quidem, qualem Vaticanũm eſſe ferunt, ſed à Bibliographo, ſiue antiquario, multis partibus mutilatum, & ab improbo quodam aliquot foliis caſtratum. Itaq; quod inde fructus ſperabam, partim habui, partim non habui. Habeo, quæ alius ſcriptor ſuppeditare non poſſit: non habeo, quæ ille ſuffeciſſet, ſi integrior ad me perueniſſet. Quaquare ſi tuum, quem propediem Venetiis expectas, haberẽ, ſine dubio ex illo, quod in noſtro deeſt, ſuppleri poſſit. Si tibi graue non eſt, vir magnifice, eum mittere ad nos, noli dubitare, quin ea fide ad te remittatur, qua Auguſtanum remiſimus: neque vltra hebdomadem vſuram illius peto. Si ſcias quid in Euſebio præſtiterimus, quid præſtare porro poſſimus, ſi integriorem Georgium nanciſci poſſimus, non dico te operam noſtram laudaturum, ſed & παλιγγενεσίαν Euſebii miraturum. Quæ tua eſt in bonas literas promouendas benignitas, ſcio me hũc librum à te impetraturum. Quod vt quamprimum fiat, oro te, & maximo opere contẽdo. Itaque proximis literis expecto quid mihi de eo ſperãdum ſit. Merulæ noſtri κατεγραφόμενα diu penuria chartæ ceſſarunt. Iterum proceditur in eo opere, ſed [illegible] νείῳ πεδί. Oſtendam illi iam epiſtolam tuam. Nam certus ſum propediem ad te literas daturum. Liturgias Maronitarum, ego quoque habeo. Sed omnes fere Syro ſermone conceptæ

ceptæ ſunt, præter vnam aut alteram, quæ Arabica dialecto, literis Syriacis. Inter legendum eas cum exemplari Elkupti non contuli. Videro aliquando, &, ſi lacunas explere poſſim, illas Liturgias Ægyptiacas veteri ſtylo Eccleſiaſtico Græco reddam: quod equidem in Calendariis Syriaco & Coptitico olim feci. Oro te, mi nobiliſſime vir, vt quamprimum de Georgio tuo ad me ſcribas. Nam quicquid boni ex illo lucubrationi noſtræ acceſſerit, totum tibi referam acceptum, publicoque teſtimonio id commendabo. Vale. Lugduni Batauorum, Idib. Auguſti cIↄ Iↄc II. Valde laudo operam Raderi veſtri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt librum illum. vt ego precium illius excandefecerim. Laudo, inquam, eruditionem hominis, & candorem Germanicum. qui ſine vlla rubigine & maledicentia, tam bene de bono ſcriptore meritus ſit. Iterum Vale.

EPISTOLA CLX.

MARCO VELSERO. Quid ad poſtremas meas literas addam, non habeo: niſi quod memini non reſpondiſſe ad illud de verbo MANICARE apud Euangeliſtam. Quod verbum interpres Latinus excogitauit, vt & L[illegible]ſeniores τὸ ὀρθρίζειν, quo idem Euangeliſta vtitur: quum alioquin neque Græca neq; Latina proprium habeant qua Hebræorum verbum reddant, quod idem quod in Hiſpanico idiotiſmo MADRVGAR ſignificat. Quod ſi vllus Latinus ſcriptor vſurpauit, id vero imitatione interpretis Latini fecit. Hoc oblitus erá literis poſtremis ad te. Porro non verebor iterum de Geotgio Syncello vellere aurem: ſi quidem illum nactus es Venetiis,

tiis. Nam meus multis partibus mutilus, & à calligrapho, qui deſcripſit, male exceptus eſt. Quod ſi illum à te impetro, non dubito, quin ex eo noſtri codicis defectus ſuppleri poſſint. Quanquam non debeo tuæ multis iam olim argumentis perſpectæ mihi comitati diffidere, tamen deſiderium eius libri & neceſſitas ipſa facit, vt non verear iterum te de eadem re compellare. Tu importunitatem meam boni conſule. Merulæ literas hic incluſas habes. Is alias ad te nuper dedit, vt ait. Tu Vale. Lugduni Batauorum. XII. Calend. Septembr. cIↃ IↃC II.

EPISTOLA CLXI.

MARCO VELSERO. Nunquam ſerio triumpho, niſi quum aliquid literarum à te accipio. Heri accepi recentiſſimas, vna cum iis, quas ad Merulam dediſti. Noli dubitare, quin à tuo Georgio, quem Venetiis expectas, melior editio mea Euſebiana fieri poſſit: quum iſte Georgii codex, quem in manibus habeo, ab antiquario, qui deſcripſit, multis partibus mutilatus ſit: cuius temeritatis ſuæ multa paſſim reliquit veſtigia. Nam quæ ſcriptor toties promittit, ea vero nuſquam comparent. Et tamen optimæ notæ ſunt ea, & quæ plurimum induſtriam noſtram adiuuiſſent, ſi ille, quiſquis fuit, intacta reliquiſſet. Præterea tria folia integra ab Imp. Valeriano vſque ad finem Probi abſunt. Denique vbi quædam ſuppetiarum ſpes affulgebat, ibi nihil, præter librarii oſcitantiam, aut potius audaciam, deprehendimus. Liber abhinc annis ſexcentis ſcriptus eſt, ducentis poſt ſæculum auctoris, vt ex charactere colligere poſſumus. Non dubito, exemplar tuum in iis quæ in noſtro deſiderantur eſſe integrius. In Vaticano (nam & ibi quoque aliud

ſeruatur)

ſeruatur) multas lacunas eſſe audio. & Regium, quo vtimur, multis partibus abſolutius. Tamen mihi conſtat & in illo & in veſtro, quæ nos deſideramus, extare, quum defectum hunc non aliunde quam ex culpa librarii contigiſſe videamus. Iuua ergo nos, vir nobiliſſime, & ditionem noſtram promoue, vt beneficii tui apud poſteros teſtata ſemper extet memoria: atque adeo tamdiu, quamdiu Χρονικὰ Εὐσεβίου, aut, ſi malis, quamdiu χρόνος ipſe. Vale. Lugduni Batauorum. VII. Cal. Octobris CIↃ IↃ CII.

Initium Chronologiæ Georgii Syncelli.

Ἐκλογὴ Χρονογραφίας, συνταγεῖσα ὑπὸ Γεωργίου μοναχοῦ Συγκέλλου, γεγονότος Ταρασίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ἀπὸ Ἀδὰμ, μέχρι Διοκλητιανοῦ. Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· ἀρχὴ πάσης χρονικῆς κινήσεως τῆς ὑπὸ χρόνον ὁρατῆς κτίσεως ἐστίν, ἐν ᾗ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρὰ θεοῦ πατρὸς, &c.

Continet paginas 230. membraneas, longitudinis pedalis, latitudinis dodrantalis. Sed reſectæ ſunt ab Hiſtoria Imperatoris Valeriani, ad III. annum Imperatoris Probi. Character bonæ notæ, vetuſtus, qui tempus annorum circiter DC. præfert.

EPISTOLA CLXII.

MARCO VELSERO. Binis ad omnes veſtras fere eodem tempore reſpondi. Poſtremis etiã principium & finem codicis Georgii quo vtor addidi. Sed ex iſtis tuis, quas accepi heri, ſatis conſtat mihi, inutilem fore codicem veſtrum, vt qui tantum ab Herode incipiat. Nam quæ hinc ad finem operis, nõ ſunt quinta eius pars quod

antecedit. At noſter, ab exordio mundi, ad initium Conſtantini, ſeriem rerum & contextum continuat. Vnum dolemus, antiquarium multa ſibi in tollendis iis permiſiſſe, quæ abeſſe non aliter quam ex ipſo auctore perſpicimus. Præterea tria folia nebulo quidam abſcidit, quibus res à Valeriano ad Probum Imperatorem continebantur. Sed contenti hoc Catone erimus: quia aliter non poſſumus: Tibi vero, optime & magnifice vir, gratias agimus quod nihil nobis quod in veſtra poteſtate ſit negaſtis. Libenter igitur illo veſtro carebimus. & moleſtiſſimæ deſcriptioni finem breui imponemus. Iam enim τὴν λιμένα ὁρῶ. Atque adeo vnum te iudicem feram, me non ſine cauſa, quod me moraretur, habuiſſe. Quia vero comitas tua audaciolæ cuidam meæ animos fecit, frontem perfricui. neque verebor orare te, vt hos libellos Romæ abhinc paucis annis excuſos, quorum indiculum adieci, cures mihi. quem Romam ad eos, qui Typographeo Orientalium Linguarum Præfecti ſunt, mittere poteris. Quanti erunt, ego bona fide Nundinis Francofortenſibus proximis perſoluam. Itaque, mi magnifice vir, oro te, quamprimum mihi horum libellorum copia fiat. quorum nulla ſpes nobis fieri poteſt, niſi per amicos, qui iſtic aut negotiantur, aut aliud quid rerum gerunt. Annales tuos recentis fœturæ expecto. Cui enim traditi ſint, nondum ſcio. Quia ii à te ſunt, nihil niſi eximium χρῆμα eſſe poſſunt; neque aliter quam gratiſſimi nobis & illorum: & tuo merito. Vale. Lugd. Bat. xiv. Cal. Nou. M DC II.

Epistola CLXIII.

MARCO VELSERO. Nudiuſtertius tuas accepi, quas a.d. XII. Cal. Decemb. ad me dediſti: hodie vero quas à, d. XVIII. ὕστερον πρότερον. Ex alteris, quę recentiſſimæ

ſimiq; erant, inceſſerat ſuſpicio, poſtremas meas non accepiſſe te, in quibus de libellis Arabicis mentionem inieceram: quia de illis nihil memineras. At priores, quas heri accepi, omne dubium ſuſtulerunt. Itaque quanquam non dubito, quin mea cauſa omnia velis, tamen non poſſum, quin iterum te de eadem re orem, magis vt intelligas quanti faciam illos libros nanciſci, quā vt deſperem te illos parare poſſe: quod ſciam multos iſtic te amicos habere, & magna eſſe in gratia. vt mihi conſtet, omnia in procliui tibi eſſe, modo velis. Annales tuos compactori miſi: quos me cras recepturum ſpero, neq; prius dimiſſurum, quam deuorauero. Eorum nomine gratias egi. ago etiam nunc. maiores etiam agam poſtquam legero. hoc eſt, poſtquam fructum eum, quem ſpero, ex iis collegero. De Georgio Syncello, aſſentior tibi, intereſſe Reipublicæ eum publicari. Poſtquam illis moleſtiis, quibus nunc in eo diſcutiendo conflictor, me extricauero, certiorem te de meo propoſito facere potero. Interea peto (niſi graue eſt) vt lacunam illam, quæ eſt in exemplari Regio, ab initio Imp. Valeriani ad finem Imp Probi explendam cures. Quo nihil eſt, quod ſtudioſius à te contendere velim. Nam ea deſunt, quæ plurimum refert me habere, & quibus ſine magna iactura mei Euſebii carere non poſſum. Quo citius illa accepero, eo commodiore vtar commentariorum meorum ſcriptione, ſi, antequam ſupremam manum impono, eam lacunam expleuero. Non puto vetuſtiorem Georgii codicem, eo quem in manibus habemus, nunc extare. Ante ſexcentos annos ſcriptum arbitror. Neque me fallit coniectura. Sed quod tibi iam ſignificaſſe me memini, mutilata eſt ab antiquario, quum & [illegible] interuerterit Georgii, & multa quorum Georgius meminit omiſerit. Itaque in multis breuiator potius quam deſcriptor eſt. ccxxx. folia membranacea ſunt pedali longitudine, dodrantali latitudine; præter tria

quæ perierunt. De ſtella in pectore Cycni, de qua ad me ſcribis, nihil hactenus neque inaudiui neque obſeruaui. Et miror quid ſit. adeo vereor ne ſit falſa perſuaſio. Vale, mi magnifice vir, Lugduni Batauorum. VI. Eid. Decemb. cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA CLXIV.

MARCO VELSERO. Hodie literas tuas cum ſchedio hominis Itali accepi. Ne, amabo, mi Velſere, amplius tibi de illo libello negotium faceſſas. qui vix inſtar Catonis Diſtichorum eſt. Tanti non eſt, quanti ille vult: nec qui curas tuas debeat morari. Ego carere poſſim illo, qui & illum legi olim, & duabus horis, nec ſolidis, totum deuorare poſſim. Itaque duobus teneor, & gratias tibi agere, & orare te, vt huius ἀπελεγμάτου βιβλιαρίου curam abiicias. Maior vero eſt quæ me tenet cura; de ſupplemento trium foliorum Georgii, ab initio Valeriani, ad finem Probi. Id vt mihi deſcribatur, poſtremis meis te & Dauidem noſtrum oraui. & nunc iterum ſummopere te oro. In Notis Euſebianis nunc ſum. quæ non leui me genere, propter tabulas, quæ conſtruendæ & deſcribendæ ſunt, nunc exercent. Ego autem opus niſi abſolutum Typographo dare non decreui. Burdigalenſis editionis primam pagellam vidi. Ego nihil eorum, quæ minantur editores illi, tango. Nam vulgaria ſunt. Ea à nobis præterita ſunt; & ideo non tangimus, quia leuia; aut ſi meminimus, hoc tantum ἐν παρέργῳ. Nemo præſtabit quod præſtitimus. Patere me καυχ[illegible]ον. Soli enim ſumus, neque quiſquam noſtris verbis [illegible]ſet. Vale, mi Velſere, & ſupplementi Georgiani memineris. Lugduni Batauorum, XII. Calen. Febr. cIↄ Iↄ CIII.

Epistola CLXV.

Marco Velsero. Vix dum literas dederam ad te, quum alias à te accepi, vna cum reliquis περὶ τῶ- δȣς μηνολογίȣ. quod me in admirationem ignorabilium nominum, quæ ibi lego, rapuit. Quod ſi integrum miſiſſes, forte aliqua verum apprehendendi extaret anſa. Neque vero negligendum negotium. Quo magis oro te, vt totum Calendarium iiſdem lineis, eodemque ſitu verborum, niſi graue eſt, ad nos mittas. Alias non video, qua via ad inueſtigandum verum, inſiſtendum ſit, niſi integrum contextum videro. Lemma, aut aliud neſcio quid, poteſt aperire, quod reliqua omnia non poterunt. Ego vero inprimis totius mihi copiam fieri deſidero. Vale. Lugduni Batauorum: Sabbatho poſt Paſcha cIↃ IↃ CIII.

Epistola CLXVI.

Marco Velsero. Vtinam poſſemus illud Calendarium nanciſci! Mirum eſt abhinc tot annis excuſum adeo nobis ignoratum fuiſſe. Non deſperandum, vbi vbi abditum eſt, poſſe erui è latebris, ſi ſagacem narem adhibueris, quæ illam feram è luſtris ſuis excitet. Sperarem aliquando me eius nomina barbara expediturum, ſi ſemel verum apprehendere poſſem. Hoc autem non poteſt, niſi toto Calendarii contextu in conſpectu poſito, & ſingulis nominibus inter ſe collatis. Literæ, quas iam accepi à Dauide noſtro, non mediocri me ſollicitudine affecerunt de mora editioni Procopianæ oblata: quæ eo magis me commouit, quod à falſa cauſa initium ſumpſit. Putas enim Vulcanium editionem ſuam Lugdu-

nenſi Typographo Paetſio tradidiſſe. quod partim verum, partim falſum. Verum eſt, vnum ſpecimen primi quaternionis Προκοπίου περὶ κτισμάτων à Vulcanio editum, idque apud ſe habere, & amicis impertiri. Sed falſum omnino, Προκοπίου ἱστορίαν, quam habet Hœſchelius, edere in animo habere. Nam iamdudum eam curam abdicauit. Quare & tu & ille de hac re quieti eſtote, & editionem veſtram vrgere. Meum Euſebium ſolæ occupationes Typographi & penuria chartæ morantur. Speramus omnes has difficultates propediem explicatum iri. Vale. Lugduni Batauorum, VIII Eidus Iunias cIↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA CLXVII.

MARCO VELSERO. Diu eſt, quum à te nihil literarum. Idem tu queri de me potes: & vtrius iuſtior futura ſit ἀπολογία, neſcio. Tamen fateor lentitudinem meam. De Pſello, quem ope tua accepi, ſummas gratias ago. Opus erat mihi illo libro, vt cum iis Pſellianis eiuſmodi argumenta conferrem, quæ à ſummo viro Caſaubono noſtro accepi. & ſunt quædam eadem, alia diuerſa. Accurate Boica veſtra legi. Nam antea non niſi percurrere ſinebant occupationes meæ. Nihil reliquum feciſti, neque priſcarum rerum inueſtigationi, neque caſtitati orationis, & ſtyli generoſitati. Vtrum magis admirer, neſcio: vtroque ſane valde delectatus ſum. Quæ ſparſim diſiecta legeram, ea in vno conſpectu videre, maioris fructus, & ſolidioris voluptatis fuit. Præſtantia huius primi Tomi nos deſiderare reliqua non ſinit, quæ quodam iure à te exigere poſſumus. quandoquidem tam ſucculento principio finis deeſſe non debet: & tanto operi qui ſuccedat, habes præter te neminem. Quantam ſitim mihi Calendarii illius lacinia excitauit, quam ſuperio-

bus menſibus ad me miſiſti, non poſſum vllis literis tibi narrare. Tanta eſt, vt nōverear te ſæpius, de reliquo conquirendo, iterum iterumque compellare. & faciam, donec acceperο, aut ſpes accipiendi omnis præciſa ſit. Meo Euſebio nihil deeſt, præter typographum. Ne id quidem deeſt, ſed tempus, & vacua opera. quæ nunc occupatur futilibus partim, partim non maioris momenti, quam Euſebius meus eſt, libris excudendis. Itaque quanquam Curatores Academiæ auctoritate ſua illos ad ſuſcipiendum opus adegerint, tamen ipſi, antequam illa abſoluta ſint quæ ſub prælo ſunt, negant ſibi commodum eſſe aliquid incipere. Expecto igitur illorum commodum, vt Lacedæmonii plenilunia ſua. Differor tamen indignatione, tum quod vigiliæ meæ non compareant, tum quia, quominus Euſebius prodeat, meam iſtam non typographorum culpam interpretantur nonnulli, qui tam libenter illam editionem differri audiunt, quam magno emant non prodire. De Burdigalenſi quid ſperemus, neſcio. Nullum enim adhuc ſignum ab arce datum eſt, præter pagellam illam quam videre potuiſti. Quæ ſit editoris eruditio, ſcio. Quantum in illo opere ab eo nauatum, & id quoque ſcio. Sed quid nos effecerimus, neque illum ſcire conſtat mihi, neque crediturum, niſi viderit, puto. Vale. Lugduni Batauorum, VI. Calend. Septembr. CIƆ IƆC III. Mearum Liturgiarum quam ſpem mihi facias, velim ſcire. Metuo ne liber tot manibus tritus, deterior fiat. & periculum eſt, ne Romam miſſus vix ad dominum ſuum redeat. Certe nihil eſt penes me quod non tibi vindicare iure tuo poſſis, tamen quid illo libro fa[illegible]ſit, oro me vt certiorem facias.

Iterum vale.

EPISTOLA CLXVIII.

MARCO VELSERO. De Hippocrate quod quæris, ego peroptimo & peruetuſtiſſimo ex Bibliotheca Regia ſum vſus. Vetuſtiorem & meliorem illius ſummi ſcriptoris codicem extare vllum hodie non puto. Si quem in poteſtate mea haberem, non multis verbis ad impetrandum opus fuiſſet. Nam nihil meum eſſe poſſum dicere, quod vobis vſui eſſe poteſt. In iſtis regionibus nemo, quod ſciam, ſcriptum Hippocratem habet: ne Vulcanius quidem noſter, qui multos aliorum veterum auctorum (præſertim Sanctorum Patrum) codices vetuſtos penes ſe habet. Meus Euſebius excuditur. Plus in parando illi Typographo, quam in eo deſcribendo, illuſtrando & componendo, ſudaui. Quantum autem in Typographo conquirendo laboris ſumpſi, tantum mihi in opere vrgendo ſumendum video. Tanta eſt lentitudo horum hominum. Quæ quum multum moræ operi adferre poſſit, non parum ipſa quoque moles operis, & tabularum, quæ & non paucæ ſunt, neque expediti laboris retardabit conſtructio. Vrgebo tamen, quantum in me erit; neque patiar, aut per lentitudinem eorum, aut diſſimulationem meam, moram aut vitium vllum operi interuenire. Vale. Lugdun. Batauor. VI. Eid. Decembris CIϽ IϽ CIII.

EPISTOLA CLXIX.

MARCO VELSERO. Ex quo meas Liturgias accepi, binas ad vos dedi; idque fere in continenti. Quare interea nihil literarum à vobis acceperim, niſi [illegible] poſſum quam coniicere. Quid de Liturgiarum interpretatione ſentirem, vobis aperui. Quum operam interpretum ſatis laudare non poſſim, illud tamen non probo, quod

quod multa omiſerunt, quodque lacunas mei libri ex altero exemplari expleuiſſe ſe glorientur; quum tamen omnes quæ in libro meo ſunt, ab illis ſint præteritæ; ex interpretationis vero ſuæ contextu, ſe nullo alio quam meo exemplari vſos eſſe, ſatis oſtendant. Hoc ego ſi laudem, poſtremus hominum ſim. Quæ igitur ab illis omiſſa, à nobis reſtituta, quæque ab illis præpoſtere interpretata, oſtendere vobis poſſim, ſi ſenſero vobis non ingratum fore. Veſtrum eſt exigere à nobis: noſtrum communicare. Nam meo iudicio, pace Græcorum dicam, ne illæ Græcæ quidem Liturgiæ cum noſtris illis comparandæ ſunt. In noſtris enim plura venerandæ vetuſtatis veſtigia ſuperſunt, præſertim περὶ διπτύχων, quæ ipſis interpretibus οὐδ' ὄναρ ſuccurrerunt. Meus Euſebius cum tardigradis & tironibus operis rem habet. Non alis votorum meorum ſed pedibus ignauorum hominum progreditur. Expreſſi tandem, vt duobus prælis res tranſigatur. Indignatione differor, quum iſtis teſtudinibus me operam nauaſſe video. Illi ringentē me ridēt. Ego meam ſortem deploro. Vale. Lugduni Batauorum. CIↃ IↃXCIV. Eidibus IunI.

EPISTOLA CLXX.

MARCO VELSERO. Parum abfuit quin crediderim me tibi excidiſſe, adeo magnum interuallum interceſſit inter eas quas poſtremas à te acceperam, & eas quę heri mihi redditæ fuerunt: quæ vt mihi ſolicitudinem ademerunt propter poſtremas meas quas putabam periiſſe, [illegible]o dolori mihi fuerunt, propter binas ſuperiores, quas ex tuis colligo periiſſe; quanquam vtraſque Mercatori illi Leydenſi dederam, qui omnes reliquas hactenus recte curauerat. Sed certum eſt, nullas me daturum

rum illi. tum quia tam negligenter alteras curauit; tum quia diu ab hac vrbe abeſt: totam enim æſtatem in Friſia reſedit; atque ibi adhuc hæret. Exemplar vnum Liturgiarum, ad archetypum Arabicum emendatum, & multis partibus ſuppletum ad te mitto. Tu iudica, & omnia boni conſule. Vale. x. Calend Octobris CIↃ IↃC IV. Euſebius quotidie excuditur, quanquam πάνυ δὴ βραδέως, neque, vt tibi videtur, tam cito nundinas ſpirat. Eſt enim ingens opus. De Procopio velim ſcire quid moliamini: vt de Theophane ac Faſtis Siculis. Iterum Vale.

EPISTOLA CLXXI.

MARCO VELSERO. Breuiſſimum gaudium mihi attulerunt literæ tuæ. Antequam eas reſignarem, perſuadebam mihi aliquid de exemplari Liturgiarum te dicturum. Nunc ſilentium tuum tam miror, quam me fruſtra exſpectaſſe doleo quod minime oportuit. Ego exemplar vnum à me emendatum, illis, quas reliquerant, lacunis ſuppletis, ad te ante menſes duos miſi. Id recte à ſe curatum tibi, Ioannes Hunger ſancte iurat. Vt non dubitet in manus tuas perueniſſe. Itaque velim, num acceperis, certiorem me facias; aut, ſi acceperiſti, an gratum fuerit accepiſſe. Neque vnquám conquieſcam, priuſquam hanc mihi ſollicitudinem adimam ex animo. De Procopio quoque quid à te & Hœſchelio noſtro inſtitutum ſit, non parum laboro; Si enim illic non editur, ego reperi qui hic edère recipiat: quum in illo Euſebio ita felix non fuerim, qui tironibus typographis tantum opus committere coactus ſum. Beabis me, ſi ad vtrumque reſponderis quamprimum. quod vt fa-

dias, ſummopere à te contendo. Nunc ad Chronologi tui ἐπιχειρήματα venio, quibus nihil abſurdius excogitari poteſt. Ad quæ ſingula ſi reſpondere velim, iuſtus liber ſatis non erit. Perſtringam tamen ſumma quæque; vt quum illa aperuero, de reliquis quid exiſtimare debeas; procliuius ſit ſtatuere. Chriſtum paſſum XXIII. Martii, & XXIIII. reſurrexiſſe non ſolum Victor, quem adducit, ſed & multi poſt tempora Conſtantini Magni, arbitrati, & in libris ſuis teſtati ſunt: argumento hoc vſi, quod qua die conceptus fuit Dominus, ea neceſſario oportuiſſe à mortuis reſurgere. Quin & eandem diem primam rerum conditus fuiſſe. Vnde Eccleſiaſtici ſcriptores Græci πρωτόκτιστον ἡμέραν vocant. Hæc omnia tam cœpta ſunt credi, poſtquam Eccleſia Latina Natalem Domini in XXV. Decembris, conceptionem eius in XXV. Martii; Ioannis Baptiſtæ in XXIV. Septembris. Natalem eius in XXIV. Iunii, ſtatuit: qui quatuor ſunt anni cardines τῶν τροπῶν καὶ τῶν ἰσημερινῶν. Quæ ſingula Io. Chryſoſtomus in oratione de Natali Domini in vrbe veſtra excuſi, longa diſputatione diſſeruit. de quibus nos alibi ſatis. Nunc, quod illi, & Chronologus poſt illos, adſtruunt, Chriſtum XXIII. Martii paſſum, non dicam abſurdum, ſed impium eſt. Abſurdum, quod in Hiſtoriam; impium, quod in verba Euangeliſtæ peccet. Abſurditas patet dupliciter, quod is annus erat XVI. Tiberii. Ideo vnus annus interiectus inter baptiſmum & reſurrectionem fuerit, item quod anno illo quartadecima Luna Niſan non fuit XXIII, ſed XIV. Martii. Præterea quod ſæculo Chriſti quarta decima Luna non potuit eſſe XXIII. Martii, niſi anno Dionyſiano IIII, aut XXIII, aut XLII. Vides ἀτοπήματα. Sed eſt Victorinis & aliorum omnium veterum error: qui putarunt, quartasdecimas Lunas ſemper in eadem die Iuliana hærere, & Lunam poſt XVI. enneadecaete-

caeteridas, vnum diem anteuertere ignorarũt. Quæ fuit cauſa, cur eo tempore faſtos corrigere inſtituit Eccleſia. Atque hæc ſunt peccata à Chronologo; in hiſtoriam tam doctrinæ anni Iudaici, quam geſtorum Domini. In Euangelica dicta peccat, quod vnum tantum inter Baptiſmum & reſurrectionem annum interiicit, quum in Euangelio ſecundum Ioannem diſerte quatuor Paſchata, hoc eſt, triennium ſolidum, expreſſa ſint. Viderit igitur ipſe, quam bene Archimedem & Euclidem obiiciat nobis: quibus, quod valde miror, opponit Patres. Nam in illis, quos producit, Tertullianus eodem anno baptiſatum & paſſum duobus Geminis Coss. dicit, quod eſt ineptiſſimum. Epiphanius biennium, quod nos olim confutauimus: Euſebius & Africanus triennium. Propius vero, idque anno IIII. Olympiadis CII, non autem II, vt ipſe vult. Denique nullus eorum quos producit, alius alii in hac re conſentit. Et tamen ſic adducit eos, quaſi idem ſenſerint. Iam quod ait, Chriſtum anno Iuliano 42. natum, Herodem anno XLIII. mortuum, adeo delira ſunt, vt ne confutatione quidem illa digner. Omnino quiſquis eſt, & in lectione Patrum & in Hiſtoria, & in rationibus Chronologicis puer eſt. Riſi, quum ex Macrobio, & natalis Chriſti & mortis Herodis tempus nobis expiſcandum præcipit. Si illum amas, mone amice, vt aut ab aliis iſta diſcat, aut ne iſta alios doceat. Videor ſcire qui ſit; &, niſi fallor, vbi eſt, eſt primi loci homo. Poſſum falli. Puto tamen eum eſſe. Ne traducat igitur ſe, quia tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto qui peccat maior habetur. Ego, mi Velſere, non memini me maiores nugas in hoc genere legiſſe. Sed quiſquiliis omiſſis, fac quamprimum ſciam, an Liturgias acceperis. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Calend. Decemb.

cIɔ Iɔc IV.

Epi-

EPISTOLA CLXXII.

MARCO VELSERO. Quanquam ſero mihi gratulor Liturgias tibi recte redditas fuiſſe, tamen non mediocriter gaudeo, & maturius tibi redditas, quam putabam, & gratum tibi meum laborem, quem tuo nomine ſuſceperam fuiſſe. Quum præcipua hæc cauſa fuerit, cur eas iterum relegeram. A Diptychis duo manarunt: quæ tam in Orientis quam in Occidentis hodie Eccleſiæ extant, αἱ λιτανεῖαι καὶ τὰ μαρτυρολόγια. Litaniæ ἀπὸ τοῦ κύριε ἐλέησον incipiunt; partibus duabus, Sanctorum memoria & precibus, conſtant. hoc in illis Liturgiis clare extat. Nam Diptycha in illis à verbo [illegible], hoc eſt ἐλέησον, incipiunt. Sanctorum quædam, ſed non omnium commemoratio eſt. Nam continuatur à plebe. Sequuntur ſupplicationes, quæ duplices ſunt: bonorum impetrandorum & malorum auertuncandorum. Hæc tu, melius, quam ego, noſti. Ea quoque & diſerte concepta in contextu Liturgiæ extant, & ſi quæ non expreſſa ibi ſunt, à populo ἐκ τῆς λαϊκῆς σχέσεως continuantur: quia nota ſunt. Ego, mi Velſere, audeo dicere, longe integriora & vetuſtiora illa Arabica eſſe, quam ſunt ea quibus Græci hodie vtuntur. quod probandi ſi neceſſitas mihi imponatur, & libenter fecero, & vero vicero. Conicčturam meam de Chrenologo, ſiue illa falſa eſt, ſiue vera, taceri poſtulo. Quidquid ego huius ſuſpicabar, cur hoc facerem, non leues cauſæ me mouerunt: quas & tibi probarem ſi opus eſſet. Hæc omnia *In vento & rapida ſcribere oportet aqua.* Quem tu à me deſignari putas, ego, vt debeo obſeruo. Hoc eius & dignitas & dotes animi non à me ſolum, ſed ab omnibus qui aliquo humanitatis ſenſu præditi ſunt, exigunt. Sed ambitionis quoſdam adigit pruritus etiam de iis quæ ignorant ſcribere. Ego in Euſebianis meis, quam noua hæc doctrina, & à ne-

& à nemine hactenus ſit intellecta, oſtendam. In Euſebio meo paucis abhinc diebus ſatis gnauiter quotidie pergitur. Quæſtus enim ſui cauſa, aliud opus operæ ſuſceperant, quod curſum noſtri impediuit. Fruſtra tamen tam cito expectatur. nondum ad dimidium peruentum eſt. Quum me & ætatem meam reputo, vereri ſubit, ne opus poſthumum relinquam. Certe ſi fœtum illum patre ſuo orbum relinquimus, multum de nitore & de integritate, quam præſtare ipſi poſſumus, diſcedet. Sed in eius manu id poſitum eſt qui ius in omnia habet. Tot literas tuas ad me, & tantum mearum ad te, periiſſe, ſatis dolere non poſſum. Hunger tamen recte ſe curaſſe eas, ſerio pertendit. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Martiis cIↃ IↃC V.

EPISTOLA CLXXIII.

MARCO VELSERO. Poſtremis literis tuis teamplius mei Euſebii deſiderium ferre poſſe negabas. Ego vero non minore illum extrudendi, quam tu habendi, amore teneor. Atque vtinam hac in parte tibi ſatisfacere poſſem. Vna enim opera & illis ſatisfacerem, quorum querelæ quotidianæ magis dolorem meum accendunt, quam Euſebium promouent: qui quum illum ceſſare audiunt, iniuriam ſibi à me fieri putant; neq; vero Euſebium edere, ſed promittere putant. Parum abeſt, quin nomen mihi fiat Δώζων, vt illi Syriæ Regi, qui ipſis verbis liberalis erat. Iam biennium abiit, poſtquam miſer ille fœtus prælo ſubiectus eſt: qui octauo poſt menſe plane potuiſſet, ſi tantus pudor eſſet Typographis quantus eſt amor priuati compendii. Iam alterum annum expectandum fuiſſet, niſi alios imploraſſem, qui mihi ſuppetias irent. Itaque his diebus præteritis hominem

proſum,

bus deſinentis imperii Diocletianei, & ineuntis Conſtantiniani committitur? Sub Aurelio Seuero Alexandro Aug. Maximus II cum Paterno, & Maximus III cum Vrbano componuntur. in Cyclo Paſchali Maximus & Paternus, Maximus II & Vrbanus. Qui aliis dicuntur duo Aſperi, ii Victoriano Paſchali ſunt duo Apri. Plus addidit Siculus Chronologus Ἄπρου τοῦ δευτέρου, καὶ Ἄπρου. Totidem Apri vtrique Chronologo, ſed prior iterum Conſul. Tanta varietas quid aliud, quā incerta conſulatuum tempora arguit? Itaque latiſſimus patet reformationi campus. Cui quem magis idoneum dicam, quam te, neminem ſcio. Ego in paucis promittere opem meam poſſim: in paulo pluribus alii meliorem præſtiterint: in omnibus nulli. Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum & Chaldæorum inuentum. vt eiuſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruarent. Puta, ſi σφραγῖδα aduerſus ſcorpiorum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante Scorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro. Græci eiuſmodi σφραγῖδας στοιχεῖα, Arabes TALISMAN vocant: verbum στοιχειῶσαι: homines qui id facerent, στοιχειωματικοὺς dicunt. Vide καρπὸν ſiue Centiloquium Ptolemæi, aphoriſmo nono, & ibi Commentarium Haly. qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Gefar, vt in Hebraico meo Codice manuſcripto legitur. Horum στοιχείων ex LX cap. Chiliados II Ioannis Tzētzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum στοιχείων notitiam habere placet. Et ſane lectio non iniucunda. Nam in illo capite Apollonius ſculptura Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De Annulis ſculptis horo-

 ſcopan-

& à nemine hactenus ſit intellecta, oſtendam. In Euſebio meo paucis abhinc diebus ſatis gnauiter quotidie pergitur. Quæſtus enim ſui cauſa, aliud opus operæ ſuſceperant, quod curſum noſtri impediuit. Fruſtra tamen tam cito expectatur. nondum ad dimidium peruentum eſt. Quum me & ætatem meam reputo, vereri ſubit, ne opus poſthumum relinquam. Certe ſi fœtum illum patre ſuo orbum relinquimus, multum de nitore & de integritate, quam præſtare ipſi poſſumus, diſcedet. Sed in eius manu id poſitum eſt qui ius in omnia habet. Tot literas tuas ad me, & tantum mearum ad te, periiſſe, ſatis dolere non poſſum. Hunger tamen recte ſe curaſſe eas, ſerio pertendit. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Martiis cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA CLXXIII.

MARCO VELSERO. Poſtremis literis tuis te amplius mei Euſebii deſiderium ferre poſſe negabas. Ego vero non minore illum extrudendi, quam tu habendi, amore teneor. Atque vtinam hac in parte tibi ſatisfacere poſſem. Vna enim opera & illis ſatisfacerem, quorum querelæ quotidianæ magis dolorem meum accendunt, quam Euſebium promouent: qui quum illum ceſſare audiunt, iniuriam ſibi a me fieri putant; neq; vero Euſebium edere, ſed promittere putant. Parum abeſt, quin nomen mihi fiat Δώζων, vt illi Syriæ Regi, qui ipſis verbis liberalis erat. Iam biennium abiit, poſtquam miſer ille fœtus prælo ſubiectus eſt: qui octauo poſt menſe plane potuiſſet, ſi tantus pudor eſſet Typographis quantus eſt amor priuati compendii. Iam alterum annum expectandum fuiſſet, niſi alios imploraſſem, qui mihi ſuppetias irent. Itaque his diebus præteritis hominem probum,

bus deſinentis imperii Diocletianei, & ineuntis Conſtantiniani committitur? Sub Aurelio Seuero Alexandro Aug. Maximus II cum Paterno, & Maximus III cum Vrbano componuntur. in Cyclo Paſchali Maximus & Paternus, Maximus II & Vrbanus. Qui aliis dicuntur duo Aſperi, ii Victoriano Paſchali ſunt duo Apri. Plus addidit Siculus Chronologus Ἄπρου τὸ δεύτερον, καὶ Ἄπρου. Totidem Apri vtrique Chronologo, ſed prior iterum Conſul. Tanta varietas quid aliud, quā incerta conſulatuum tempora arguit? Itaque latiſſimus patet reformationi campus. Cui quem magis idoneum dicam, quam te, neminem ſcio. Ego in paucis promittere opem meam poſſim: in paulo pluribus alii meliorem præſtiterint: in omnibus nulli. Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum & Chaldæorum inuentum. vt einſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruarent. Puta, ſi σφραγῖδα aduerſus ſcorpiorum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante Scorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro. Græci eiuſmodi σφραγῖδας στοιχεῖα, Arabes TALISMAN vocant: verbum στοιχειῶσαι: homines qui id facerent, στοιχειωματικοὺς dicunt. Vide καρπὸν ſiue Centiloquium Ptolemæi, aphoriſmo nono, & ibi Commentarium Haly. qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Gefar, vt in Hebraico meo Codice manuſcripto legitur. Horum στοιχείων ex LX cap. Chiliados I Ioannis Tzetzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum στοιχείων notitiam habere placet. Et ſane lectio non iniucunda. Nam in illo capite Apollonius ſculptura Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De Annulis ſculptis horoſcopan-

& à nemine hactenus ſit intellecta, oſtendam. In Euſebio meo paucis abhinc diebus ſatis gnauiter quotidie pergitur. Quæſtus enim ſui cauſa, aliud opus operæ ſuſceperant, quod curſum noſtri impediuit. Fruſtra tamen tam cito expectatur. nondum ad dimidium peruentum eſt. Quum me & ætatem meam reputo, vereri ſubit, ne opus poſthumum relinquam. Certe ſi fœtum illum patre ſuo orbum relinquimus, multum de nitore & de integritate, quam præſtare ipſi poſſumus, diſcedet. Sed in eius manu id poſitum eſt qui ius in omnia habet. Tot literas tuas ad me, & tantum mearum ad te, periiſſe, ſatis dolere non poſſum. Hunger tamen recte ſe curaſſe eas, ſerio pertendit. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Martiis clↄ Iↄc v.

EPISTOLA CLXXIII.

MARCO VELSERO. Poſtremis literis tuis te amplius mei Euſebii deſiderium ferre poſſe negabas. Ego vero non minore illum extrudendi, quam tu habendi, amore teneor. Atque vtinam hac in parte tibi ſatisfacere poſſem. Vna enim opera & illis ſatisfacerem, quorum querelæ quotidianæ magis dolorem meum accendunt, quam Euſebium promouent: qui quum illum ceſſare audiunt, iniuriam ſibi a me fieri putant; neq; vero Euſebium edere, ſed promittere putant. Parum abeſt, quin nomen mihi fiat Δωζων, vt illi Syriæ Regi, qui ipſis verbis liberalis erat. Iam biennium abiit, poſtquam miſer ille fœtus prælo ſubiectus eſt: qui octauo poſt menſe plane potuiſſet, ſi tantus pudor eſſet Typographis quantus eſt amor priuati compendii. Iam alter annus nullum expectandum fuiſſet, niſi alios imploraſſem, qui mihi ſuppetias irent. Itaque his diebus præteritis hominem

probum,

bus deſinentis imperii Diocletianei, & ineuntis Conſtantiniani committitur? Sub Aurelio Seuero Alexandro Aug. Maximus II cum Paterno, & Maximus III cum Vrbano componuntur. in Cyclo Paſchali Maximus & Paternus, Maximus II & Vrbanus. Qui aliis dicuntur duo Aſperi, ii Victoriano Paſchali ſunt duo Apri. Plus addidit Siculus Chronologus Ἄπρου τὸ δεύτερον, καὶ Ἄπρου. Totidem Apri vtrique Chronologo, ſed prior iterum Conſul, Tanta varietas quid aliud, quã incerta conſulatuum tempora arguit? Itaque latiſſimus patet reformationi campus. Cui quem magis idoneum dicam, quam te, neminem ſcio. Ego in paucis promittere opem meam poſſim: in paulo pluribus alii meliorem præſtiterint: in omnibus nulli. Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum & Chaldæorum inuentum. vt eiuſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruarent. Puta, ſi σφραγῖδα aduerſus ſcorpiorum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante Scorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro, Græci eiuſmodi σφραγῖδας ςοιχεῖα, Arabes TALISMAN vocant: verbum ςοιχειῶσαι: homines qui id facerent, ςοιχειωματικοὺς dicunt. Vide καρπὸν ſiue Centiloquium Ptolemæi, aphoriſmo nono, & ibi Commentarium Haly. qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Gefar, vt in Hebraico meo Codice manuſcripto legitur. Horum ςοιχείων ex LX cap. Chiliados I I I Ioannis Tzetzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum ςοιχείων notitiam habere placet. Et ſane lectio non iniucunda. Nam in illo capite Apollonius ſculptura Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De Annulis ſculptis horo-

& à nemine hactenus ſit intellecta, oſtendam. In Euſebio meo paucis abhinc diebus ſatis grauiter quotidie pergitur. Quæſtus enim ſui cauſa, aliud opus operæ ſuſceperant, quod curſum noſtri impediuit. Fruſtra tamen tam cito expectatur. nondum ad dimidium peruentum eſt. Quum me & ætatem meam reputo, vereri ſubit, ne opus poſthumum relinquam. Certe ſi fœtum illum patre ſuo orbum relinquimus, multum de nitore & de integritate, quam præſtare ipſi poſſumus, diſcedet. Sed in eius manu id poſitum eſt qui ius in omnia habet. Tot literas tuas ad me, & tantum mearum ad te, periiſſe, ſatis dolere non poſſum. Hunger tamen recte ſe curaſſe eas, ſerio pertendit. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Martiis cIɔ Iɔc v.

EPISTOLA CLXXIII.

MARCO VELSERO. Poſtremis literis tuis te ampliuſ mei Euſebii deſiderium ferre poſſe negabas. Ego vero non minore illum extrudendi, quam tu habendi, amore teneor. Atque vtinam hac in parte tibi ſatisfacere poſſem. Vna enim opera & illis ſatisfacerem, quorum querelæ quotidianæ magis dolorem meum accendunt, quam Euſebium promouent: qui quum illum ceſſare audiunt, iniuriam ſibi à me fieri putant; neq; vero Euſebium edere, ſed promittere putant. Parum abeſt, quin nomen mihi fiat Δώζων, vt illi Syriæ Regi, qui ipſis verbis liberalis erat. Iam biennium abiit, poſtquam inter ille fœtus prælo ſubiectus eſt: qui octauo poſt menſe plane potuiſſet, ſi tantus pudor eſſet Typographis quantus eſt amor priuati compendii. Iam alterum annum expectandum fuiſſet, niſi alios imploraſſem, qui mihi ſuppetias irent. Itaque his diebus præteritis hominem

probum,

bus deſinentis imperii Diocletianei, & ineuntis Conſtantiniani committitur? Sub Aurelio Seuero Alexandro Aug. Maximus II cum Paterno, & Maximus III cum Vrbano componuntur. in Cyclo Paſchali Maximus & Paternus, Maximus II & Vrbanus. Qui aliis dicuntur duo Aſperi, ii Victoriano Paſchali ſunt duo Apri. Plus addidit Siculus Chronologus Ἄπρου τὸ δεύτερον, καὶ Ἄπρου. Totidem Apri vtrique Chronologo, ſed prior iterum Conſul, Tanta varietas quid aliud, quā incerta conſulatuum tempora arguit? Itaque latiſſimus patet reformationi campus. Cui quem magis idoneum dicam, quam te, neminem ſcio. Ego in paucis promittere opem meam poſſim: in paulo pluribus alii meliorem præſtiterint: in omnibus nulli. Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum & Chaldæorum inuentum. vt einſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruarent. Puta, ſi σφραγῖδα aduerſus ſcorpiorum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante Scorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro. Græci eiuſmodi σφραγῖδας στοιχεῖα, Arabes TALISMAN vocant: verbum στοιχειῶσαι: homines qui id facerent, στοιχειωματικοὺς dicunt. Vide καρπὸν ſiue Centiloquium Ptolemæi, aphoriſmo nono, & vbi Commentarium Haly. qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Gefar, vt in Hebraico meo Codice manuſcripto legitur. Horum στοιχείων ex LX cap. Chiliados XI Ioannis Tzetzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum στοιχείων notitiam habere placet. Et ſane lectio non iniucunda. Nam in illo capite Apollonius ſculptura Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De Annulis ſculptis horoſcopan-

caeteridas, vnum diem anteuertere ignorarũt. Quæ fuit cauſa, cur eo tempore faſtos corrigere inſtituit Eccleſia. Atque hæc ſunt peccata à Chronologo; in hiſtoriam tam doctrinæ anni Iudaici, quam geſtorum Domini. In Euangelica dicta peccat, quod vnum tantum inter Baptiſmum & reſurrectionem annum interiicit, quum in Euangelio ſecundum Ioannem diſerte quatuor Paſchata, hoc eſt, triennium ſolidum, expreſſa ſint. Viderit igitur ipſe, quam bene Archimedem & Euclidem obiiciat nobis: quibus, quod valde miror, opponit Patres. Nam in illis, quos producit, Tertullianus eodem anno baptiſatum & paſſum duobus Geminis Coss. dicit, quod eſt ineptiſſimum. Epiphanius biennium, quod nos olim confutauimus: Euſebius & Africanus triennium. Propius vero, idque anno IIII. Olympiadis CII, non autem II, vt ipſe vult. Denique nullus eorum quos producit, alius alii in hac re conſentit. Et tamen ſic adducit eos, quaſi idem ſenſerint. Iam quod ait, Chriſtum anno Iuliano 42. natum, Herodem anno XLIII. mortuum, adeo delira ſunt, vt ne confutatione quidem illa digner. Omnino quiſquis eſt, & in lectione Patrum & in Hiſtoria, & in rationibus Chronologicis puer eſt. Riſi, quum ex Macrobio, & natalis Chriſti & mortis Herodis tempus nobis expiſcandum præcipit. Si illum amas, mone amice, vt aut ab aliis iſta diſcat, aut ne iſta alios doceat. Videor ſcire qui ſit; &, niſi fallor, vbi eſt, eſt primi loci homo. Poſſum falli. Puto tamen eum eſſe. Ne traducat igitur ſe, quia tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto qui peccat maior habetur. Ego, mi Velſere, non memini me maiores nugas in hoc genere legiſſe. Sed quiſquiliis omiſſis, fac quamprimum ſciam, an Liturgias acceperis. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Calend. Decemb.

cIↃ IↃC IV.

EPI-

EPISTOLA CLXXII.

MARCO VELSERO. Quanquam ſero mihi gratulor Liturgias tibi recte redditas fuiſſe, tamen non mediocriter gaudeo, & maturius tibi redditas, quam putabam, & gratum tibi meum laborem, quem tuo nomine ſuſceperam fuiſſe. Quum præcipua hæc cauſa fuerit, cur eas iterum relegeram. A Diptychis duo manarunt: quæ tam in Orientis quam in Occidentis hodie Eccleſiæ extant, αἱ λιτανεῖαι καὶ τὰ μαρτυρολόγια. Litaniæ ἀπὸ τοῦ κύριε ἐλέησον incipiunt; partibus duabus, Sanctorum memoria & precibus, conſtant. hoc in illis Liturgiis clare extat. Nam Diptycha in illis à verbo [illegible], hoc eſt ἐλέησον, incipiunt. Sanctorum quædam, ſed non omnium commemoratio eſt. Nam continuatur à plebe. Sequuntur ſupplicationes, quæ duplices ſunt: bonorum impetrandorum & malorum auerruncandorum. Hæc tu, melius, quam ego, noſti. Ea quoque & diſerte concepta in contextu Liturgiæ extant, & ſi quæ non expreſſa ibi ſunt, à populo ἐκ τῆς λαϊκῆς φράσεως continuantur: quia nota ſunt. Ego, mi Velſere, audeo dicere, longe integriora & vetuſtiora illa Arabica eſſe, quam ſunt ea quibus Græci hodie vtuntur. quod probandi ſi neceſſitas mihi imponatur; & libenter fecero, & vero vicero. Conicecturam meam de Chrenologo, ſiue illa falſa eſt, ſiue vera, taceri poſtulo. Quidquid ego huius ſuſpicabar, cur hoc facerem, non leues cauſæ me mouerunt; quas & tibi probarem ſi opus eſſet. Hæc omnia *In vento & rapida ſcribere oportet aqua.* Quem tu à me deſignari putas, ego vt debeo obſeruo. Hoc eius & dignitas & dotes animi non à me ſolum, ſed ab omnibus qui aliquo humanitatis ſenſu præditi ſunt, exigunt. Sed ambitionis quoſdam adigit pruritus etiam de iis quæ ignorant ſcribere. Ego in Euſebianis meis, quam noua hæc doctrina, & à ne-

bus deſinentis imperii Diocletianei, & ineuntis Conſtantiniani committitur? Sub Aurelio Seuero Alexandro Aug. Maximus II cum Paterno, & Maximus III cum Vrbano componuntur. in Cyclo Paſchali Maximus & Paternus, Maximus II & Vrbanus. Qui aliis dicuntur duo Aſperi, ii Victoriano Paſchali ſunt duo Apri. Plus addidit Siculus Chronologus Ἄπρου τὸ δεύτερον, καὶ Ἄπρου. Totidem Apri vtrique Chronologo, ſed prior iterum Conſul, Tanta varietas quid aliud, quã incerta conſulatuum tempora arguit? Itaque latiſſimus patet reformationi campus. Cui quem magis idoneum dicam, quam te, neminem ſcio. Ego in paucis promittere opem meam poſſim: in paulo pluribus alii meliorem præſtiterint: in omnibus nulli. Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum & Chaldæorum inuentum. vt einſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruarent. Puta, ſi σφραγῖδα aduerſus ſcorpiorum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante Scorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro. Græci eiuſmodi σφραγῖδας στοιχεῖα, Arabes TALISMAN vocant: verbum στοιχειῶσαι: homines qui id facerent, στοιχειωματικοὺς dicunt. Vide καρπὸν ſiue Centiloquium Ptolemæi, aphoriſmo nono, & ibi Commentarium Haly. qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Gefar, vt in Hebraico meo Codice manuſcripto legitur. Horum στοιχείων ex LX cap. Chiliados XI Ioannis Tzetzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum στοιχείων notitiam habere placet. Et ſane lectio non iniucunda. Nam in illo capite Apollonius ſculptura Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De Annulis ſculptis horo-

ſcopante Scorpio, ne à ſcorpiis ii, qui eos geſtarent, læderentur, extat illuſtre exemplum apud Geographum Araba. Qui eiuſmodi amuletis muniti ſunt aduerſus externa, vt ipſis videbatur, nocumenta, ii Græcis ἐςοιχειωμένοι, Arabibus *muttaliſmanin* dicuntur. De annulis Phyſicis ſatis multa in Manilianis diximus. Rurſus de annulo aduerſus ſcorpionum ictus habes luculentum in Dactyliotheca Abrahami Gorlæi noſtri, figura 45, teſtimonium. in quo Scorpius eſt horoſcopans, Leo culminans. Et longe clarius figura 105. vbi præterea planetæ ☽ ♀ ♂, & rurſus 104, ſeptem planetæ cum horoſcopo Scorpionis. Et 14 Mucius Scæuola foculo manum iniiciens cum planeta Martis ♂, & tribus characteribus ☊ ♈ ♏. quorum primus omnino eſt δεσμὸς καταβιβάζων, reliqui mihi ignoti. Et in 144 duodecim ſigna cum planetis. cuius figuræ exempla hodie multa apud antiquitatis cultores extāt, & nos aliquot vidimus. Multi autem characteres, qui in his ςοιχείοις viſuntur, non ſunt ex iis, qui apud nationes in vſum literarum recepti ſunt, & quibus libri conſcribi, aut acta publica, & epiſtolæ conſignari ſolent, cuiuſmodi ſunt Hebræorum, Syrorum, Arabum, Armeniorum, Abyſſinorum; ſed commentitii ſunt, & à Magis excogitati. Ideo à nemine legi aut exponi poſſunt, quam ab iis qui figuras has incidi curarunt, aut ei vanitati operam dederunt. Eiuſmodi ſunt hi characteres, quos præfert gemma tua; ne forte à me eorum interpretationem exigas. quandoquidem eo ſęculo, quo illi inciſi ſunt, nemo eos capiebat, præter eum, qui aut ſculpſit, aut ſculpi curauit. In altera ſuperficie homo capite Anubidis, dextra ſtrigilem, ſiniſtra guttum balnearium geſtans; item alius ſiniſtra ſpicam, dextra ſpiculum; in cuius cacumine ales neſcio quæ ferens inſidet. quid velit, ſcio ne id quidem alium plane exponere eo ſæculo, quo inciſa hæc ſunt,

potuiſ-

potuiſſe, præter eum, qui ſculpſit, aut ſculpendum locauit. Similia deliramenta non pauca in alueolis antiquariorum, vt hodie vocantur, extant, capite galli gallinacei cum characteribus Græcis quidem, non tamen ſemper iiſdem, neque totidem numero. Adhuc puto vnum me habere: & quidem celeberrima ſunt hæc. Sed vt de Ἰάω non dubium eſt, ita de illis in tuo φερενςερῳ, malo tacere, quam ludibrium debere. Hic nobis neque Irenæus, neque Theodotus, neque Tertullianus aliquam opem adferunt. Quare neque à me expecta. Hoc enim nemo præſtare poteſt. Interea vnum Menippeæ exemplar accipe, duo reliqua, Veronam; vnum Cæſari Nichezzolæ, alterum Frid. Ceruto curabis. Iterum cum breuiſſima Apologia de Burdone, Burdonio & Burdono breui recudetur. Nam hæc exemplaria iam recens prodeunt, & fere omnia, quod mireris, triduo diſtracta ſunt. Vale. Lugduni Batauorum. XIIII. Kal. Maii CIƆ IƆ CVIII.

EPISTOLA CLXXXI.

ALEXIDI GAVDINIO *ſuo* S. Dolet mihi, mi Gaudini, meas litteras quas ad te dederam, intercidiſſe. in illis enim rationem caſtigationum noſtrarum in Hippocratem reddebam, & de Dureto, qui acerbiſſime in me, neſcio qua de cauſſa, inuectus eſt. Addideram neſcio quæ, ſi bene memini. Et de optimo atque eruditiſſimo Mironio, tuo ac meo, non pauca ſcribebam, de quibus omnibus alias plenius. De Pythagoræ Prognoſticis neſcio quid ſentias. Ego argutiora quã veriora puto. Atque vt verum fatear, has canoras nugas aſſis non facio, tum quia nulla certa nituntur ratione, tum quia numeri τῷ τῆς σελήνης κύκλῳ appoſiti ad libidinem hominis otio ſuo abutentis excogitati ſunt. Deni-

nique Græcis tantum hominibus vſui eſt, quibus iiſdem characteribus, & nomina compoſita ſunt, & numeri perſcribuntur. Nam Latinorum alphabeta nullos numeros, vt tu ſcis, notant. Fruſtra enim Scaliger cubās, à Pythagorea illa rotula ſalutèm expectauerit, aut mortem timuerit, ſi ad illam eius nomen exigere velim. Dices, ſcribas Græce. Ego, mi Gaudini, neſcio, vtrum Σκάλιγερ, an σκαλίγερος, an, vt nos Sabellicus, Auentinus & alii vocant, σκαλανὸς, ſcribere debeam. Et quum tot modi ſint ſcribendi, vnica tamen mortis aut vitæ via eſt. Καθόλου εἰπεῖν, ineptiſſima hæc, ac otioſorum hominum ſunt. Vidi in manuſcriptis codicibus hæc nugatoria Latine nomine Pythagoræ perſcripta, ab Apuleio Latinis tradita. Neque ſolum vna illa rotula ibi erat, ſed & alia quædam ſchemata: quæ eodem tamen recidebant, neque aliud, quam illa rotula volebant. Ego rem tibi explicaui: magis ſtudio ſatisfaciendi tibi, quam vt illa approbaſſe videar. Vale. Tuffolii Rupipozæorum.

Epistola CLXXXII.

Grissæo ſuo S. Putabam nos tibi animoque penitus excidiſſe. Nihil enim à te litterarum, quo primum hinc extuliſti pedem. Quum hanc iniuriam tecum expoſtulare vellem, ecce iram meam placauit epiſtola tua, & animum meum tibi reddidit. Omnis ira mea vertit in dolorem; ex repentino cladis fratrum Laualliorum nuntio. Hem quid audio? tantum luctus & funerū tantillo tempore? Vix in iuſta pugna timendum eſſet quod tumultuario experti ſumus prælio. Nam clades æſtimādæ, non numerandæ ſunt. neque intereſt quot homines, ſed quos amiſeris. Centum nebulones cæſi ſunt, & duo heroes deſiderantur. I ergo & iacturæ huic illos oppone quos inferias miſſos horum duorum manibus

aïs.

 ...s. Deteriores animæ pro melioribus datæ ſunt. Quidã nobis ſpem te videndi faciunt. Ego ſane te & longiſſime & diutiſſime abeſſe puto, poſtquam mihi de tuo reditu non conſtat. Si cito ad nos redis, expectationem noſtram, non deſiderium falles. Val. Pridie Eid. April.

EPISTOLA CLXXXIII.

BONAVENTVRÆ IRLANDO ſuo S. Quum antea Vertunianus noſter ea mihi de te prædicare ſoleret, quæ mirum amorem tui mihi excitabant, poſtquam tuas literas accepi, eo mihi illæ iucundiores fuerunt, quo eam voluptatem, quam ex eius ſolum prædicatione capiebam, auctiorem mihi reddiderunt. Spero autem non tantum voluptatem, ſed & fructũ nos ex noſtra percepturos amicitia. Ea enim eſt eruditio tua, quãtum ex literis tuis humaniſſimis colligere potui, vt neſciam vtrum maior voluptas, quod præter ætatem doctus es, an fructus, quod tam doctus es, ad me redundare debeat. Ego vero, mi Irlande, qui & ὀψιμαθὴς ſum, & αὐτοδίδακτος, hoc præſtabo tantum, vt quam in me non ſentio, in te virtutem amplectar ac deoſculer, & impendia mea ac ſumtus reficiam vberrimis fructibus eruditionis tuæ. Quominus quod ſatisfaciat eruditiſſimis quæſtionibus tuis, à me expectare debes. Deſultores enim ſumus, neque diu veſtigia noſtra eundem locum inſiſtere paſſi ſumus. Quo factum, vt in aſſiduo corporis motu peregrinatus quoque ſit animus. Propterea neque familiares Muſarum veſtrarum eſſe poſſumus, qui ſemper hoſpites fuimus, neque Iuriſprudentiam tam nouimus quam amamus. Hoc enim in me tantum potuit illa, vt amores ſui & ſtudia mirifica in me excitarit: vt autem amplecti poſſem, neque per occupationes noſtras neque per tempora licuit. Quia tamen

men tantum apud me oratio tua valet, vt tibi aliquid negare nefas putem, dicam quod ſentio, non vt te docere, ſed ne non parere tibi videar. In lege, *Qui ſella*, De ſeruitutibus ruſticor. præd. ego nullam antiquitatis abſtruſam aut reconditam notionem eſſe arbitror. Ac qui actum habet, non licere ei rectam haſtam ferre, merito. nempe propter aſſitas arbores fructiferas. ne ſcilicet ipſa haſta decutiantur fructus. Lege Colonica inter alia diligẽter cauebatur, ne minimo ictu perticæ arbor quateretur. Quanto magis in iſtis ſeruitutibus quæ ea gratia inſtitutæ ſunt, vt ei, cui debentur, vtiles ſint, non ei, qui debet, inconcilient? Haſtam rectam ferre ſolitos illos veteres, neque aliter, vel ipſa Romana marmora docere poſſunt: in quibus ita expreſſi ſunt milites eo habitu geſtantium haſtam rectam. Sed & Poëtarum loci indicant. Viam latiorem quam Actum fuiſſe, & verum eſt, neque tu ignoras. Itaque in ea haſtam rectam geſtari ſine vlla fructuum læſione, palã eſt. Arbores enim finales aſſitæ non videntur ita poſſe in viam late ramos agere, vt haſtam rectã prætereuntis metuere poſſint. At in actu anguſto vel ſe contingere poſſunt, nexis, vt inquit Poëta, per mutua vincula ramis. quod fit propter anguſtiam ſpatii inter vtraſque arbores interiecti. In actu igitur iuberem haſtam demittere, quia haſta nihil pertinet ad iter vel ad actum. Hoc enim volunt verba Iuriſconſulti: neque eundi, neque agẽdi gratia id fieri. & hæc eſt vera mens Iuriſconſulti. In lege *ſilua cadua*, De verborum ſignificatione, elegantiſſime *terram* vocat *integram*, in qua nondum pecus iniicitur, neque depaſta eſt à grege. Ita enim loquebantur veteres. Lucretius eodẽ modo *fontes* vocat *integros*, de quibus nemo bibit. *Iuuat integros accedere fontes, &c.* Quæ enim ſequuntur, non tam explicant mentem Lucretii, quam illuſtrant locum Iuriſconſulti. Extremum illud

in

in Epiſtola tua ponis, de Iuriſdictione Prætoris. Non video quomodo ex celebratiſſima lege *Lecta*, *D. de rebus Creditis*, poſſit elici Præfectũ prætorio iudicaſſe. At eſto iudicaſſe: Nihil habent cognatum neque commune Prætor & Præfectus Prætorio. Itaque Prætorem etiam illis temporibus iudicium dediſſe, non autem iudicaſſe, certum eſt. Iuriſdictio Prætoris non continetur edicto perpetuo. Quid ait caput edicti? *Iudicium dabo.* nunquam ait, *Iudicabo.* Et ſane quandiu Prætor in vrbe fuit, veteri more ius dixit. Poſtquam obſoleuit poteſtas Prætoris, & in deſuetudinem abiit, nomen autem ſolum Prætoris manſit, tunc vt magiſtratus ille nulli rei, ita iuriſdictio non vnius aſſis fuit. Quod ſtatim poſt Conſtantini accidit tempora. Nota eſt tibi Nouella Iuſtiniani de Prætore Vigilum. Ex ea potes expiſcari quid olim fuerit, quid poſtea eſſe deſierit Prætor. Itaque quandiu fuit Iuriſdictio prætoris, tandiu more veteri fuit, hoc eſt, vt ius diceret, & non vt iudicaret. Specta formulam: Dabo, dicam, addicam. Poſt tempora Conſtantini, ſine dubio, omnis & Iuriſdictio & poteſtas ademta Prætori, nomen relictum. Neque mirum. Vt enim Cæſares, qui Rempublicam inuaſerunt, ne penitus popularem ſtatum πλεονεξίᾳ ſua expuliſſe viderentur, Prouincias cũ populo partiti ſunt, & erant quædam Prouinciæ populi Romani, quædam Cæſaris, (hoc vulgatiſſimum eſt:) ſic in vrbe Magiſtratũ populi Romani reliquerunt, hoc eſt, Prætorem, ſed alium ſibi nouum crearunt, vt Præfectum Prætorio. Eſt igitur Magiſtratus Populi, Prætor: Cæſaris, Præfectus Prætorio. Et ſane ita eſt. In dies vt Cæſarum Tyrannis creuit, ita populi maieſtas contra imminuta. Donec Magiſtratus Cæſaris, popularem poſſeſſione eiecit magiſtratum, qui nullis poſtea vindiciis in veterem poſſeſſionem reſtitui potuit. Itaque Prætoris tantum nomen

reman

probum, & gnauum, nactus ſum, qui meliorem eorum partem quæ inedita ſunt, ſe excuſurum recepit: vt ſpem fecerit nundinis vernalibus proximis, quæ accepit, explicari poſſe: neque in ſe moram fore, quo minus illis nundinis extrudatur. Neque vero dubito, ſi per valetudinem aut aliam vim maiorem liceat, fidem exoluturum. Vnum ſupereſt, vt alterorum moras caſtigem: & vt illi in ceſſando nullum pudorem norunt, ita ego in veterno eorum excitando omnem impudentiam induam. quod facere nunc certum eſt. De foliis quæ iam excuſa ſunt ad te mittendis, nondum mihi non ſine cauſa perſuaderi paſſus ſum. Nolo enim ſi quid bene feci, te imperfecta voluptate frui; ſin autem male, bis me traduci. Satis enim fuerit aut te ſolido gaudio affici, aut me ſemel male poſiti ſtudii pœnas luere. Omnia enim ita inter ſe cohærent, vt ſequentia ſine antecedentibus intelligi non poſſint. Non morabor deſiderium tuum: primus omnium ex fornace calentem accipies, ſi modo Ioannes Hunger non deerit tibi. Ille liber, optime & doctiſſime Velſere, omnium originum theatrum, trutina rationum temporis, frænum licentiæ Chronologorum erit. Non ſumus ἀλαζόνες. Plus præſtabo quam promitto. Non fallam ſpem tuam, non eorum, qui mihi non Typographis ſuccenſent. & parum abeſt, quin in ius me vocent. Nunc patientia eorum indignationem eludo tantiſper, dum Euſebius meus pro ſe & pro me cauſam dicat. Vale. Lugduni Batauorum v. Kalend. Septemb. CIƆ IƆ CV.

EPISTOLA CLXXIV.

MARCO VELSERO. Exſolui fidem meam. Nudius octauus exéplaria duo Euſebii noſtri Quingero tradenda curaui. Si ſerius accipies, quam aut tu vis,

aut ego ſtudui, omnem culpam à me in eum deriuo: oportet. Sed eos monitores ei adhibui, vt meminerit officii ſui. Quod primus omnium, vt promiſeram, illud opus acceperis, argumento ſit, quod Prolegomena, quæ nondum prodierant, vna non accepiſti: ſed vt propediem accipias, operam dabo. Malui enim tibi parere, quam expectando, vt abſolutum acciperes, deſiderium tuum morari. Alterum exemplar, ni graue eſt, Hœſchelio dabis. Monimenta familiæ noſtræ, quæ ad me miſiſti, iamdudum accepi. Cæſari Nichezzolæ quamprimum ſcribam, vt illi gratias agam. Ille poterit teſtari, neque me neque patrem meum, optime de tota Europa, & præcipue Germania veſtra, meritum, Burdonium eſſe. Hæc fabula, vt tibi alias ſignificaui, ab improbis duobus nebulonibus, Guillandino & Riccobono, ex Lilii Giraldi loco peſſime interpretato, concinnata. Bonorum laus non poteſt magis quam ex improborum obtrectationibus clareſcere. Sed poſtquam acceperis exemplaria, fac, oro, me vt vno verbo certiorem facias te accepiſſe. Aliter ſemper animi pendebo. Folia Procopii quæ miſerat Hœſchelius, Vulcanio noſtro dedi, vt verteret; quia ita voluiſſe Hœſchelium, ex illis quas ad Vulcanium ſcribit, intellexi. Plura volebam ad te ſcribere, quæ proximis literis ſignificabo. Vale. VII. Eid. Iulias cIↃ IↃ CVI. Lugduni Batauorum.

EPISTOLA CLXXV.

MARCO VELSERO. Si de ſilentio tuo querar, vereor ne tibi exemplum dem idem de me expoſtulandi. Et certe ne nunc quidem quum hæc ſcriberem, quid noui ſcriberem, habebam: neq; vllam adhuc inivi rationem quid eligam, in quo induſtriam exerceam meam, niſi fortaſſe nouum argumentum ſcriptionis, alteram

teram editionem Euſebianam vocem. quam nunc propter mendarum portenta, quas in hac prima reliquerũt typographi, adorno. Qui & tabulas corruperunt, & multa præpoſtere ediderunt. Habeo præterea in manibus Commentarios ingentes in περὶ ἱστορίας ζώων Patris mei, quem ſcutræ Burdonium vocant, & Franciſcanum fuiſſe peierant. Illud opus vt longiſſimum, ita longam operam exigit: &, quum tanta typographorum hodiernorum negligentia, vel potius perfidia ſit, vt nihil ſperare ab illis liceat, præter fœdiſſimorum errorum colluviem, maxima in ſolicitudine ſum, cuinam typographo tam arduum committam opus, aut in quas terrarum oras illud mittam, vbi melius typographorum genus nanciſcar. Vulcanius in Procopiana interpretatione perget, niſi per ſenectutem *Frigidus obſtiterit circa præcordia ſanguis.* Sed meliora ſpero; & quamuis corporis vires non ſuppetunt, tamen animus valet. Biennio tantum maior me eſt; neque tamen ita viribus meis diffido, vt non ad omnem laborem iuuenem me putem, non ſenem. Vale. Lugd. Bat. vi. Nonas Mart. cIↃ IↃ c vii.

Epistola CLXXVI.

Marco Velsero. Non puto magis cœlum vobis fauiſſe, quã nobis, vt mitiore hieme frui vobis licuerit, quam iſtis nationibus: quas ſic per tres ferme menſes aſperrimum frigus obſeſſas detinuit, vt ne ex vicina quidem Gallia nobis aliquid literarum, neque à vobis iſthuc peruenerit. Hanc anni inclementiam veſtras literas moratam fuiſſe puto. ſero enim eas accepi. Vbi & inſcriptio Getæ iterum & Plautiani iterum Conſulum inſerta erat: quæ cum Faſtis in quibus Caracalla II. & Geta II. Conſules comparãtur pugnare videtur. Hanc varietatẽ non minus ego admirarer, quam tu,

niſi multa eiuſmodi exempla extarent. Quare in iſtis nihil aliud pronuntiare poſſumus, niſi, in lapide ab eo erratum eſſe, qui titulum incidit: quanquam neque id deierare audeam. In Faſtis enim Siculis, Caracalla & Geta, ſinguli iterum Conſules ſunt, in Caſſiodori Chronico Antoninus III. Geta II. In Paſchali Victorii Aquitani, Geta I. & Plautianus I. Vides inconſtantiam. Sed de iis incertis; quæ à Domitiani imperio ad Conſulatum Auſonii & Olybrii occurrunt non pauca, ſatis alibi me monuiſſe memini. Ego curaui vt vnum ad te Euſebii mei exemplar perferatur, & Bolzanũ inde: vbi Veronenſes negotiantur mercatores. qui Friderico Ceruto bona fide illud reddant. Hoc te, niſi graue eſt, vir magnifice, vt ſedulo curetur, oro. Ita ab ipſo Ceruto edoctus ſum: qui tutiſſimam hanc viam fore affirmat mihi. Quare quum me nihil deſperare amor ſuaſerit, quo me proſequeris, facile hoc à te me impetraturum perſuaſi. quamuis moleſtum me tibi eſſe intelligo: qui te in grauiſſimis occupationibus tuis interpellem. Nouam Euſebii editionem multis partibus & meliorem & emendatiorem adornamus. quam improbitas operarum ita deformauit, vt in multis vix aliquod veſtigium mei agnoſcam. Vale, vir Magnifice. Lugduni Batauorum, Nonis Martij cIↄ Iↄ cvII.

EPISTOLA CLXXVII.

MARCO VELSERO. Iuſtas ſatis cauſas me habuiſſe, cur Cęſari Nichezzolę gratias agere debuerim de monimentis maiorum meorum, nó ignoro. Sed iuſtiores ſunt, quare id ſerius, quam oportuerit, fecerim. Id ſatis excuſamus in literis, quas ad illum tibi mittimus. Tu pro tua humanitate quam ſemper expertus ſum, vt illi recte curentur, operam dabis. Mare occupationum circum-

circumſtat me:neq; puto hodie viuere, cui minus à mole negotiorum vacet, quam me. Non ſum fugitans laboris, ſed meliores horas meas nugis impendi: hæc vero eſt iactura temporis, quę omnium maxime animum meum angit. Excuſum quidem Procopium accepi, ſed exemplar meum, nondum mihi redditum fuiſſe, nō ſine cauſa miror. Vulcanius ſuccenſet nobis, quod me operis περὶ κλισμάτων ſupplementa ſubminiſtraſſe vobis exiſtimat. In quo tam eum coniectura ſua fallit, quam vos falſum id eſſe ſcitis. Tamen homo ſuſpicax nullas excuſationes accipit. Ac certe vna hæc fuerit cauſa, quare abſolutum iri conuerſionem Procopii deſperem. Heynſius prouinciam iam eam ſuſcepiſſet, niſi trium menſium profectionem in Galliam iam adornaret. Duos tantum menſes ad hoc totum opus explicandum petiţ. Hoc, tacente illo, ſatis promittere illius præſtantiſſimi ingenii fertilitas poteſt: cuius par nunquam vidi ea præſertim ætate, quæ vix xxv. annos contigit. Oro, vt mihi meus Codex Procopianus remittatur. Vale. Lugduni Batauorum, XII. Kal. Iulij cIↄ Iↄ CVII.

EPISTOLA CLXXVIII.

MARCO VELSERO. Gratias ago tibi, quod recte meas literas Veronam curaueris. Nam quas inde nudiuſtertius accepi à Cerutο, puto opera tua mihi redditas fuiſſe. Is bonus ſenex, vnus hodie in viuis, qui Patrem meum in Aquitania vidit, quique de eo id teſtari poteſt, quod nihil habet commune cum Burdonis aut Burdoni aut Burdonij fabula. Nam tres illos vnum fuiſſe aiunt ſcurræ, qui Schoppio portento generis humani commentum illud ſuppeditarunt. Audio, ab eodem ſcelesto homine librum, neque mole minorem, neque iniuriarum parciorem, aduerſus Caſaubonum, virum in-

 compa-

comparabilē, prodiiſſe: in quem vt ſcriberet nihil aliud eum impulit, præter inſignem eius eruditionem, ad cuius fulgorem noctuini oculi caligant. Neq; vero ſola illa furia ſummum illum virum appetere auſa eſt. Sunt & alii in veſtra Germania, quos ſimilis furor agitat, neque eos dotes Caſauboni ſecure dormire ſinunt. Qui quum eius nomē allatrare ſoleant, ſancte iurare poſſim, neminem illorum, ne minimā quidem partem ſcriptorum Caſauboni capere. Sed veſtra Germania, mi Velſere, quæ tot eruditos olim viros protulit, ſolum hoc ſpectare videtur, vt nulla alia gens præter ſe ſanctiſſimum literarum miniſterium in latrocinium conuertiſſe videatur. Illa ſane portenta mea Gallia non producit. A vobis prodeunt omnium venenorum germina. Nam quæ aliæ gentes edere nolunt, ea ad vos mittuntur. Vt nullum ſit tam vile mercimonium, cuius iſthic nundinatio non ſit. Nam quod idem faciunt Antverpienſes: habent veſtros, quos imitentur. Ipſi quoque pari furore & in me & in alios effuſis habenis feruntur. quorum latratus non pluris facio quam bubonum vlulatus. Quos quia ſcripta noſtra male vrunt, quod mallent à ſe quam à me edita eſſe, faciam profecto vt per me non ſtet, quin ſuſpendia cogitent. tot & tanta dare poſſumus, quæ eos ad inſaniam adigere poſſint. Iam de literis non ſolum, ſed & de pudore actum eſt. Athei, Onanitæ, Sodomitæ, regnum in literis obtinent. Probi, pudici, eruditi algent. Tu ſolus iſthic, bonorum ingeniorū fautor, literarum vindex, innocentū patronus es. Vnum doleo, quod ſumma virtus tua neminem à furore deterret. Feremus tamen æquo animo, feremus tantiſper, dum aliquid conuaſamus, vt nos in nidū ſenectutis recipiamus. Nam quis ludus, quæ ſuavitas hodie in literis, quas melius erat ignoraſſe, quam ab improbis malam gratiam, ab indoctis nullā referre; doctis ludibrium debere?

bere? Codicem meum Procopianum nondum accepi. In tua poteſtate eſt, vt & tuto & cito ad me perferatur. Vale. Lugd. Batauor. die Laurentij, cIↄ Iↄ c VII.

EPISTOLA CLXXIX.

MARCO VELSERO. Heri veſperi retulit mihi Mylius noſter, ſe ex tuis literis intellexiſſe Pragæ mortuum me eſſe. Ego, mi Velſere, an alibi mortuus ſim, mea magnopere referre non puto, dummodo hic viuam. neque dubito quin mortuus ſim illis, qui magno emerint me non viuere; pluris etiam facerent me nunquam fuiſſe. Sed Dei benignitate viuo, qui maior annorum ſexaginta ſeptem, inoffenſum valetudinis tenorem huc vſque perduxi. Senectutem ipſam morbum eſſe, ex libris didici. in me talem expertus non ſum hactenus. neque vero talem experiri recuſem, ſi quidem cum maximo dolore eorum fiat qui nobis male volunt. Nunc quærunt fatuos quibus perſuadeant nos non viuere, poſtquam putant ſe ſatis probaſſe nos ignobiles, aſinos, atheos eſſe. Ecquid non deſignabunt qui talia iam moliti ſunt? Certe vbique, & quod mirum videri poſſit, vbi quis minime ſuſpicaretur, φιλοσκάλανοι ſunt. Sed & μισοσκάλανοι ſunt. Non mirum. nam & ibi vitia deprehenduntur, vbi maxime virtutes vigent. Cauſſam odii & maledicentiæ nullam præter æmulationem prætexere poſſunt. Sed quæcunque illa, quare ab hac patrem meũ non exceperunt? cur poſt quinquaginta annos manes eius innocentiſſimos ſolicitant? Quare quod in me oderunt, ad illum pertinere voluerunt? Quod vero ſolicitum te falſus de obitu meo nuntius habuerit, humanitatem tuam, non meritum agnoſco noſtrum. Parua eſt iactura ſenis; quæ ſi tanti videtur tibi, vt animum tuum mouere potuerit, patiar me ita à te amari, vt non

tum patre tuo communis eſt, deberem. Nunc præter has cauſſas acceſſit virtus tua atq; eruditio: ita vt ſit duplex merito cauſſa quæ ad te amandum me impulerit. Quare vnum quantum potero ſedulo curabo, ne te tui de me iudicii neque me iam Pictauii nuper tecum amicitiæ inſtitutæ pœniteat. Quod quæris de locis Cæſaris, docti illius tui Fabri, induſtriam laudo, quem *verſis* pro *Græcis* legiſſe dicis. Tamen de eo nos propediem ſententiam noſtram, in noſtris ad Cæſarem Notis dicemus. Hoc vnum mihi condonabis, vt te ad illum locum, quem videbis aliquando in Commentariis noſtris, remittam. De voce IONVM in Plinio, puto recte ſenſiſſe Othomanum, atque vtinam ita bene in aliis: minus enim ſibi inuidiæ & nobis laboris quæſiuiſſet. De Præfectis Prætorio, poſt tempora aut iam à temporibus Conſtantini, certiſſimum eſt quatuor Præfectos Prætorii fuiſſe. Cauſſa eſt, quia iam tum imperium non diuiſum quidem fuit, vt temporibus Caroli Magni: ſed ſocietatem admiſit. Itaque Orientale imperium fuit & Occidentale. Ita vides ab illis temporibus nunquã fere Imperatores Romanos ſine ſocio adſcito fuiſſe. Quare in Oriente Præfectos Prætorio & in Occidẽte habuerunt. Secundus poſt Imperatorem gradu fuit Præfectus Prætorio. Quare eadem officia habebat, quæ & Imp. Hoc ex Notitia Imperii, item ex Conſtitutionibus, præſertim ex Codice Theodoſiano, patet. In Oriente ſedes imperii Conſtantinopolis fuit. In Occidente Roma. Ita Conſtantinopoli, vbi erat Imperator, ibi & Præfectus Prætorio; & Romæ, vbi etiam ſocius Imperii, ibi & Vicarius Imperatoris, hoc eſt, Præfectus Prætorio. Quia tamen neque Conſtantinopoli neque Romæ ſufficiebat vnus, alter in Occidente Prætor, alter in Oriente creatus eſt. Primus igitur in Oriente, Cõſtantinopoli, ſecundus in Illyrico. In Occidente primus

Romæ, alter in Galliis, in vrbe Treueris. Ita inuenimus in Oriente Præfectum Prætorio Orientis, hoc eſt, Conſtantinopoli, qui ſub ſe habebat Aſiam, Syriam, Pontum, &c. Præfectum Prætorio Illyrici, qui ſub ſe habebat Græciam, Myſias, Daciam & alia. In occidente Præfectum Prætorio Italiæ. hoc eſt, Romæ, qui ſub ſe habebat Italiam, Hiſtriam, Dalmatiam, Africam. Præfectum Prætorio Galliarum, qui ſub ſe habebat Gallias, Britannias, Hiſpanias, antequam Hiſpaniæ regerentur à Proconſule. quod temporibus Gratiani accidit: auctor Sulpitius. Auſonius poëta Præfectus Prætorio Italiæ fuit. Iam Præfectus Prætorio quum eodem eſſet gradu, quo hodie ſunt proreges, ſub ſe Vicarios habebat. Quid eſt Vicarius? Eſt Diœceſeos magiſtratus. hoc eſt, qui ſub ſe totam habet diœceſim. Quid eſt Diœceſis? eſt adminiſtratio multas ſub ſe continens Metropoles: vt Metropolis ſub ſe multas continet ciuitates. Exemplis rem ipſam adiuuabimus. Præfectus Prætorio Galliarum tres vicarios, Treueritanum, Lugdunenſem, Viennenſem habet. Treueritana Diœceſis Metropoles ſeu prouincias ſeptem ſub ſe continet: vtramque Germanicam, vtramque Belgicam, tres in Britannia. Lugdunenſis, quinque. Quatuor nempe Lugdunenſes, & Sequanorum maximam. Viennenſis ſeptem, vtramque Aquitaniam, vtramque Narbonenſem, Nouempopulanam, Alpes maritimas & ſeipſam. Vnuſquiſque illarum Diœceſium magiſtratus, vt diximus, Vicarius Præfecti Prætorio dicitur: quemadmodum Præfectus Prætorio eſt Imperatoris Vicarius. Sed Eccleſiaſticus præſul Diœceſeos, qui eſt in eodem gradu cum Vicario, apud Græcos Patriarcha dicitur. Itaque Viennenſis Præſul, ſi fuiſſet apud Græcos, Patriarcha eſſet dictus. Hoc in hiſtoria Eccleſiaſtica reperies, vbi in vnaquaque διοικήσει factum fuiſſe πατριάρχην reperies. Sed Latini nunquam

co

eo nomine vſi ſunt. Tantum Viennenſis præſul Primatem Primatum ſe vocauit, hodieq; ita ſe hoc titulo præſcribit. Quare? quia ſub ſe Primates duos habet, Primatem Aquitaniæ, & Primatem Narbonenſis. Prima Aquitaniæ, Bituriges. prima Narbonenſis, Narbonenſes. Lugdunenſis qui in Græcia Patriarcha eſſe potuiſſet, in Occidente tantum Primas vocatur. Sane, quia ipſe eſt quatuor prouinciarum Primas. Lugdunum enim eſt prima Prouincia Lugdunenſis. Igitur eodem ordine & gradu Patriarcha, quo & Vicarius Præfectus Imperatoris. Vterque enim diœceſeos eſt διοικητὴς: hic ἐν κοσμικοῖς, vt Canones loquuntur: hic, ἐν πνευματικοῖς. Vterque igitur tam Patriarcha quam Vicarius διοικήσεως definitur nomine. διοίκησις, vt dixi, ſub ſe alias continet Metropoles. Fruſtra enim, vt alia pleraque, hodie διοίκησις pro adminiſtratione vni ciuitati attributa, cui præficitur Epiſcopus. Nam hoc olim παροικία vocabatur, quod hodie Epiſcopatus & diœceſis dicitur: ſed fruſtra, vt dixi. Quis neſcit in Nouellis Conſtitutionibus quid ſit διοίκησις? præſertim apud Iuſtinianum. Poſſem & alia multa & valde vtilia adiicere: ſed ὗς Ἀθηνᾶν, vt eſt in prouerbio. Et certe ineptus & nugax ſum, qui de his apud vos diſputare audeo. Ego præſertim & Iuris Ciuilis & Imperatoriarum Conſtitutionum ignarus. Sed dum tibi obſequerer, omnem pudorem non abieci quidem, ſed amicitiæ noſtræ poſthabui. Vale, mi Duguiane. Octauo Kalendarum Ianuarii CIↃ IↃLXXV.

EPISTOLA CLXXXV.

ROBERTO DVGVIANO. Vtinam ad literas tuas ita reſcribere poſſem, vt quum officium literarum à me requirere non poſſis, tibi de omnibus tamen,

quæ ex me quæris, ſatisfacere poſſem. Nam in limite Lemouicano ſum, vbi non ſolum librorum ſed & bonorum hominum maxima ſolitudo eſt. Quum enim ex Pictonibus diſcederem, nihil librorũ mecum forte attuli, quo ſaltem de hac regione, quæ tam ab omni humanitate & literis vaſta eſt, me conſolarer, & quod tempus cũ hominibus nihili contero, id totum meis mutis magiſtris darẽ. Quominus à me aliquid dignum exſpectatione tua, doctiſſime Duguiane, depromi poteſt: ſaltẽ, vt de omnibus, quæ erudite in Epiſtola tua proponis, reſpondere poſſim. Quod tamen de Præfecto Vrbis dubitas, quem ex Nouellis & Symmachi lib. I. item Caſſiodori lib. VI, ſupra omnes Senatores, etiam ſupra Præfectum Prætorio ſediſſe ais, non mirum. nam temporibus illis ſeneſcentis Imperii, ita Iuriſdictionem ſuam tuebãtur, hoc eſt, intra centum millia in omni Iuriſdictione ſua. Quare inferior fuit Præfecto vrbi in eius Iuriſdictione, vt Pręfectus vrbi fuit inferior illo intra eius Iuriſdictionem. Hoc extremis illis temporibus dico. At temporibus Auſonii, Præfectus vrbi caput Senatus erat: nõ tamen ante Conſulem ſedebat. Nam ſi Conſul rogabat ſententias, ſane infra Præfectum vrbi non ſediſſe neceſſe eſt. At fuit Præfectus Prætorio Italiæ alius à Præfecto vrbis. Auſonius nunquam præfectus vrbis, ſed primum Præfectus Prætorio Italiæ fuit. Quem magiſtratum neſcio qua calamitate diutius gerere non potuit, ſed, vt inquit ipſe, quaſi fortunam pœnitere videretur, quod diuturnum illum honorẽ illi conſeruare non potuiſſet, præfecturam Galliarum obtinuit. Itaque ait, *Præfectus Gallis & Libyæ & Latio.* Nam & Galliarũ & Italiæ præfectus fuit. At Libyæ Præfectus idem cum Italię præfecto. quinetiam alibi profitetur ſe ſecundam præfecturã habuiſſe, quũ ait, *Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.* Secundum titulũ præfecturæ vocat Gallias. Ea enim erat Occiden-

cidentis ſecunda præfectura, vt Italiæ, prima. Quare immanè quantum in annotationibus in Cornelium Tacitum, in eo verſu interpretãdo hallucinatus eſt Alciatus. Tu, quia librum non habemus, locum apud Alciatum conſules. Iuſtiniani temporibus duo tantum primũ Pręfecti Prætorio fuerunt, illi videlicet, qui ante eum à Cõſtantini temporibus erant: hoc eſt, Præfectus Prætorio Illyrici, & Præfectus Prętorio Orientis. Nam Occidentem Barbari occupauerant. Sed recepta Africa, ipſe nouum Præfectum prætorio addidit. Quum antea eſſet ſub Præfecto prætorio Italiæ, & ibi præficeretur Vicarius ab ipſo Præfecto Prætorio. Nam ita Africa erat ſub Præfecto prætorio Italiæ, vt Britannia & Hybernia ſub Præfecto Prætorio Galliarum. Formula Præfecti Prætorio apud Caſſiodorum libro VI exſtat. Sed qualis Pręfectus Prætorio Italiæ eſſe potuerit eo tempore, non video, quum pars Italiæ ab ipſo Theodorico, pars à Græcis adhuc obtineretur. Itaque an eiuſmodi exemplum exſtet, nunc non memini. De Militiarum ſcholis, hoc certo ſcias: quod in artificiis erat collegium, id in militiis fuiſſe Scholam. Schola autem proprie corpus erat militum, quod ad caput certum referebatur. Itaque in Centuria militari erant decem Decuriæ, quæ olim Tabernacula dicebantur. Vnaquæque Decuria, quæ ex decem militibus conſtabat, ad ſuum caput referebatur. Quem Decanum vocabant. Aliter autem Caput Scholæ. Hodie eius rei veſtigia in Collegiis Eccleſiaſticis, ſeu, vt vocant, Canonicis exſtant. Nam decimum collegii alii Decanum, alii Caput Scholæ vocant. Itaque in tota Prouincia Narbonenſi & meliori parte Italiæ, Decanum *Capiſchol*, hoc eſt, Caput Scholæ, vocant. Scholæ igitur ad id inſtitutæ erant, vt de minimis rebus Decanum ſuum; de grauioribus Centurionem; de grauiſſimis Tribunum ſuum conuenirent. Quotieſcunque le-

geris Scholas in Conſtitutiouibus principalibus, ne alias præter has, quas diximus, cenſeas. De quibus abunde omnino ſcribere poſſem, ſi vt iam dixi, libros, quos conſulerem, haberem. Scribam alias fuſius. Tu hæc interim boni conſule. Vale. Malauallæ in limite Lemouicano. IV Non. Febr. cIↄ Iↄ LXXV.

EPISTOLA CLXXXVI.

NICOLAO NANSELLIO *doctori Medico*, S. Binas à te, mi Nanſelli, eodem argumento accepi literas. Cur ad eas ſero reſpondeo, non meæ ſed alienæ culpæ adſcribe. quum eas fere eodem tempore, & quidem ſero, acceperim. De libris Mathematicis Rami quod ſcribis, vtinam ad illos potius, qui illis bene vterentur, quã ad eos qui ſuppriment, perueniſſent. Habeo tamen Πάππου, Ἀρισταίου, Κωνσταντίνου, Ἀπολλωνίου, & aliorum quædam ἀνέκδοτα. non à ſupellectile Rami, ſed inde, vnde ille exemplaria ſua deſcribenda curauerat. Ego libros eorum, qui in me agmine facto ſcribunt quotidie expecto. Nam * * * paratum habemus, adeo plane demonſtratum, vt, ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν fore obtrectatoribus meis exiſtimem. Multa præclara eruimus quæ aliud quærentibus, vt fit in Mathematicis, ſponte ſe obiecerunt. Aliquos iudicii ſui pœnitebit. Scio nobis quædam imprudentibus & aliud agentibus excidiſſe, ſed ita tamen, vt longe plura Archimedes commiſerit. qui multa παραλογιστικῶς ignoratione pulcherrimæ rei demonſtrauit. Ego huc ab Ordinibus Hollandiæ ſum euocatus, tantum vt hic deſiderem, & quæ habeo, parata ederẽ, aut parem, quæ edam. Quandiu hic ſim, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. hoc eſt, quandiu iſtos homines non pœnitebit mei. Ego ad vtrumque, & manere & abire paratus ſum. Nam περὶ ἑκάτερον ἀδιαφορῶ.

Vale,

Vale, mi Nanſelli, & nos ama. Lugduni Batauorum Eidibus Septembr.

EPISTOLA CLXXXVII.

DOMINICO BAVDIO *ſuo S.* Qui ducere volentem non potuerunt, quo modo nolentem trahere poſſint, non video. Equidem literis ſatis longis cauiſſe videor, ne ab homine liberrimo ac minime duplici extorquere ſperarent, quod exorare non potuerunt. Atque vtinam is eſſem, quem ipſi me eſſe aut perſuaſerunt ſibi aut optauerunt, hoc eſt, dignum ea prouincia. Nō alia ſuadela opus fuiſſet Tuningio noſtro ad me perducendum, quam illis Ampliſſimorum Ordinum & Academiç Leidenſis de me teſtimoniis. Quibus victus alius fortaſſe, & ab ingenio & à cultura imparatior quam nos manus dediſſet. Ego vero, qui & in patria, & cū patria, ſi opus ſit, mori decreui, nunquam animum meum inducere potui, quin miſerabiles reliquias meæ patriæ quorumuis integris rebus præferam. Deinde quæ poterant ſatis expurgare cicutæ, ſi ingeniolum, quod ſemper littus amauit, in altum ambitionis proueherem, & me palam in illa luce traducerem? Hoc ego, mi Baudi, nunquam faciam. Noui enim me & vires meas, quas tametſi in vmbra σκιαμαχίαι cuiuſdam periclitatus ſum, nunquam tamen ita inſaniam, vt in arenam producam. Quare ſi aliquid ſpeculæ reliquum in pœnitentia mea, aut, vt Latine loquar, in leuitate poſuerunt, amabo te, dele id ex animis eorum; neque me eò loci redigant, vt bis negem iis, quibus ſemel promittere nolui. Ego vero interea & eorum de me iudicium, & egregium in me ſtudium poſteritati teſtatū relinquam, vt ſciant ventura ſæcula, ab exteris eum prouocatum, qui à ſuis ignoratus fuit. Tu vero & me ama, mi Baudi, quod hactenus te fa-

cere ſentio, & candidiſſima Batauorum gēte ſcias nihil mihi carius eſſe. Quid agat Lipſius, quib. in regionibus poſitus ſit, ſcire cupio. Valde fallor, ſi eius amor in me tepuit, quamuis inſtitutum vitæ mutauit. Vale, ex arce Prulliacenſi. XIV. Kalend. Decembr.

EPISTOLA CLXXXVIII.

DOMINICO BAVDIO. Literas tuas, mi Baudi, vna cū Poëmatis tuis, iam tunc ad me miſit Nicolaus Puppinchius Germanus, quū te in Batauos profectum fuiſſe certo ab amicis accepiſſem. Ab eo tempore nihil literarū à te: & de te ſermones vel nulli vel obſcuri; donec per Tuningū te in Batauis fuiſſe, agnoui potius quam didici. Itaque nunc incertus ſum, apud te conſtitueriſne diuturni ſilentii mei ſupplicium expoſcere, an mecum hanc expoſtulare iniuriam, quod officio defuiſſe videar. Vtrumuis malis, & æquum poſtulas, & manū do. Neque enim negare poſſum, merito id à me exigi, quod quum deberem, non præſtiti. Memini tamen culpam à me abeſſe. Si hoc me purgare non poſſum, bona tamen conſcientia me ſuſtentabo. Sed, quantum te noui, non vtar te iniquo iudice; & confido cauſſam me tibi probare. De Lipſio non poſſum ſatis mirari, niſi quum ad tuæ epiſtolæ verba venio. Tunc enim, non defeciſſe eum, ſed ſerius defeciſſe miror. Doleo tamen hominis vicem. & quamquam factum improbo, tamen in eo ius amicitiæ noſtræ, tanquam aliquod numen in veteri luco veneror. Chronologiam Anglicam, quam mihi à Richardo Tomſonio Anglo miſiſti, vellem equidē plane intelligerem. Nunc oblitæ mihi tot dialecti. Vox quoque Mœrim ipſa fugit. Odorabor tamen, quod potero; & videor iam deprehendiſſe in illo Chronologo φιλαυτίαν quandam: &, niſi me fallit coniectura, eſt

ex

ex illis qui nouos Reges Perſarum in Daniele, in Apocalypſi portenta deprehendunt. Vale. Ex Arce Prulliacenſi. VI. Non. Mai.

EPISTOLA CLXXXIX.

DOMINICO BAVDIO. Iam tempus erat me Cæſaroduni eſſe. Vbi ſunt magnificæ illæ pollicitationes, quum hic eſſetis, magna & præclara minantes, de matura ad vos profectione? Ecce iam, bonam partem Maii deſideror mendax. Sit iam, inquies, aliquis & modus ceſſandi & pudor promittendi. Bene ſane, mi Baudi, ſi mei tantum rationem habes, non etiam eorum, qui me hic ingratiis meis detinent. Totum enim hoc, quicquid rei eſt, meo quidem periculo geritur, ſed aliena culpa. Eſt enim mihi apud hominem vanum reliquũ pauxillulum nummorum: quod vt ipſe conficeret, ab eo nondum impetrare potui. Tum materfamilias, quæ non poteſt amittere filium ſuum ſine aliquo præſidio aut honeſto viatico, tota eſt in cõquiſitione nummorũ. Illius ergo peregre eſt. cuius aduenti expectatione ſeneſco. Adeo hæ ἀμβολιεργίαι totum me exercitum habent. Puppinchii cauſa omnia volo, atque operam vltro meam promitto. Hominem enim valde amo. quod eius animum, vt ſtilum, candidum eſſe, mihi perſuaſi. ἦθος χαρακτὴρ ἐστὶν ἀνθρώπου λόγος. Scribam illi Cæſaroduno, & faciam vt neque hic neque in Batauis meum officium deſideret. Quod amicis de mille aut mille ducentorum nummorum ſponſione mandaui, non defugio auctoritatem. Ipſum potius Acheronta moueبo, vt in arenam deſcendat aduerſarius; non vt de eo triumphem, neque vt à ferreo ore pudorem exprimam, (hoc eſſet τῶν ἀδυνάτων ἐρᾶν) ſed vt cognorit, quam temere fecerit, qui ingenium meum ex ingenio ſuo æſtimarit. Nõ

celabo te; valde mihi ſuſpecta eſt illa comitas in homine ab humanitate omni & morum & literarum alieno, quod te, mihi, vt ipſe ſcit, amoris neceſſitudine coniunctiſſimum, menſæ ſuæ adhibuerit. Tute cogita. cætera non dicam. auferat cauillum. volo videre quid poſſit illa canina facundia. Nam quantum latratus poſſint, ſcio. Non amittam priuſquam mihi ſupplicium det. Nolo iudices. ipſum iudicem fero. Res noua eſt, Geometriam alieno iudicio ſubiicere, quum ipſa de omnibus iudicet. Eius demonſtrationes cogunt, non perſuadent. Τετραγωνισμὸς κύκλου eſt XI. propoſitio Cyclometrici noſtri. Eam dupliciter demonſtrauimus. Si hoc eſſet ἀδύνατον, vt ipſe nugatur, quo modo τὸ ἄλλως locum haberet? Propoſui in Epigrammate meo multa alia, quæ ille inurbane & inficete, vt audio, ventilat: quaſi non ſatis ſit ſeſe prioris Epigrammatis ineptiis traduxiſſe. Sed te moror. Vale. VIII. Eid. Mai.

EPISTOLA CXC.

DOMINICO BAVDIO. Vix potui legere epiſtolam tuam, quum ecce, is, cui has dedi, inſtabat, & vellebat aurem, vt ſi quid vellem Turonos, ſcriberem. Scripſi igitur hæc paucula, potius vt te certiorem facerem me tuas accepiſſe literas, quam vt longiores ad te ſcriberem. nam per hominis properantiam non licet; neque ſane per rei, de qua ſcribis, difficultatem. Eſt enim eiuſmodi, vt diſcutienda ſit prius inter nos, quam vt de ea ego nouus & ignotus homo, Ordinibus illis referre aliquid certi poſſim. Expecta ergo aduentum noſtrum, qui ſine dubio præuertet nuncium obitus illius viri, cuius vicem ego & tua & mea cauſa doleo. Quum ego accepi epiſtolam tuam, hæc exaraui. Audio à Thraſone rumuſculos ſpargi de tergiuerſatione, vt ipſe mentitur, mea.

mea. Tu audacter nega. Cui rei vt fidem faciam, ego quamprimum illi manu mea exaratam prouocationem meam in mille aut mille ducentos aureos mittam. Vale. x. Kalend. Iunias. Raptim.

EPISTOLA CXCI.

DOMINICO BAVDIO. Si ita eſt, quod ſcribis, & omnibus hic perſuaſum eſt, Kaluardum obiiſſe, næ & hæ prouinciæ ſtrenuo viro, & ego amiciſſimo homine priuatus ſum. Pauci ſunt quib. hæc mediocria inſint quę in illo ſumma erant, rerum tam Belgicarum quã Gallicarum peritia, aulica facundia, & alia facundia. Quæ prudens omitto. Sine quibus neque idoneus illi muneri neq; ad illud munus à ſuis delectus fuiſſet. Adhæc enim (vt ſcis) id plane requiritur, vt diu rebus harũ prouinciarum tritus ſit, & non mediocrẽ illarum vſum habeat. Hoc non poterit conſequi niſi is qui diu in hiſce locis fuerit, & aut ex Proceribus Senatus Ordinum fuerit, aut ſaltem ad illorum intimam amicitiam ſeſe applicauerit, vt ex illis tuto diſcere poſſit, quod homo priuatus, ſine magno tamen ſumptu, tum temporis interuallo, non potuiſſet. Et ſane quicunque in locum Kaluardi ſufficietur, illum non ſolum Ordinibus, ex amicitiæ, ſed ex rerum etiam vſu, notiſſimum eſſe oportet. Quod ſi hic diu tibi eſſe contigiſſet, quæ tua eſt tum ad primariorum virorum amicitiam demerendam virtus, tum ad Rempublicam capeſſendam induſtria, non dubito quin aut iſthinc mittereris, aut inter illos nominareris, qui digni hoc munere. Nunc quum ad id non natura ſed fortuna tibi defuerit, fruſtra omnem operam inſumi puto, ſi de te verba faciant amici, in quibus ego princeps, non tantum vota, ſed etiam omnem opem promitterem. Quis enim amantior tui? Vale.

EPI-

EPISTOLA CXCII.

DOMINICO BAVDIO. Quas ad me dediſti pridie Kalend. Iunias, accepi. Melius ominare de meo in te amore. Neque tui oblitus ſum, neque vllius, quem virtus ſua mihi aut amicum aut celebrem fecit. Binis tuis memini me iamdudum reſpondiſſe. Quo fato aut cuius culpa ad te peruenire non potuerint, neſcio. Hoc vnum ſcio, negligere officium literarum, perinde eſſe ac amicitiæ rationem non habere. Scito te mihi chariſſimum eſſe, propter egregias animi tui dotes, quas in te non amarem, niſi & te amarem. Quod ſcribis de Lipſio iſthuc euocando, fruſtra fore puto. iam enim multis argumentis fidem fecit ſe ἐμφιλοχωρεῖν, quia ædificat, & comparat ſe tanquam in eo nido & ſenectutem ſuam & ſtudia ſua foturus. Quod ſi neceſſitas illi ſemel impoſita eſſet theſaurariorum Gallicorum fidem experiri, quam bene cum illis agi putaret, qui cum huiuſcemodi hirudinibus rem non habent? Euocatur etiam à Venetis, Bononienſibus & Florentinis; quorum vota & interpellationes, vt puto, amore patriæ, eludet: quam omnibus optimis honorariis videtur præferre. Expectatur in dies eius egregium & luculentum de Militia Romana opus. In quo nihil non Lipſianum ſperandum eſt. Miſeret me literatorum & aliorum bonorum virorum, quorum pretium nullum iſthic eſſe ſcribis. Sane olim aliter fuit: ſed omnino neceſſe eſt, vt gloriæ imperii Gallicani, ita literarum eandem impendere ſenectutem. Sed bene eſt quod hic reuiuiſcunt ſummo cum honore, ita vt de hac Academia melius meliuſque ſperare mihi liceat. Vale, mi Baudi.

XVII. Kalend. Iulias.

EPI-

EPISTOLA CXCIII.

DOMINICO BAVDIO. Mitto tibi carmina tua, quæ tota deuoravi. Antea oderam Tragoram, hominem tamen mihi ignotum; nunc diligere incepi, poſtquam tibi & Heinſio noſtro tam ſuaues ludos expreſſit. Quis non amet materiam tantarum f cetiarum? ita tamen, vt ſimios amamus. Sed de voluptate, quam ex lectione verſuum tuorum cepi, alias præſens præſenti dicam. Nunc ignoſces occupationibus meis. per quas abſenti tecum ridere non licet. In aduentum τῆς δεσποίνης, quam diu fruſtra expectamus, iocos diſtuli. quam primum te Hagæ videbo. Vale. & à me D. Nobiliſſ. Douzam ſaluta. Lugduni Batav. IX. Kal. Ian. cIↄ Iↄ CII.

EPISTOLA CXCIV.

IANO KOTERITTIO *ſuo S.* O ſuauiſſimum nuncium, mi Koteritti? Nihil mihi gratius accidere potuit, quam & tuas literas & ab illo accipere, quem tribus tantum verbis mihi laudaſti. Sed homini commendando ne liber quidem magnus ſatis fuerit. Pleſſenum dico. eſt enim virtutum omnium emendatiſſimum exemplar. Sed te qua alacritate amplecti debeo, qui mei memineris, & literis tuis teſtatus ſis, quam mei ſtudioſus ſis: qui etiam quos ames à quibus amaris, ab illis me amari vis. Certe tam bene illi boni & docti viri de me meriti ſunt, quam male, qui nomen ſibi ex obtrectatione alienæ induſtriæ quærunt. Qui ſi ſcirent, quantum exiſtimationi bonorum ex improborum oblatratione accedat, mallent tacere, quam omnibus ſe deridendos propinare. Quale illud famelicoſum monſtrum, de quo ſcribis. cuius latratus nihil moror. Satis pœnas

mihi

mihi dat libris ſuis, quibus ſeſe omnibus traducit. Nam plane omnibus bonis & in odio & in riſu eſt. Vtinam plura talia edat! & tamen habet admiratores ſuos. Neque mirum. tunc enim homines nugas admirari deſinent, quũ nugari deſinent. Longe aliud mihi tã in Germania quam alibi negocium eſt cum illis qui in Cyclometrica noſtra ſcribunt. Superbos enim fecit eos, quod quædam in noſtris libris quæ deprehenderunt, nobis imprudentibus exciderant. quia enim in iis, quæ ad rem non faciunt claudicauimus, ne rem quidem nos aſſecutos fuiſſe arbitrantur. Sed fruſtra ſunt. Itaque Diatribam de Quadratione circuli ſcripſimus: quam Adriano Romano miſimus. Quem ſi audias, non ſolum omnem operam in hoc negocio luſimus, ſed & in omnibus plane indocti ſumus. ita contumelioſe de ſcriptis noſtris iudicat. In diem plauſtrum antilogiarum, contumeliarum, iniuriarum expecto. Ea eſt ciuilitas eorum, qui hodie literas tractant. Quid faciam? Obdurandum eſt. Vnum me conſolatur, quod omnes cito præcipitatæ dicacitatis pœnitebit. De Gruteri Plauto gratiſſimum. eius vigiliis quotidie ſtudia noſtra adiuuantur. Iamdudum Meliſſo literas meas, cum Genethliaco Æmilioli miſi. Neſcio an alius ex me tale expreſſiſſet. Quod natura negat, amicitia extorſit. Et eum, & Gruterum, & D. Hippolytum à Collibus meo nomine, ni grane eſt, ſaluta. Vale, mi Kotteriti. & nos ama. Prid. Kalend. April. Stilo nouo cIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA CXCV.

CLAVDIO PVTEANO, *Viro Clariſſimo.* Quæ καθολικῶς fiunt, ea Græci etiam κύκλῳ ποιεῖσθαι dicunt. Vt κύκλῳ διδάσκειν παῖδα, id eſt, καθολικῶς, & totum artium orbem à Grammatica vſque docere. Sic Medici

dici dicunt κύκλῳ θεραπεύειν, cum vel à minimis remediis ad maiora progrediuntur, ita vt nihil omittatur. Sic Caius lib. I. Inſtitut. cap. II. dixit circulo ſeruos manumittere in teſtamento. Sic ille quiſquis fuit, qui κυκεὰν ἰλιάδα ſcripſit, à gemino ouo Ledes ad excidium vſque Troiæ poema ſuum deduxit. hoc eſt κύκλῳ eam hiſtoriam docuit. Quo nomine id poema κύκλος à Grammaticis vocatur. Interpres Ariſtophanis ſemper κύκλου nomine id poema vocat. Vt ἱππεῦσιν, illum verſum, καὶ κυνῆ φέροι ἄχθος ἐπείκεν αἰὴρ ἀναθεῖν, citat ἐκ τῶ κύκλω. Themiſtius ἀναλυτικῶν ὑστέρ. lib. I. pag. 6. b. εἰ δὲ λέγεται καὶ ἔπη τινὰ κύκλος, ἀλλ' οὐκ ἐᾷ ταῦτα κύκλον ὑπολαβεῖν τὸν γεωμέτρην ὁ τῶ κύκλω λόγος. *Cyclicus* propterea vocatur ab Horatio lib. de arte poetica: quod κύκλῳ τὰ Ἰλιακὰ ſcripſerit. puta ab ovo gemino. & quia eius poema κύκλος dictum. Idem intelligit, quum ait,

Nec circa vilem patulumque moraberis orbem.

Nam per *orbem* κύκλον intelligit, per *patulum*, quia qui κύκλῳ docent, κατὰ πλάτος docent. *Vilem*, quia vt nimis anxii animi deſilire in arctum; ita proiecti & plebeii κατὰ πλάτος καὶ παχυκῶς docere.

De loco Horatii Ode 6. lib. I. *Diceris Vario*, dicendum eſt, interpretes illum male ſemper intellexiſſe. Ales carminis Mæonii eſt poeta Epicus; vt Ales ſiue Cycnus Lyrici carminis, Pindarus. Vt Theocrito ὄρνιχες μοισᾶν ſunt Poetæ. Hoc intelligi poteſt, ſed non mens Horatii. *Diceris fortis & victor. Vario Mæonii carminis alite*, eſt ablatiuus abſolutus Horatianus. hoc eſt, *quia Varius eſt Epicus Poeta*. vel *Vario canente*. Vt, *Piis ſecunda, vate me, datur fuga. Vate me*, vt *Vario alite*. Græce ἐμῦ θεσπιῳδῦντος. Et Ode 21. eadem figura, *Principe Cæſare*. Et manifeſtius, *neque tu peßima munerum Ferres, diuite me ſcilicet artium*. Et ſimilis figura eſt: *Cur eget indignus quiſquam te diuite?* Et, *tu ſecundo Cæſare Regnes?* ablatiuo abſoluto. Vt Græci, ἐπὶ τῶ

φιλίππυ

EPISTOLA CC.

DAVIDI RIVALDO à FLVRENTIA, S. Quamuis ſenectus, quæ ipſa morbus eſt, alios ſecum morbos trahit, & in illis mortem memoriæ, tamen eius in me tãta vis adhuc eſſe non potuit, vt eos mihi ex animo deleuerit, qui aut merito ſuo, aut alia re mihi noti fuerunt. Hæret adhuc memoria non ſolum tui, ſed & omnium, quæ ante biennium quum hic eſſes, inter nos περὶ περιηγήσεως ἰσημερινῆς vltro citroque dicta fuerunt. Et quanquam ea, quia familiariter inter nos, & è re nata, vt ſolet, iactata fuerant, tam facile tibi excidiſſe putabam, quam inaffectate, ac præter expectationem à me emiſſa fuerant, tamen magnopere lætatus ſum, non ſolum tibi eorum memoriam ex literis, quas ad hominem omni exceptione maiorem Caſaubonum ſcripſi, renouatam fuiſſe, ſed etiam, vt de eadem re ad me ſcriberes, deſiderium tibi nouum inceſſiſſe. Literas igitur tuas cum maxima voluptate legi. Earum duo ſumma capita fuere, χαλυβοβασία ναυτική, & περιήγησις ἰσημερινή. Prioris in literis meis mentionem inieci, aliorum potius ſententiam eliciens, quam meam opponens. Propoſui enim tantum, non ſanciui. Vt quia illa declinatio per meridianos indagatur, meridiani autem ex hypotheſi mea ſunt mobiles, videant Aſtrologiæ & Nauticæ rei periti, an ex hoc epichiremate cauſſæ & argumenta tam manifeſtæ diſcrepantiæ indagari poſſint. Non enim proponerem, ſi ſcirem: ſed potius demonſtrationibus, vt id perſuaderi poſſit, agerem. Quare ſiue ea eſt cauſſa, quam peto, inueſtigari ex hypotheſi mea velim: ſiue alia, ſecura in ſedibus ſuis maneat. Nam non ſatis eſt ad eam rem Meridianorum inueſtigatio. Prius enim diſputandum de

natura Magnetis, an eius proprium ſit, vt ſemper in Septentriones tendat: & ſi ita eſt, quum tamen videamus extra terminum propoſitum tot gradibus declinare, quærendum vnde hæc variantia. quæ profecto nulli alii rei, quam Meridianis aſſignari poteſt. Sed ne hanc quæſtionem ſollicitemus, conſulendi ſunt qui de Magnete ſcripſerunt: præſertim Guilielmus Gilbertus Gloceſtrenſis, Philoſophus & medicus Londinienſis. qui ante triennium tres ampliſſimos Commentarios de ea re edidit. Quibus magis mihi probauit doctrinam ſuam, quam Magnetis naturam. Nam incertior ſum, quam dudum. Reliqua eſt altera pars epiſtolæ tuæ περὶ προηγήσεως ἰσημερινῆς. Primus omnium Hipparchus ex obſeruationibus τῶν ἀπλανῶν Ariſtarchi Samii, Cononis, & Timarchidis æquinoctia ſuo æuo εἰς τὰ προηγούμενα promota eſſe animaduertit, quod quatuor κέντρα remotiora ab Epocha ſtellæ deſignatæ eſſent, quam temporibus eorum Aſtronomorum fuerunt. Quod quum vidiſſet, non dubitauit pronuntiare æquinoctia immobilia eſſe, ſphæram autem τῶν ἀπλανῶν εἰς τὰ ἑπόμενα moueri. Non ſolum hoc ſibi perſuaſit, ſed & Ptolemæo, Ptolemæus poſteritati. Tantum præiudicata auctoritas valet. Sphæram etiam ſolidam innouauit, cuius polus arcticus à cauda Cynoſuræ gradibus 12. 24. abeſſet. idque ſibi perſuadere maluit, quam, an ita res haberet, noctu cœlum ipſum conſulere. Quod non poſſum ſatis mirari. Quum non ſolum eius æuo, ſed & CCXVIII. annis ante illum, cauda Cynoſuræ non plus abeſſet à polo mundi, quam abeſt hodie, vt obſeruauit Eudoxus. Quod validiſſime in libello noſtro demonſtramus. Rurſus Eratoſthenes, qui 128. annis poſt Eudoxum ſcripſit, idem de eadem ſtella pronuntiauit. Idem pronuntiarunt qui ſub Auguſto ſcripſerunt. Si igitur ante Hipparchum annis 218. illa ſtella erat, vt

hodie,

hodie, quomodo ratio Hipparchi conſtat, eam à polo mundi grad. 12. 24'. abfuiſſe? Nam ſi ſphæra τῶν ἀπλανῶν, vt ſanxit Hipparchus, in ſuccedentia mouetur, & illius æuo cauda Cynoſuræ à polo grad. 12. 24'. aberat, ſequitur, vt æuo Eudoxi remotior eſſet à polo, puta grad. 13. aut 14. Hoc enim ratio proceſſus illius motus poſtulat. Atqui non plus diſtabat à Polo quam hodie. Ergo ſibi ipſi & omnibus qui hactenus eum ſequuti ſunt, impoſuit Hipparchus. Nos certe collegimus omnes eius τῶν ἀπλανῶν ἀνατολὰς καὶ δύσεις, quas nemo vnquam intelliget, niſi prius globum conſtruxerit, cuius polus arcticus abſit à Cynoſuræ cauda grad. 12. 24'. Quã rem cum ſummo artifici Tychoni Brahæ communicaſſem, ad nouitatem & inſolentiam ἐπιχειρήματος obſtupuit. Et merito. Non enim illi de conſtructione globi Hipparchæi, & diſtantia caudæ Cynoſuræ à Polo illius globi indicaram. Quare videmus, quia cauda Cynoſuræ eodem interuallo à polo ante annos cIↃ IↃ CCCCLXVII. abfuit, quo nunc abeſt, nullum omnino motum eſſe ſphæræ octauæ εἰς τὰ ἑπόμενα, ſed τῶν ἰσημερινῶν εἰς τὰ προηγούμενα: Nam de motu non dubium eſt. Præcedit enim hodie æquinoctium ſtellam in cornu Arietis pluſquam gradibus XXVIII. quod tempore Eudoxi fere in ipſa ſtella cõmittebatur. Sed vtrum ſtella ſolem, an ſol ſtellam relinquat, hic vero quæſtionis cardo eſt. Hoc eſt, altero ſtabili, alterum moueri neceſſe eſt; Sed ſphæram aut ſtellas ſtabiles eſſe, iam oſtendimus. Sol igitur & puncta eius æquinoctialia mobilia ſunt, & quidem eorum progreſſus eſt in anteriora manifeſtus XXVIII. graduum à temporibus Eudoxi. Vidit hoc ſummus vir, alter noſtri ævi Ptolemæus, Copernicus *Vos*, inquit, *putatis ſphæram octauam in conſequentia mouer Videte, num potius æquinoctia in anteriora proceſſum facian* Inde vir ille omni laude maior, eſſe ἰσημερινὴν προήγησι-

no

non autem τὴ σφαίρας κίνησιν εἰς τὰ ἑπόμενα concludit. Nam altero dato, tolli alterum neceſſe ſit. Si enim non eſt motus ſphæræ ſtellarum in conſequentia, omnino eſt motus æquinoctialium punctorum in antecedentia. Hæc recte Copernicus. Sed τὸ καιριώτατον omiſit. Vel quia non animaduertit, vel quia demonſtraſi poſſe deſperauit. Nam quum æquinoctialia puncta mobilia ſint, & circulum maximum, qui ad ea deſcribitur per xx Sphærica Elementa, mobilem eſſe omnino neceſſe eſt. Et ſi circulus eſt mobilis, & polus quoque mobilis. Proinde non eſt idem polus æquinoctialis cum polo mundi. Nam polus mundi eſt immobilis, ille mobilis: & conſequenter omnes circuli maximi per illos polos tranſeuntes, id eſt, meridiani, ſunt mobiles. adeo, vt horologia & ſcioterica vaſa lineæ meridiani impoſita, poſt aliquot annos decoquant fidem ſuam, quia linea mota ſit à priſtina epocha: cuius variantiæ egregia argumenta in vetuſtatis monumentis obſeruauimus. Hæc demonſtrare aut videre intererat Copernici, qui fabuloſum & ridiculum ſphæræ motum primus arguit, & præceſſiones æquinoctiorum primus ſanciuit: qui ſi ea, quæ nos ἱστορικῶς ex priſcis Aſtrologis obſeruauimus, vidiſſet, quę erat eius ſumma eruditio, ſtatim manus dediſſet, rem mathematice demonſtraſſet. quod ſane non eſt arduum. Et adeone quiſquam auerſo ab omni ratione iudicio eſt, vt, quum puncta æquinoctialia mobilia eſſe, conceſſerit, neget circulum maximum ab ea deſcriptum mobilem eſſe; & hoc dato, polos mobiles; quo rurſus conceſſo, mobiles quoque meridianos eſſe? Qui hoc negat, quid illi Mathematicis operam dediſſe profuerit, non video. At inquis, *non mutantur meridiani, quia tranſeunt per polos mundi, qui ſunt immobiles.* Iam oblitus es συμπεράσματος noſtri, Non eſſe polum mundi eundem cum æquinoctiali polo. Nam ille

ille immobilis, iſte mobilis. Itaque neceſſitatem argumenti videmus, & , quum hæc ita ſint, multa adhuc in ſphæræ conſtructione & ſitu nos ignorare. Nam hoc modo ęquinoctialem circulum, non eſſe rectum ad polos mundi, neceſſe eſt. multa item alia, quæ prudens omitto, quia mihi cum Mathematico res eſt, qui melius hæc me docere poſſit. Quare audacter dicam, tam manifeſtæ hiſtoriæ contradicentibus pudorem poſſumus imponere, quum hæc non ſolum ἱστορικῶς, ſed & ἀποδεικτικῶς explicare poſſimus. Veſtrum vero, & omnium Mathematicorum eſt, perpendere & diſcutere hæc accuratius. Nam non amplius refragandi locus eſt, ſed videndi, quomodo hæc melius demõſtrari poſſint, & ex demonſtratis conſtructio & poſitus ſphæræ corrigi. Plebeiis enim Mathematicaſtris hæc non dico, qui nihil vnquam præter libros Theoriarum legerunt, nec conſuluerunt veteres. quos etiam ſi adirent, non intelligerent. De motu trepidationis iam exploſa eſt fabula. de libramento Copernici, quæ res & ipſa futiliſſima eſt, aliquando dicemus, vnde hæc deliratio tanto viro inceſſerit. Nam non multum differt ab impoſtura trepidationis. Quemadmodum veritas loco pepulit illam trepidationem; ita illum motum octauæ ſphæræ eodem relegandum neceſſitas tandem coget. Sed mirum, demonſtrationes apud quoſdam, qui Mathematica profitentur, nihil valere. Fruantur ſuo iudicio. Nihil intra eſt oleam, nihil extra eſt in nuce duri. Hæc ergo ſumma reſponſionis noſtræ: nos orare peritos harum rerum, videant, an hæc variantia acus magneticæ poſſit illuſtrari iis, quæ de mobilitate meridianorum diximus: nullum eſſe motum octauæ ſphæræ in conſequentia: nos primos illud demonſtraſſe: inde neceſſario ſequi προήγησιν ἰσημερινῶν. Hac conceſſa, puncta æquinoctialia, æquinoctiales circulos, polos eo-

eorum, meridianos per eos tranſeuntes, eſſe mobiles. Alium igitur eſſe polum mundi à polo æquinoctialis, Horologiorum ſitus mutare poſt aliquot annos. Eius pulcerrimæ rei nos hiſtoriam primos obſeruaſſe. Nam ex Matheſi neceſſario id ſequitur. Hæc eſt ſententia mea; quam ſemper tuebor. Tu vero amplius cogita ac nos ama. Lugd. Batauor. 16. Kalend. Maii Iuliani 1604.

IOSEPHI SCALIGERI

EPISTOLARVM

LIBER TERTIVS.

EPISTOLA CCI.

IONATHÆ PETIT *ſuo S.* Reuerſum nuper me ex Aquitania iucundiſſimæ tuæ exceperunt literæ. quibus cumulus acceſſerant, duo elegātiſſima Marci Antonii Mureti, & ampliſſimi Senatoris Pincæi Poemata: quibus ita affectus ſum, vt non è patria exceſſiſſe, ſed in amœniſſimos natales meos iterum reuerti viderer. Atque, vt verum dicam, plus eſt quod illis debeam quam patriæ. Illa enim me negotiis domeſticis diſtrictum, & cum ancipiti iudiciorū ac litiū euentu conflictantē, totā æſtatē detinuit. Eæ vero Muſæ, & me mihi reſtituerunt, & omnē abſterſerunt moleſtiam. Quid ex illis cōſecutus ſim quæris? De Mureto nō loquor (qui mihi adoptione patris frater; amore autē pater erit:) ad eā charitatem accedere nihil poteſt. Ad Pincæū venio: tanti eius eſt apud me Poematiū illud, vt nunq̃ conquieſcere poſſe videar, quin hominē adeā quum primum licuerit; &, ſi poſſum,

poſſum, iuſtum opus ab eius ingenio exigam, cuius ſpecimen nobis tantum miſiſti. Tibi autem, optime atque eruditiſſime vir, quam gratiam ſatis referre poſſim, qui non ſolum me veterem amicum amas, ſed etiam nouis amicitiis auges. Spero me plura coram, hac poſtrema hyeme, aut fortaſſe maturius. Interea ſi tanti eſſe poſſũ, vt in Pincæi amicitia aliquis locus mihi reliquus ſit, amabo, mi Ionatha, fac vt is me ſtudioſiſſimũ ſui credat; &, niſi graue eſt, adiuua vota noſtra commendatione tua. Vale. Abenni. Nonis Octobribus Gregorianis CIↃ IↃ LXXXIV.

EPISTOLA CCII.

HENRICO LINDENBROGIO *ſuo S.* Et lectiones Manilianas, & gratum animum tuum, grato animo, mi Henrice, accipio. Tu quotidie nos noua comitate onerare non ceſſas: ego quomodo tantum æs alienum tuum diſſoluam, non video. Hoc vnum me conſolatur, quod facilem te creditorem habeo, & qui me ἀπωνήμερον, non ſupra quam facere poſſim, vrgebis. Erit tamen & locus & tempus, vbi liberalitati tuæ parem referam gratiam. De Cerealibus apud Hieronymum, habes plene apud Cuiacium. ille ſitim tuam reſtinguere poterit, ne ſincera illius vaſa incruſtare nos poſtules. De hariolis vicanis, qui baculum conſulentibus mordere præcipiebant, & eo intorto dentes eorũ quatiebant nateſque verberabant, nihilo magis mihi compertum eſt, quam eoſdem hariolos ſolere à conſulentibus poppyſma exigere, & manum præbere iubere, niſi Iuuenalis indicaſſet. Eiuſmodi plura apud vnum auctorem legas, quæ alibi nuſpiam. vt quæ Plinius integro capite de Superſtitione veterum notat. Pauca enim

enim ex illa congerie reperies, quæ alius antea aut poſt dixerit. Horatio operam dare me occupationes meæ, quas quotidie hoſtes mei mihi obiiciunt, non ſinunt. Studia tamen mea omnia, & animus, vbi otium erit per obtrectationes maleuolorum, tibi patent. Vale, mi Henrice, & nos ama. Lugduni Batauorum. XIIII. Kalend. Febr.

Epistola CCIII.

HENRICO & FRIDERICO LINDENBROGIIS *Fratribus S.P.D.* Jam ad vos, cariſſimi iuuenes, & quidem ſeparatim, ſcripſi. nunc autem coniunctim, tamquam fratribus. Librum Vitarũ Cæſarum, cum meis Animaduerſionibus, ſedulo inuolutum, ne pluuia aut alio caſu corrumperentur, miſi. Franciſcus Raphelengius iunior curauit. Nobiliſſimo ad vos cum meis perferendum curauit. Nobiliſſimus iſte adoleſcens, Philippi Mornæi filius, ad Ranzouium, & inde Lubecam cogitat. Illum vobis commendo, ſi deductore opus habet, ad præcipua vrbis veſtræ loca inuiſenda, vti vos illi bonam operam nauetis. Hoc enim vos mea cauſſa facturos, bona fide promiſi, quia mihi prius perſuaſi. Rumor diſſitus erat de morte Tychonis Brahe: ſed poſtea tam comperi falſum, quam lætatus ſum falſum fuiſſe. Mei libri, quos Hieronymus Commelinus proximis Nundinis ad me miſit, adhuc apud vos ſunt. Expectamus aliquem Perſea, qui hanc Andromedam nobis ſoluat. Nam profecto ſiue inclementia hiemis (quæ tamen nulla fuit) ſiue aliud quid illorum vſum mihi inuidet. Fruſtra, quantum video, ſperem me illis ante menſem Aprilem vſurum. Valete, chariſſimi iuuenes, & nos amate. Lugduni Batauorum. x Kalend. Martii.

EPI-

Matrem veſtram, feminam lectiſſimam, niſi graue eſt, à me ſalutate.

Epistola CXCVII.

CHristophoro & Avgvstino Pvteanis. Remitto ad vos, mei lectiſſimi adoleſcentes, Aratum veſtrũ: quem citius accepiſſetis, ſi prȩſto fuiſſet, cui recte committere potuiſſem. Quamuis autem tam Patris veſtri, quam veſtro merito vos amo, tamen hac comitate ad priſtinum illum meum amorem magnus cumulus acceſſit, quod tanta facilitate eum librum mihi impertiri volueritis. Vt non dubitem, illud fuiſſe tanquã pignus, quo reliqua omnia quæ in veſtra poteſtate ſunt, mihi obligata eſſe velitis. Non quidem quod hoc meritum ſit meum, ſed quia ea humanitas veſtra. Itaque magnas vobis grates ago: quod dignus vobis videor, quem amore veſtro complectamini: & quæ Pater benigne mihi impertiuit, ea vos mihi non inuideatis. Miſeram aliquando patri veſtro παροιμίας ἐμμέτρους; ſed neque omnes, neque concinnatas. Præterea, aut ego fallor, aut non miſi Epigramma Græcum, quo illi opuſculum tum dedicabam. Eas igitur παροιμίας recenſui: quas Bonauentura Vulcanius, petentibus auditoribus eius, vna cum Epigrammate dedicatorio recudi curauit. vt hoc ſit teſtimonium, cui olim illud opuſculum debeatur. Mitto igitur eas vobis, cum editione nupera Catulli, Tibulli & Propertii: vna cum Notis longe amplioribus & melioribus. non enim mediocri neque vulgari acceſſione locupletatæ ſunt. Has quidam boni adoleſcentes, qui librum meum illis acceſſionibus auctum & caſtigatum nacti erant, Franikeræ Friſonum excudi curarunt. Si placuerint, curabo, vt pluria mihi mittãtur exemplaria.

Namque ſemel ſtudioſi iuuenes à me habent, ea exeunt de poteſtate mea: vt etiam me inuito aliquãdo mea lucem videant. Niſi dicata fuiſſent optimo parenti veſtro, non putarem tanti eſſe, vt vobis mitti debuerint. Amare illa debetis, non mirari; vel eo nomine, quia Pater quoque veſter ea amauit. Valete, mi chariſſimi adoleſcentes, & matrem veſtram, ni vobis graue eſt, à me ſalutate. Lugduni Batauorum. XII. Kalendar. Auguſti Iuliani cIↄ Iↄ c.

EPISTOLA CXCVIII.

CHRISTOPHORO PVTEANO S. De locis Ori Apollinis hæc accipe. Vulcanus pingebatur κανθαρόγυψ, Minerua γυποκάνθαρος: quia quum cæteri dii ſint ſexu diſcreti, ſoli illi duo ſunt ἀνδροθήλεις. Quum enim Vulcanus ex Iunone ſine patre, Minerua ex Ioue ſine matre creati ſint, ambo vtrumque ſexum habere videntur. Ideoque duobus animalibus, alteri ſoli fœminino, alteri ſoli maſculino comparabantur. Scarabeus enim omnis eſt mas: vt omnis vultur fœmina. Εἴδωλα αἰαπηλμημένα ſunt quæ *Mummias* vocamus, corpora Ægyptiorum diſſecta & exenterata, qualia multa vidimus, quæ pollinctores καὶ ταριχευταὶ ſiue ἐνταφιασταὶ Ægyptii curabant, & condiebant. hoc eſt, quod vocatur hic χνδιυῶν. Ea εἴδωλα in Tricliniis ſtatuebantur: vt à filiis nepotibusque inter epulandum conſpicerentur. Planè Herodotus & Diodorus Ἀσφράγιστον victimam vocant, cuius frontem cultro non ſignauerint, vt fiebat in victimis. quod Romani vocabant *immolare*. Tanto odio proſequebantur illam feram, vt honorem illi quem rel quis beſtiis non haberent: quas nunquã niſi prius cultro frõte præducta mactabant. Alii leg. ſſe ἀσφαγίαστον videntur.

Vt

Vindicatur, quod verum eſt, nunquam veſci ſolitos beſtiis, niſi quæ prius iugulatæ fuerint, vt victimæ. Sed illam beſtiam ſine iugulatione fuſtibus aut malleo aut ſecuri occiſam cum ſuo ſibi ſanguine ad cibum parari neque illi honorem illum haberi, quem reliquis animalib. quæ in epulas parabantur. Vale. Lugduni Batauorum, VIII. Eidus Nouemb. CIↃ IↃ CI.

Epistola CXCIX.

Nicolao Micaelio *ſuo S.* Agnoſco in literis tuis ingenium eruditum, & non ad hæc ſolum, quæ proponis, ſed & ad nobiliora factum. Verum vnum illi deeſt, homo, qui eius ſitim expleat, & abunde de omnibus, quæ quæſiuiſti, ſatis faciat. Quã enim exiles ingenii noſtri opes ſint, ſentio: & ſi quidem in his humanioribus ſtudiis potuimus, omne id iam exhauſerunt curæ, bella ciuilia, ætas, & quod ſupra omnes calamitates deputo, genus vitæ deſultorium, & nuſquam conquieſcens: in quo ſero tandem me conſenuiſſe ſentio. Parebo tamen, mi Nicolae Micaeli; & ne officio humanitatis deſim, quantum tua cauſſa velim oſtendam. Scis quam non vulgaris eruditio ſit in poematiis Auſonii. In quib. Gryphus ternarii melioribus æui noſtri Grammaticis crucẽ fixit: quanquam conatus omnium eluſit recondita & velo ænigmatum ſummota doctrina. Nam Syluius Ambianus nihil niſi triuiali moneta percuſſit. Bonus Vinetus non ſolum ſibi, ſed & eruditoribus, etiam in iis, quæ plana ſunt, diffidit. Et quamuis in Commentario ſecundo, quod nuper poſt eius mortem recoctum eſt, multa de noſtris Lectionibus Auſonianis in ſuas diatribas trãſcripſerit, nihil tamen, quo doctiorib. Auſonius familiarior fieret, expromſit. Neſcio an ſecundam illam editio-

nem videris. Sed ea quæ proponis me vocant. Noli dubitare, tres primores verſiculos ſtatim initio, vno tranſmittendos ſpiritu. Sed caue, ne imponatur tibi. Græcum eſt, ἢ τρὶς, ἢ, τρὶς τρία. Idem valebat, ἢ τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. Nam aut τρία ſimpliciter aut ter tria. Auſonius putauit ter tria eſſe cubum: quod in aliis poſtea agnoſces, non in hoc loco tantum. Et ſane quod ſubiungit,

Imparibus ternis nouies componere cœbum:

videretur de cubo, id eſt, de ter nouem intelligi. Sed nō ita eſt, tum quia non ter nouies, aut ter tria ter, ſed ter tria tantum potare lex magiſterii ſympoſiaci iubebat, tum quia ipſe, quid velit, interpretatur. *Iuris idem tribus eſt, quod ter tribus.* Quæ ſequuntur, valde deprauato ſenſu leguntur. Caſtigandum:

——Omnis in iſtis

Forma hominis cœpit, plenique exactio partus.

Nam plane vetus liber, quo vſus ſum, habebat, *cœpit*, non, vt vulgo, *cœpti*. *Omnis*, ἑλληνιζει. παντὸς pro ὅλου. ſic πᾶσα Κελτικὴ Straboni. id eſt, ὅλη. Cæſar initio: *Omnis Gallia diuiſa in tres partis*. id eſt, tota Gallia. Omnis vel totius hominis forma initium in his ad exactum vſque partum habet. Nouem enim menſes vterum mulier geſtat. Vides hic quoque nouenarium intelligendum, vt ſupra. In ſeptimo & octauo verſu non mirum ſi vulgata lectio te remoratur. Mendoſa enim eſt. Eam ita non dubitamus proponere:

——Tres ordine partæ:

Veſta, Ceres, & Iuno ſecus muliebre, ſorores.

Tres, inquit, *progeniti fratres*, Iupiter, Neptunus, Dis pater. Totidem natæ ſorores ordine, &c. *Secus* erat in noſtro libro. Ita lege. Vides te non fruſtra dubitaſſe. Nam de Parcis poſtea. *Quam nouies ter glomerantem*, hoc eſt, quam cornicem, ſi viueret, triplo tantum, quantum viuere ſolet, hoc eſt, 27 ſecula, (viuit enim nouem) tertia

parte

parte Ceruus ſuperaret. Cornix viuit nouem ſecula: Triplum ſunt XXVII. quibus ſi trientem adieceris, id eſt, IX ſecula, ea fuerit cerui vita. Viuit enim XXXVI ſecula. Quã cornicem triplicantem ſuum æuum ceruus vno triente ipſius triplici vincit, id eſt, nouem ſeculis, vel ter terno Neſtore. ἔλαφος enim eſt τετρακόρωνος.

Ales Cinnameo radiatus tempora nido.

Quid eſt *radiatus nido?* Burdigalenſis ille, ſi reuiuiſcat non agnoſcat ſuum. Legendum *nimbo*. *Nimbum* vocabant, quam aliter *Sparſionem croci Theatralem*. Collum & caput Phœnicis rutilante fulgoris rubro veluti aſperſum indicat. Et noli dubitare verum eſſe.

Tres in Trinacria Siredones, omnia trina.

Vera veteris libri lectio. Vulgaris manca & hiulca. Scis ex lectionibus noſtris τῆς κληδονιστικῆς τρία εἴδη eſſe παλμὸν, πταρμὸν, ψιθυρισμόν. Ea dicit trina omina. Et quid melius hac interpretatione? Et recte olim ſciſcebamus σειρηδόνας, quaſi σειρηνδόνας dictas eſſe. In XXVII verſu repone *depenſo Marte*, vt nos olim ex libro vetere. cuius interpretationem ex lectionibus Auſonianis pete. In XXXIII verſu lege, *qui ſex ſpreuiſſe timebant*. In XXXVII.

Iuniadæ patrio inferias miſere ſepulchro.

Ex v.c. & ante, *tribus ordine bellis*, id eſt, trina editione ludorum ternas pugnas Thracum, vel gladiatorum commiſit. Sed in XLIIII ita omnino legendum:

Parietibus quæ ſaxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ ſupremo comit tectoria cultu.

Quæ, ars ſcilicet. dixit enim, *tergenus artes*. *Tris coit in partes numerus perfectus*. Hoc verum eſt, primus numerus perfectus, hoc eſt, ſenarius, coit in numeros 1. 2. 3. quæ ſunt partes ipſius, ex quibus compoſitus eſt. *Componi numerus* dicitur ex illis partibus, in quas diuiditur, aut ex quarum multiplicatione conflatur. Sed nullus numerus, præter numeros perfectos in partes coit. qui ra-

tiſſimi ſunt. quales 6, 28. Hactenus Auſonius bene. Sed ſequentia produnt illum, quid eſſet numerus perfectus, neſciiſſe. quum illi, quæ nouenarii propria ſunt attribuit. Non enim ex ter terno congrege componitur, neque in ter tria reſoluitur. hoc enim nouenarii eſt proprium. Bis igitur in eodem nouenario numero peccauit, & quum cubum ſupra vocat, & quum perfectum. *Congrege* autem de opinione ita olim in Auſonianis Lectionibus correximus. Quod ſero tandem bonus Vinetus agnouit. *Tres primus par impar habet.* Tres, id eſt, ἡ τριάς. vt infra *Vnus*, id eſt, μονάς. Ternarius, inquit, primus omnium numerorum par impar habet. Nam & ipſe totus eſt impar, & binarius, quem comprehendit, eſt par. Habet & medium, id eſt, vnitatem. *Medium* Auſonius vocat exceſſum arithmeticum, quod infra ὀμφαλὸς dicitur. quod ὀμφαλὸς medius in homine. Ternarius igitur, primus omnium habet par, & impar, & medium, ſiue ὀμφαλόν. Nam vnitas eum à binario diſtinguit. Sequentia abſque ope veteris membranæ non aſſecuti eſſemus.

——— ſed ipſe

Vt tris, ſic quinque & ſeptem quoque diuidit Vnus.

Sed ipſe Vnus, id eſt, ipſa Vnitas, quæ medium eſt, ſiue ὀμφαλὸς ternarii, & binarii, eſt quoque medium quinarii, & ſeptenarii.

A
BCD
EFGHI

Et numero in toto poſitus. Et ſi ex toto numero, nempe nouenario fiat triangulum iſopleuron, ABCDEFGHI, ita vt A vnitas ſit in centro, id eſt, vertice trianguli, diſtinguet omnes ternarios in progreſſu Cubi. Legendum enim ex v.c. *Cubo pergente.* Sed Cubum, vt dixi, perperam vocat, qui eſt quadratus. Vnitas, inquam, dirimet omnes ternarios ABE, ACF, ACG, ADH, ADI. dirimit, vt medium, καὶ ὀμφαλὸς

ipſo-

ipſorum, quum vnitas ſit, vt diximus, medium binarii & ternarii. diuidit enim in æquipares partes, hoc eſt, in binarios, & ſe ipſam. Ex impare enim ternario reſoluitur par numerus, nempe binarius & vnitas. hoc eſt, quod dicit, dirimere æquiparem partem de ſingulis ternariis. *Et paribus triplex ſpatium*, in verſu LIX. Non ſolum, inquit, triplex eſt ſpatium ſiue medium, omnium digitorum imparium, ſed etiam, omnium digitorum parium. Nã quemadmodum ex vnitate terna dirimuntur interualla in his imparibus, III. V. VII. IX: ita etiam ex binario totidem ſunt interualla inter omnes pares digitos. nempe hos, II. IIII. VI. VIII. Horum enim binarius eſt idem ὀμφαλὸς, ſiue medium, vt imparium vnitas. Vides quam clara ſint, quæ antea Sphinga, implorabant. Et tamen puerilia ſunt, neque in his ſubactum habuit ingenium. In verſus coniecit quæ non intelligebat. Nunc quia plana ſunt, & obuia, non dubito quin omnibus ludibrium debeant. Sed tamen erant intelligenda. In his omnibus, quæ Cimmeriæ tenebræ erant, nihil aliud vult, quam ternarium eſſe numerorum imparium interuallum, ternarium item interuallum parium, quum vnus idemque ὀμφαλὸς, ſiue medium, & horum & illorum ſit. In verſu LXVIII lego, *Quos logos, aut methodos.* In ſeptuageſimo verſu Vinetus plane, vt in aliis, aliud agit. Sol erat tutela Rhodiorum. Teſtes nummi Rhodii; ex vna parte Roſa, ex altera Sole inſigniti. Sol ergo eſt ἄναξ Rhodiorum, Dominus, & tutela. Vt Homero, ἴδηθεν μεδέων. At Coloſſus ille ingens in foro Rhodio poſitus, erat Solis, non alius Dei, aut hominis, aut Herois. Proinde *regnata Coloſſo*, id eſt, Soli. Verſu LXXIII.

Proſa Aſia in cauſſis numeros imitata Chororum.

Rhythmum quendam, id eſt, legem pedeſtris orationis

EPISTOLA CCIV.

FRIDERICO LINDENBRVCH. Nunc accipio tuas ex a.d. pridie eid. Febr. & nunc reſpondeo, quum interea ille, qui has tibi reddit, eſſet in procinctu, *& mota mulio virga Annueret.* Scito igitur ad vltimas tuas & fratris reſpondiſſe, quas cum libro Auguſtorum, & notis meis in eum Franciſco Raphelengio iuniori dedi. Promiſit ſe curaturum tuto tibi perferenda omnia. Iterum tibi nobiliſſimum hunc adoleſcentem commendo. Ipſe literas ab Ordinibus Hollandiæ & Friſiæ ad omnes ciuitates habet. Fac vt etiam Senatui veſtro commendetur. Hoc debetur & parentis illius, & ipſius quoque eximiis animi dotibus. Meus liber de Emendatione procedit, quod ſoleo ſemper dicere, βοεῖῳ ποδί. In Minutio Felice, *diſpicis Iſidis. Diſpex* eſt ὀξυβλέπτης. non eſt acutior viſus hirundinum, quod etiam prouerbia vulgaria arguunt. De Iſide in hirundinem mutata Plutarchus, alii. *Vt cingulum matronæ nauicula ſequeretur.* Vide Valer. Max. de hac re, quomodo excepta magna mater Idæa à Romanis, cum eius nauis immota diu nunquam moueri potuerit, niſi cingulo pudicæ Veſtalis, quæ tamen impudicitiæ ſuſpecta erat. qua ſuſpicione liberata hoc miraculo. In Nouella locum propter anguſtias temporis non conſului. Miſſilia è ſcena iaci notum. *Thymelici* ſunt operæ ſcenicæ, hiſtriones. *Miſſilia* prioribus temporibus Romæ dicebantur, quæ poſterioribus ὑπατεῖαι Conſtantinopoli. *Miliarenſis* eſt decima pars ſolidi: hoc eſt numiſmatis aurei, quæ ſeſtertiis Romanis decem præciſe valens, quum aureus eſſet centum. Μῆλον, nummulus à ſculpto malo. In Gloſſario, *Gilvus* γίλβος, σποδιαῖος; eſt color cinericius. Vale.

propríd. Kalend. Mart. Anno

cIↄ Iↄ XCVI.

EPISTOLA CCV.

HENRICO & FRIDERICO LINDENBROGIIS *Fratribus*. Gratias vobis ago, cariſſimi iuuenes, quod nobiliſſimus adoleſcens Philippus Mornæus re ipſa expertus eſt, quanti momẽti meæ apud vos literæ in commendando fuerint. Non illi tantum, ſed mihi quoque id præſtitit. Imo pluris apud me eſt ea comitas, quã ſi in me ipſum collata fuiſſet. Aegre eſt mihi, quod tu Friderice, librum Auguſtæ hiſtoriæ cum Notis meis nõdum acceperis. Atqui ante menſes duos Franciſco iuniori Raphelengio dederam. Is heri de ea re à me conuentus, ingenue faſſus eſt, oblitum ſe mittere; ſed bona fide ſe propediem miſſurum. De loco Iſidori de *ſubciſivis coriorum* verum eſt. Lege quæ nos olim de *balatronibus* apud Varronem de Re Ruſtica, & Feſtum. nam quæ ex Nicandro citamus, ea mentem Iſidori de illis aperiunt. Quæ ſuperflua σκυτοτόμος amputat, quæ eleganter dicuntur *ſubciſiva*; vt in metatione agrorum, quæ extra perticationem remanebant, eodem nomine appellabantur. Apud Ruffini Ioſephum, *ingredientibus per eum pedibus, velut de vaſtrapis*, recte, vt in Græco, ἐμβαινόντων εἰς αὐτὰ τῶν ποδῶν, ὥσπερ ἀναξυρίδας. nam erant, vt ſunt hodie, in multis locis, braccæ, quæ tibialia vno tenore continuata habent, vt opus ſit in ea pedes includi, cuiuſmodi ſunt in Gallia ſacerdotum. Nos Galli *Vaſtras* vel *VVaſtras*, aut, vt vulgus pronunciat, *Guaſtras* etiamnunc vocamus: ſed eas tantum in quæ crura & pedes ingrediuntur, non etiam in quæ τὰ αἰδοῖα. Memini me nuper in Commentarium viri longe doctiſſimi incidere, qui ſuſpectam habet vocem *Vaſtrapes* in Gloſſario; fruſtra. *Naſtalæ* vocantur, quas Ioſephus περιπεδίνας. Etiam hodie in Teutoniſmo remanet purum putum. Scis enim quid ſit *Neſtel*, & ver-

& verbum *Neſtelen.* Galli noſtri Eguillettes vocant. De *balio equo*, noli dubitare. Inuenies etiam apud Iornandem, niſi me fallit memoria. κρεαμὶς apud Arrianum, quod tu quæris, Henrice, eſt quæ Latinis *Lamina.* Lucret.---- *Lamina, pix, tæda.* Lamina inter βασάνους tibi ignota non eſt. *Friticula*, ganeum aut popina, quare ita vocetur, non magis ſcio, quam quare puls *Fritilla*, eiuſdem originis, ni fallor. *Nemeſiaci & Dendrophori*, à Nemeſi & Silvano Dendrophoro intextis in vexillis illorum corporatorum, certum eſt eſſe dicta. *Vitutiarios* ab auctore ni fallor. Quid enim aliud poſſum dicere? Sidonii locus in vetere exemplari ita conceptus eſt, *Quaſi de Arilao vetere n.f. prorumpas.* ſed in optimo exemplari Aluerno aliter legitur: quod oblitus ſum. Quare dabis veniam, ſi locũ deſperatum ſine meliori codice interpretari non poſſum. Cogitabam ad vos hac æſtate, ſed vereor ne me editio mei libri de Emendatione temporum auocet. Valete, cariſſimi iuuenes, & me amate. Lugduni Batauorum, Nonis April. Iulianis. Anno cIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCVI.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Quod librum tuum vna cum meis literis acceperis, gaudeo, tum quod & me non parſiſſe operæ, & per me non ſtetiſſe, quin maturius acceperis, cognoſcere potuiſti. Equidem omnia tua cauſa volo, ſed ſi quod impedimentum ſedulitati meæ interuenit, hæc non mea culpa fuerit, ſed eius, cui tu mihi autor fueras, vt librum tuum traderem, qui eum imprudens menſes domi aliquot detinuit. Nunc quibus meas ad te tuto dem, ipſemet curabo mihi. *Conſortium Laurentum*, eſt ſodalitium Iunonis Lauinatis, cuius aliquot decuriæ ſacra ei Deæ faciebant. Habes eius rei veſtigia in veteri ſaxo Roma-

no: M. CORNELI. PAL. VALERIAN. FLAMINI. PRÆTORI. II. SACRA VOLCANI. DECVRIONI. LAVRENTVM. VICI. AVG. Idem dicas de *corporatis*, qui decuriatim ſacra Herculi faciebant. Iκανατα, quæ aliter σέδητα vocabātur, quid ſint, melius dixero, quam quare ita dicātur. Nam *ſchola* & *ſedeta*, idem. vbi milites extra tempus expeditionis degebant, vt hoc modo neque ϛρατεύοντες neque ἀϛράτευτοι dicerentur. Erant ſtatiua caſtra, per ſcholas diſtincta & ſedeta: niſi potius tota ſtatiua, *Sedeta* dicerentur, quod verum eſt. De Τζαισȣ̃ρα noli dubitare. Longobardi pronunciant literam C ante E & I vt Græci ſuum Tz. Sic ille Scholiaſtes Lycophronis Græcis ſuis dicitur Τζέτζης, Longobardis *Cetces*, imo & Tuſcis ipſis. nam ita à Volaterrano dicitur. ſic *Cadere* eſſet Græcis Τζαίδερε, & *Caſura* Τζαισȣ̃ρα. Α῎πληκτα eſt frequentiſſimum Hiſtoriæ Græcæ vltimis ſcriptoribus pro caſtris, à Latino *Applicare*. quod infimæ vetuſtatis auctores pro *caſtra metari* vſurpabant. Vnde verbum ἀπληκτεύειν formarunt. Hoc celeberrimum eſt, & ita legendum in Nouella, ἐν τοῖς ἀπλήκτοις. Vale. XII. Kal. Iulij forma Iuliana Anno cIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCVII.

FRIDERICO LINDENBRVCH. De Homero Latino gratum, quod ſcribis. Si mihi miſeris, ſtatim cum cumulo remittam. Et ſi ita videtur, cum iudicio aut ſententia noſtra de edendo aut non. Scio autem Cuiacium habuiſſe excuſum in Germania; niſi memoria me fallit, Baſileæ. ſed quia non ſolus fuit editus, nomen Homeri Latini huius ſub eo, qui prior nominatur, in editione latet, vt ſolet: quum ſcilicet totus multorum auctorum liber eius nomine, qui primus ordine, & cuius

ius nomen primum omnium titulo in fronte libri conceptum eſt, cenſetur. De Iuuenali manuſcripto, & vetere eius Interprete, negligere non debes. Ego aliquot interpretes earum Satyrarum litera vetuſta & eleganti, vidi, ſed nihil præter quiſquilias habebant: ita vt nunquam illis verum vel ſemel dicere contingeret. Si aliquid boni in illo Scholiaſte eſt, poteris ex eo Pithœi editionem reconcinnare. Ego in omnibus operam tibi polliceor. Vitruuium Thomſon ſuum nuper mihi vtendum ex Anglia miſit. manuſcriptum quidem illum, ſed non meliorem excuſis: imo in multis & longe deteriorem. Mirum eſt nulla bona illius auctoris extare vetera exemplaria, neque figurarum vlla in his veſtigia aſſeruari. Quæris de illis apud Lutatium tuum, *Quod nec oculi, nec lorica muniebant*. Ab iis ictibus, vt plurimum, cauemus nobis, quos imminere videmus. Itaque oculi & muniunt anteriora & defendunt: ſed poſteriora oculi non muniunt, quia nullos in occipitio habemus. Ita neque oculi tergum muniunt, quos ibi nullos habemus, nec lorica, quia neque vllam ibi eos geſtaſſe dicit: Solum enim munimentum pectoris, quod καρδιοφύλακα vocatum ſcribit Polybius, habebant. cætera nudi erant. Propterea recte Salluſtius *tergum & cæcum & nudum*: quod nulla lorica illud muniebat: *cæcum*, quia nulli ibi oculi, qui imminentes ictus declinent. Salluſtii locum Seruius ad Aeneidem citat. ſed loci non memini. Nullos adhuc Ranzovii accepi libros. De Theocrito illo Caſauboni iuxta cum ignaris ſcio. Meus liber de Emendatione temporum nondum, ne ante Kalendas quidem Maias prodibit. Vale & nos ama. VI. Eid. Auguſti in forma Iuliana CIƆ IƆ XCVI. Scito illam Epitomen Homeri Latini Gandavi in Flandris, item Baſileæ cum Homero Græco-latino, eſſe excuſam. Vnum ad me exemplar MSS. Vulcanius, mutilum, neque admodum bonæ notæ,

 detulit.

detulit. Non eſt opus vt mittas; ſed Vitruuium potius manuſcriptum, ſi nanciſci potes: & Iuuenalem cum ſcholiaſte bonæ notæ, ſi videtur.

EPISTOLA CCVIII.

HENRICO & FRIDERICO LINDENBROGIIS. Quod ſuperioribus literis nō ſtatim reſponderim, non negligentia vlla, aut oblivione factum, ſed conſilio potius. Sprinchardus enim Rupellenſis hoc menſe Februario ad vos cogitabat. quo magis idoneum, cui meas recte traderem, nanciſci non poteram. Quum etiam ille me rogaret, vt has partes ſibi reſeruarem integras. Sed præreptus mihi, novo conſilio de mutanda itineris ratione, officium hoc literarum mihi intercepit, meamque ſpem fefellit. Ego hic in magno luctu propter immaturum Douzæ Iunioris obitum nunc ſum. Quam alte mihi inſederit hoc vulnus, vultu melius expreſſerim quam ſcriptis. Valde caſus iſte meorum ſtudiorum conturbauit rationes: neque vllum pene ſine aliqua huius iacturæ memoria momentum præterit. Περὶ χυμέλης potione: ſciatis, ceruiſiam atque alia potionum genera, pro ratione prouinciarum mutare nomina. Quę hodie *Biera* in omni Teutonum natione dicitur, ea olim *Cervisia* in Gallia, nomine ibi nato, re cum aliis nationibus communi erat. Sed quæ hodie Scotis eſt *Hel*, ea olim erat *Celia*. Vide Ammian. Marcell. de his potionibus. & Plinium. Ita *Medum, Hydromel*, fuerat veteribus; quod nomen hic in Batauis remanſit hodie. Id plane eſt χυμέλη, de qua quæritis: omnis ἀπὸ τῆς χύσεως τοῦ μέλιτος ſic dicta. Εὐθύεια carmina in laudem τῶν Ολυμπιονικῶν canebantur. ita dicta, quod ἐν θύεσι αὐτῶν canebantur. De quibus plura poſſem dicere: verum non ſuccurrit veteris ſcriptoris locus, vbi plane memini de illis mentionem factam. Τὰ

λεονδικά

λεοντικὰ ſunt ſacra Mitræ. multi meminere veterũ. Quod βουλλωτήριον ſit σφραγιστήριον, id eſt, *cuneus monetæ*, vt mei Galli vocant, ipſe Harmenopulus teſtatur. Vnde autem dictum, non obſcurum, quum ſit vox detorta ex Latina. *Bulla* enim eſt diploma regium. Ita quoq; dicta eſt monetæ matrix, quia regiam habeat effigiem. Liber meus de Emendatione temporum, à principio pulmoneis errat pedibus, nunc vero plane nullis: aut iis, quibus ſaltem non incedit. Omnino lentum eſt negotium. Solſtitialibus diebus, tandem vt ſpero, foras prodibit. Valete, mei cariſſimi iuuenes. Lugduni Batauorum. VI. Eid. Martias Iulianas CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA CCIX.

HENRICO LINDENBROGIO. Literæ tuæ ſolido gaudio me affeciſſent; niſi de obitu nobiliſſimi Henrici Ranzovii monuiſſent: qui vt fortaſſe propter ſenectutem, mature deceſſiſſe videatur, tamen propter raras eius dotes acerba mors nobis eſſe debet. Quotidie Orcus carum caput aliquod, aut amicum Muſis, aut Reipublicæ neceſſarium rapit: quod non niſi damno noſtro fit, qui non habemus, qui iacturas tantas reficiamus, quum rariſſimi ſint hodie, qui aut de ſe ſtatuant exemplum, aut ingenia nobiliora imitentur. Itaque & vixit ille nobis, & mortuus nunc nobis eſt, & ſibi vivit. De me, quid faciam, ſi quæris; nihil aliud quam me ſeneſcere reſpondeo. De firmitate valetudinis ſpondere poſſum; de memoriæ, & ingenii valetudine, vix audeam. Vale. Lugduni Batauorum, V. Eid. Mart. j Iuliani CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA CCX.

HENRICO LINDENBROGIO. Σονσάνιον illud Moſchopuli non eſt corruptum, mi Henrice, neq; vetus Latinum, ſed de ea claſſe, cuius multa eiuſmodi. Vt βρουμάλιουμ, ὅ ἐστι ῥωμαϊστὶ ἐκ τῶν δηιοτείων τεχφλῶαι. Item: Ἰνγκουσία, παρὰ ῥωμαίοις τὸ τοῖς ἀσθένεσι διδόμενον σιτίον, ὃ οὔτε ζῆν, οὔτε ἀποθνήσκειν ποιεῖ. Quis præſtabit hæc eſſe vera? Ipſi Græci infimi temporis Latinas ſuas voces habebant, quæ nunquam in Latio auditæ fuerant. *Comœdiæ ara*, prouerbium eſt, id eſt, *perfugium*. Terent. *Neque tibi aram aut precatorem paraueris*. In Moſtellaria, *Ego interim hanc aram occupabo*. Erat autem ſemper βωμὸς τοῦ προστατηρίου Ἀπόλλωνος in thymele. vt in Andria: *Sume verbenas ex hac ara*. In Mercatore mentionem iſtius Apollinis, ex perſona matronæ rure reuertentis habes. Apud Iulianum mirum ni πατρίκιοι degenerauerint in πατροκόλους, vocem nunquam lectam mihi, nunquam fando auditam. Vale, mi Henrice, & me ama. XII. Kalend. Iulij forma Iuliana.

EPISTOLA CCXI.

HENRICO LINDENBROGIO. Facere non potes, mi Henrice, vt tuarum literarum vnquam ſatias me capiat. Si me amas, crebris literis me obrue. Nunquam ideo te importunum dicam. Vnum à te ſemper exigam, vt me ames. Quod quamuis te facturum ſcio, tamen grata mihi neſcio quo modo eſt hæc iteratio. qua aurem vello tibi, vt id facias quod ſcio tamen alioqui facturum. *Velaria*, de quibus quæris, non eſt dubium, quin loca velis obtenta ſint, qualia in Theatro, de quibus Poetæ. Vt,

...pueros

---pueros hinc ad velaria raptos.

Sed quæ ſint *velaria* in domo Auguſta, vt fatear, neſcio. Nam ea vela ad excludendum Solis ardorem obtendebantur. Itaque ſi locus diuinationi eſt, illa *velaria* in domo Auguſta fuerint, vbi fortaſſe geſtabant. loca nempe aprica, quæ æſtiuis diebus velis obtendebantur, vt eſſet, in quo geſtarent. Neque aliter, meo iudicio, poteſt eſſe. De *Annalibus Vicennalibus* remitto te ad Iuſti Lipſii Critica. inde potes haurire, qui ſitim expleas. Vale, mi Henrice, & me ama, VIII. Kal. Octobr.

EPISTOLA CCXII.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Tuas literas ex a.d. VIII. Kalend. April. hodie accepi: quibus ſtatim reſpondere placuit, vt à me amoliar ſuſpicionem eam, qua me de ceſſatione verberaſti. Duas tantum à te accepi. & reſpondere erat animus. ſed vna opera vtriſque nunc ſatisfaciam. Conſilium de editione Statiana cum veteri Scholiaſte laudo. cuius vtinam integriora teſtimonia perſcripſiſſes, vt ex conſequentibus & antecedentibus illa Græca certius rimari poſſemus. Nunc quum mihi non conſtet de qua re verba faciat, neque ad quos Statii locos, non miraberis, ſi petitionem tuam explere non poſſim. Neſcio an in verbis Callimachi legendum ſit, ὡς ἐν ἄργει ἀσπίδα καθελὼν. aut, τὴν ὁ ἄργει. Prouerbium. Sed quid faciam, quum quid velit neſciam? Appoſuiſſes plenius teſtimonium. ſpes erat poſſe verum erui. Idem de reliquis Græcis dico. Sed de *Taurobolis*, nulla, meo iudicio, ſuſpicio eſſe debet. Videtur enim eſſe νησίδιον illius tractus ignobile. Vt *Nesi* & *Euplota*: quarum vix nomina alibi extant. *Molorchus* in manuſcripto Senenſi erat *Molucrus*. Sed non puto verum. *Artemo locrus* ſomniabamus olim adoleſcentes; ne-

que id ſatisfacit. Vide tamen quid in fine Coniectaneorum de eo nugabamur, ſiquidem hoc tanti eſt. Si videris Heraldum, ei à me ſalutem dicito; atque ex eo ſcias, an meis quibus reſpondi, quaſque iuueni Nemauſenſi dedi, reſponderit. Nam ſtatim reſpondi. Si quid amplius de illis Lactantii locis poſtulas, ſcribe plenius, vt aſſequar. Vale. Lugduni Batauor. XIII. Cal. Maii Iuliani clɔ Iɔ c.

EPISTOLA CCXIII.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Iure de raritate literarum meatum conquereris, ſed de ceſſatione fruſtra es. Scripſi equidem, & Maximi Gloſſarium futile me accepiſſe ſignificaui. Quod autem meas literas non acceperis, hoc tibi expoſtulandum cum iis, qui meas tibi non reddiderunt. Nihil bonæ frugis in illo Gloſſario deprehendi. Meus Euſebius, propter multas cauſſas annum iam ceſſat. ſed propter vnam maxime: quod ex mora melior euadet. Hoc poſtea reſciſces, ſi amici vela votorum noſtrorum inflant. Tu inter illos quoque auxiliares copias coniungere debes. Et potes ſane, ſi nobis quamprimum Idacium illum cum Marcellino auctiore miſeris. Nos duos illos libros accepto tibi referemus, vt poſteritas, de qua bene merebi-ris, tibi gratias agat. Addam etiam Gregorium Epiſcopum; ſi illum Marcellino & Idacio comitem adiunxeris. Bona fide meritum tuum ſtudioſis lectoribus commendabimus. Fac igitur ne fruſtra me de illis monueris, aut ego illos à te petiuerim. Multis iam doctis, etian in Germania, Legum Alamanicarum ſpem feceram: ſed quantum video, adhuc in expectatione earum ſumus. Quid? his Nundinis Donatum tuum vna cum Eugraphio prodiiſſe putabam. Quare ergo ſpes eius in catalogo

logo nundinarum facta? Ergo ἐλπίδας σιτούμεθα tantum? Quamprimum illos omnes Chronologos mitte, vt mature deſcribam. Nam negotiorum moles mihi nunc incumbunt. Et ſi ſcires quid oneris impoſitum ſit mihi, vel potius quid ego ſtultitia mea ſuſceperim, rideres me: & iure hoc faceres. Sed ſcies alias. Certum eſt τῆς κακολογίας caſtigare N. Eum, ſi quidem poſtremis ſuis ad me verum dicit, propediem expecto. Nobiliſſimo Buzenuallio, legato Regio, qui in Galliam rediit, omnia recte dare poteris, qui ſtatim illa curabit mihi. Et è re tua feceris, ſi illum conuenias. Dignus eſt enim, cui id honoris habeatur; & tu propter ius literarum facere hoc debes. Vale. Lugduni Batauor. VI. Cal. Nouembris Iuliani cIↄ Iↄ c I.

EPISTOLA CCXIV.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Ad priores tuas literas abunde reſpondi. Monebam etiam de mittendo Idacii Chronico, & De editione Legum Barbararum, cuius iam guſtum moueram amicis, ad quos nuper ſcripſi. Vide ne per te ſtet, quominus verax videar. imo tu fidem meam libera, quam amicis videor iam obligaſſe. Nuper alteras literas, in quibus mecum de Græcis, quæ in Manuſcripto Donato leguntur, agis accepi. Ego, poſtquam omnes illos ventilaui apices: nihil extricare potui; nihil boni expiſcari, quanquam tua cauſa ſerio ſcripturam illam rimarer. Itaque tuum eſt ita characteres vitioſos proponere, & ad verum expreſſos publicare. Mihi quidem dolet, quod mihi non ſucceſſit, vt quantum tua cauſſa velim, tibi probare poſſem. Vale, Lugd. Bat. Eid. Ian. Iul. cIↄ Iↄ c II.

EPISTOLA CCXV.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Idacium tuum bis accepi. neque enim periit, quod metuebas. Gratias, amice, & de comitate iſta, tibi ago, & de tuo in me animo, quem plane habeo perſpectum. Ignoſces breuitati literarum: famem tibi integram ad tempus aliud reſeruo: libere tunc garriemus. Nunc per longas occupationes nō licet, quibus hoc momentum temporis ſcriptioni huic ſuffuratus ſum. Rumor plane de morte N. diſſitus. Sed amici conſcii huius mimi, tegunt quod poſſunt, & aulæum proſcenio obducunt. Non tamen potuit cælari. Fratres habet homines nequiſſimos, qui & ſe & miſeram matrem bonis omnibus iam euerterunt. Illa optima fœmina, vt aiunt, in hortulo ſuburbano διατρίφει. Alia multa mihi quidam tuus municeps narrauit, qui nuper huc ſe ſtudiorum cauſſa contulit. Vale. Lugduni Batauor. VII. Kalend. Maii Iuliani cIↃIↃCII.

EPISTOLA CCXVI.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Bis Idacium accepi tuum. Verebaris enim ne exemplum prius periiſſet. Eo nomine, Amice, gratias tibi ago; quod & feci vltimis, quas ad te dedi. Sed quia illæ vna cum iis erāt quas ad Puteanum ſcripſi, ipſe autem nullas accepit, propterea neque meas ad te peruenisse video. quæ perfidia eorum eſt, quibus noſtras tradere ſolemus; quas aut nunquam, aut longo interuallo, poſtquam acceperunt eas, reddunt. Vellem leges tuas Francicas & Longobardicas, cum verborum barbarorum interpretatione tua ederes. Hoc iamdudum docti à te expectant.

ctant. Gruterus luculentam operam nauauit Martiali. Vix eſt, vt quiſquam melius de priſco aliquo autore ſit meritus. Sed puto te vidiſſe. Tuus Terentius quam lente procedit! Idem de Euſebio meo dices. Fateor. ſed cauſa eſt. Poſt biennium reuiſo eum; qui vix me poſt tantum interuallum agnoſcere videtur. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Kalend. Iunii Iuliani. Anno cIↄ Iↄ c II.

EPISTOLA CCXVII.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Accepi Legem Salicam, & gratias ago. Nondum tibi poſſum par pari referre. Sed erit aliquando locus. Interea beneficiorum tuorum memor aliquid elaborabo; quod & tibi & amicis largiar. Eſt honeſtus quidam iuuenis, & bonarum literarum ſtudioſus, N. nomine, qui in animo habet, aliquid in bonos auctores dare. Is eſt, qui de egeſtate matris N. mihi retulit: quam in hortulo extra vrbem ait διατρίφεσθαι. Eo redegerant eam filii maiores natu. Ille autem qui eſt in Italia, quid rerum nunc agat, neſcio. Aiunt eum inquiſitioni operam locaſſe, & menſtruam mercedulam percipere, (vt Scoppium & alios nonnullos populares veſtros, qui τῆς ἀποστασίας præmium accipiunt) bonis faceſſere negotium; & innocentibus periculum creare. De N. vix credo. neque tam κακοήθη eſſe mihi perſuaſi. Scribit ſæpe ad quendam adoleſcentem N. apud quem nuper queſtus eſt per literas iratum me ſibi eſſe. Quis perſuaſerit hoc illi, neſcio. Improbus eſt qui hoc confinxerit. Ille vero parum prudens, qui crediderit. Iterum de Legibus Barbaris, cum Gloſſario & explicatione tua aurem tibi vello. Eruditis omnibus hoc debes: quia ego iam maiori illorum parti, tuo nomine promiſi. Exolue fidem, quam cauſa tua obligaui. Sed Terentium cum Donato quando habebi-

bebimus? Video & Gallos ab Hollandis amicis didiciſſe βοειῷ ποδὶ progredi. Vale. Lugduni Batauor. VII. Cal. Augusti Iuliani cIↄ Iↄ c II.

EPISTOLA CCXVIII.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Donatum nudius tertius vix tandem accepi, & gratias ago. Plus ſatis me iam tibi deuinxiſti. Quando me hoc ære liberabo? Spero aliquando. Bis ad me ſcripſit * * *; multa excuſauit, multa à ſe amolitus eſt: quæ aut ſcit aut ſuſpicatur in ſe iactata. Satis mihi, verum vt fatear, omnia videtur diluiſſe. Ego maiorem partem falſa cenſeo, quæ hactenus de eo mihi perſuaſerant: quibus animos ad hæc comminiſcenda iuſto ſolutior libertas loquendi fecerat: quia ſemper vſus eſt, quum de amicis mentio incidit. Ac ſi quid illi de me excidit, ignoſco, partim quia nemo vitiis ſine naſcitur, & me vnum omniũ agnoſco in quem multa dici poſſunt, vero an falſo, viderit veritas. ſed tamen dici poſſunt. Te vero oro etiam, vt ſi quid de eo tibi perſuaſum eſt, ita deponas, vt ne minima quidem ſuſpicione vnquam perſtrictum fuiſſe præ te feras. Melius eſt amicos obſequio demereri, quam leuem iniuriam vlciſci: quæ ſi diſſimulatur, nulla eſt; ſi vindicatur, ex leui fit atrox. Totam æſtatem N. deſedit. Cæſareum conſiliarium eſſe credidiſſem iis, qui perſuadere volebant, niſi tam longa mora N. argueret: plus iſthic negotii illi eſſe, quam in aula Cæſaris. Bonis libris inſtructus ex Italia venit: quorum etiam mihi vſuram promittit. Magnam à me, & fortaſſe à republica literaria, inibit gratiam. Tu quoque maiorem à me inibis, ſi Leges Longobardorum, Francorum, aliorumque populorum publicaueris. Hoc à te iamdudum

dum expecto, neque fruſtra, quæ eſt fides tua. Vale. Lugduni Batauorum. XVII. Calend. Ianuar. Iuliani cIↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA CCXIX.

FRIDERICO LINDENBROGIO. Mirabar diuturnum ſilentium tuum: neque aliter animum meũ inducere poteram, quam te in Gallia non eſſe. Bene facis, quod ex literis tuis intellexi, vbi ſis. Vt alterutri noſtrum in poſterum excuſatio ſilentii honeſta futura non ſit. Epiſtola, quam ad me miſiſti, iam per amicos ad me peruenerat. Qui ſcripſit, ἄθεος, vt ego puto, Semiloiolita, & Semiepicureus eſt: qui hoc virulento ſcripto τῶν παπτπμανῶν odium in me excitare voluit. Ego eiuſmodi ingenia magis odi, quam curo; neque magis odio Loiolitarum moueor, quam ipſi meo in illos. **. Vale. Lugduni Batauorum. VII. Eid. Ian. Iuliani cIↄ Iↄ CIV.

EPISTOLA CCXX.

DANIELI EREMITÆ *ſuo S*. Binas à te ſimul, & poſtremo effigiem vna cum auctore anni Perſici accepi. Duplici beneficio affectus ſum, & quod librũ illum tua opera recte accepi, & quod effigiem meam, nõ exemplar tantum vultus mei, ſed & comitatis tuæ monumentum habeo. Gratias ita ago: vt tamen quantas agam, non ideo ſatis magnas poſſim perſoluere. Meam commendationem apud Caſaubonum noſtrum valuiſſe plurimum, nõ tam miror, quam gaudeo. Mirarer potius ſi accidiſſet ſecius. non enim fruſtra illum cuius bonitas tam bene explorata mihi eſſet. rogare potui. Maiores fructus in diẽ percipies commendationis iſtius: Tu tantum da operam, vt congreſſu tanti viri dignum te

præ-

præbeas. Hoc conſequere, ſi eum ita colueris, vt neque illum iudicii ſui, neque me commendationis meæ pœniteat. Vale. Lugduni Batauorum; Dominica ante Paſcha. cIↃ IↃ c III.

Epistola CCXXI.

Conrado Rittershvsio *ſuo S.* De theſauro inuento tibi, vel potius Reipublicæ litterariæ, gratulor. Non potuit illi melius contingere, quam in illius manus incidere, qui non ſolum illum publicare, ſed etiam meliorem dare poteſt: quandoquidem & Latinam interpretationem tuam, & Notas ad illud opus expectamus. Exigis à me Epigramma in commendationem operis. Non erat opus ad commendationem, quandoquidem & per ſe vtile, & tua opera ornatius prodire poteſt: multo minus à me, qui nec vnquã poëta fui; & ſi fuiſſem, iam per ætatem rude donandus eram. Sed quia nondum miſſionem mihi datam putas, accipe hos verſiculos, non vt Poëtæ, ſed illius, qui nunquam meminerit ſe Poëtam fuiſſe.

Ὁ πρόσθ' ἐς αὐγὰς Ἰσίδωρος ἐκδοθεὶς
Μέλη τὸ λῷον μὲν Ἰσιδώρου, σῶμα δ' οὔ.
Τὸ σῶμα δ' ἡμῖν ἄρτιον χαρίζεται
Πρόσχημα σεμνῶν Ῥιττερούσιος νόμων,
Λαχὼν τοσούτῳ κῦδος εὐκλεέστερον
Τοῦ δόντος εἰς φῶς Ἰσιδώρου λείψανα,
Ὅσῳ τὸ σῶμα τῶν μελῶν ὑπέρτερον.

Quamuis ſenium olent, tamen verſus eſſe puta, & quia hoc tu voluiſti, ſi quid peccatum eſt, à te, non à me ſupplicium expoſce. Vale. Lugd. Batauorum. XVI. Kalend. Septembr. Iuliani cIↃ IↃ c IV.

Epi-

EPISTOLA CCXXII.

MARQVARDO FREHERO, *Illuſtriſſ. D. Electoris Palatini Conſiliario S.* Delatum eſt ad me, Vir Clariſſime, Chronicon Euſebianum, ni fallor tuum. Quia enim illud ſine tuis literis accepi, & amici noſtri literis ſuis habere te eiuſmodi librum, quem ad nos deſtinares, ſignificarunt, non male perſuaſiſſe mihi videor, tuum eſſe illud. Ego ſane non ſolum vt tuum illud accepi, ſed & eo nomine plurimum debere me tibi fateor: quod abſque eo fuiſſet, omne conſilium de edendo Euſebio abiecceram. Tuus vero liber effecit, vt auctore eo facere id auderem, à quo plura exemplaria me deterruerant. Duas enim formas multum inter ſe diſcrepantes veterum illius Chronici codicum extare animaduerti. Prioris nouem codices, aut ipſos ſcriptos, aut cum illis collatos vidi, qui ab initio ad exactos Reges, rite omnem annorum complectuntur rationem. Hinc ad finem mire turbant. Quod cum viderem, diffidere rebus meis cœpi, & tantiſper differre opus, donec emendatiores codices nanciſcerer. Tandem poſterioris formæ duos, tuum hunc, & Lutetianum Senatoris Petauii, accepi. Iſti duo ab exordio, ad C. Iulium Cæſarem, mirum quantum ab aliis diſcrepant: & tamen iſtis optime annorum à prima vſque Olympiade, aut à mediis ſaltem Regum Romæ temporibus annorum conſtat ratio. Quare ſi quid bonæ operæ in hoc auctore nauauimus, totum propter librum tuum tui beneficii eſt, qui præter alios ſcriptos nouem & Petauianum, Chronicon Proſperi vulgare, & reliquias illas habet, quæ poſt Hieronymi præfationem in editionibus ſequuntur: quæ omnia in reliquis deſiderantur omnibus. Hac re tuus illos vincit: vt illi tuum eo, quod al-

terum Proſperi Chronicon paucis nimium continens. Quod cui vſui ſit, vt & illud alterum, nemo (quod ſciam) hactenus aduertit. Nos totum librum manu noſtra deſcripſimus. Nam in editionibus multa turbata ſunt, vt propterea opus fuerit, auctoribus ſcriptis codicibus nouam formam editionis inſtituere. Longum eſſet, ſi vellem omnia ſingillatim percenſere, aut quæ bona illi ſcriptori contuli, aut quæ errata ex illo ſuſtuli, aut quæ ad priſtinum ordinem illi reſtitui. Opus non moratur typographum. Iamdudum enim paratum eſt, ſed Commeliniani nouos characteres apud vos conflant, per quos ſtat, quo minus in lucem prodeat. Non erit tibi graue, vir Clariſſime, ſi tandiu libri tui nobis vſura concedatur, donec totus excuſus ſit contextus. Sin aliter videtur tibi, vbi primum ſignificaueris codicem remittam. Gratias interea ago, quod iuuare iſto tuo beneficio hæc ſtudia volueris. quod mihi quidem perhonorificum, omnibus autem literarum amantibus gratiſſimum fore confido. Vale, V. C. Lugduni Batauorum. Nouis Sextilis Iuliani, die Natalis mei LXII. CIƆ IƆC I.

EPISTOLA CXXXIII.

MARQVARDO FREHERO. Ego mihi gratulor, mi Frehere, quod non ſolum mihi eruditionem tuam ex ſcriptis tuis perſpicere licuit, ſed & humanitatem ex literis. Parum erat maximo beneficio me obſtringere, quod mihi vſuram Euſebii tui conceſſeris, niſi etiam donum offerres. Qui vix rationem explicare poteram, quomodo gratias tibi agerem de comitate, quomodo agam nunc de beneficentia? Quanquam donum ſupra captum eſt, tamen vt hoc habeam pretioſum pignus nuper inſtitutæ amicitiæ, accipio: contemplatione

quidem

quidem ſui maximum, ſed longe maius propter eum à quo proficiſcitur. Erit illud mihi in meis ſanctuariis præcipuum, vt, quoties illud manibus tractauero, (tractabo autem ſæpe) toties eius, qui non vniuerſum modo Euſebium, ſed & antiquitatis omnis, & horum ſæculorum mente complexus eſt memoriam, in mentem mihi veniat. Cuius eruditionis nunquam meminiſſe potero, quin & pietatis ac humanitatis ſimul meminerim. Tui nummi ſtemma [illegible]. Iudicium de eo meum ſeorſim hic habes. Dixi quod ſentio, non quod fortaſſe tibi probabo. Non potui tamen hanc operam denegare, magis quia exegiſti à me, quam quod ſententiæ de eo tuæ aliquid adiiciendum à me exiſtimaretur. Vale. Lugduni Batauorum, XIIII. Calend. Martii Iuliani cIↃ IↃCII.



NVmmus ingens argenteus clariſſimi viri Marquardi Freheri, quam recens ſit, argumento ſunt characteres Arithmetici 234, 235, qui ante trecentos, aut paulo plures annos ab Arabibus ad nos tranſierunt, ac primo

quidem diſſimiles his noſtris hodiernis, poſtea memoria proauorum hac forma interpolati, quæ hodie nobis in vſu eſt. itaque nummus hic cuius aut conflatus eſt, non illo ſæculo, quo ii à Chriſtianis recepti ſunt, ſed illo, quo interpolati, hoc eſt, memoria proauorum. Præterea, an vnquam à Græcis vſurpati ſint, merito, vt dubitem, faciunt libri multi Aſtronomici, Logiſtici, & computorum Eccleſiaſticorum paulo ante aut poſt euerſionem Imperii Conſtantinopolitani conſcripti: quorum omnium numeri non his peregrinis characteribus concepti ſunt, ſed literis Græcis. Denique illos characteres primi omnium Chriſtianorum Hiſpani à Mauris, ab Hiſpanis reliqui Latini Chriſtiani, ab illis Græci acceperunt, ſi modo acceperunt. & quidem concedamus accepiſſe, ii tamen apud Græcos nunquam vulgo noti fuerunt: vt non opus fuerit eos in hoc nummo cudere, vt à paucis tantum intelligerentur. Nobis igitur conſtat, recentiſſimam quidem nummi conflaturam eſſe, formas autem incuſas & veteres eſſe, & ex aliquo vetuſto libro aut pictura alicuius Eccleſiæ deſumptas: cuiuſmodi multas hodie in gemmis, nouitiæ quidem celaturæ, ſed vetuſtiſſimi argumenti, videmus. Nunc de formis ipſis agamus. Nunc audio clariſſimum virum Abrahamum Ortelium, qui partem Imperatoris equitantis laudabat, tanquam non recentem auerſam νοθεύσεως ſuſpectam habebat. Nos contra ſentimus, auerſæ partis argumentum longe vetuſtius, quam illud Imperatoris equitantis, iudicamus, cuius pedibus ſubiectæ ſtapedæ, & omnis ornatus equi, quam nouitia res ſit, ſatis produnt. Auerſæ partis ſtemmata non vno verbo explicari poſſunt. Priuſquam igitur ad explicationem aggrediamur, ſciendum apud veteres Chriſtianos Symbola μυστηριώδη alia atque alia fuiſſe pro ratione temporum ac diuerſitate nationum. Ratio temporum

primum

primum nullam formam humani vultus, ſed aliarum rerum admittebat: poſtea etiam humanæ formæ admiſſæ. Nationes Orientales alia habuerunt, alia Occidentis Eccleſiæ, in quibus nullum ſymbolum fuit ſine cruce, vt neque Orientalibus. Sed in Occidentali Eccleſia crux ſtatuebatur minio lita, vt Chriſti fuſum ſanguinem deſignaret. Cacumen crucis corona cingebat cum purpureis lemniſcis, adiuncta etiam palma, vtrumque νικητηρίων debellati huius ſæculi, & mundi triumphati, aut martyrii acquiſiti erat. Hoc ſimplex ab initio erat ſtemma crucis. Adiectum poſtea Trinitatis myſterium, poſt debellatum impium Arrii dogma. Patrem Deum deſignabant verba ex rutila nube erumpentia: HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS. Filius Deus Agni, Spiritus Sanctus Deus columbæ ſpecie ſignificabatur: Alii etiam alia parerga apponebant; XII. Columbas, quibus Apoſtolos volebant intelligi, quatuor flumina ex rupe manantia. Rupes ſeu petra eſt Chriſtus, fluenta quatuor Euangeliſtæ aut Euangelia ipſa. Hæc erant ſymbola ſimpliciſſima illorum temporum, quum formas rerum, aut animalium, non autem humanas auderent pingere. Nam anchoram, nauem, piſcem, columbam ſculpebant, aut pingebant: hominem non item. οὐ γὰρ, inquit Clemens, *εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται.* In auerſa autem parte nummi propoſiti duæ mulieres ſunt: ex quo apparet ſymbolum non eſſe vetuſtiſſimorum temporum. Argumentum tamen oſtendit non eſſe infimæ vetuſtatis. Primum igitur ingens ſolium, aut inſtar ſolii conceptaculum, nihil aliud eſt, quam hortus ille concluſus & fons ſignatus in Cantico Canticorum, per quem ſacrum regenerationis lauacrum deſignatur. Ambroſius: *His igitur Sacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia. Meritoque videns profectum eius gratiæ continentem*

dicit ad eam, Quam decora, &c. Hortus concluſus, ſoror mea, hortus concluſus, fons ſignatus. In medio huius [illegible] extat minus labrum, quod verius dixeris hortum concluſum. Nam ex eo enaſcitur lilium conuallium iuxta illud: *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium.* de quo loco Hieronymus ad Demetriadem. Decem germina aut fructus emittit. Origenes homilia XVI. in Geneſim: *At vero Iſraeliticus honorat decadem perfectionis numerum. Decem enim verba legis accepit, & Decalogi virtute inſtructus ignota mundo huic Sacramenta diuina largitione ſuſcepit. Sed & in nouo Teſtamento ſimiliter venerabilis eſt Decas, ſicut & fructus Spiritus denis exponitur germinare virtutibus.* Non potuimus dare magis idoneum interpretem. Inter lilium erecta eſt crux inſtar ligni vitæ, è cuius cacumine quatuor columbæ totidem fluenta eructant. Ea ſunt quatuor Euangelia: quemadmodum in Eccleſia Occidentali quatuor fluenta è petra manantia idem ſignificabant: Columbæ ſunt quatuor Euangeliſtæ. Et hoc quoque cum Occidentali Eccleſia facit, quæ per columbas coronam crucis circumſtantes Apoſtolos intelligebat. Paulinus:

Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli
Quorum figura eſt in columbarum choro.

Atqui duo ex Euangeliſtis ſunt Apoſtoli, duo Apoſtolorum adminiſtri. Aqua illa quæ inſtar ſilanorum ex columbis fluens ſolum complet, eſt aqua baptiſmi: & denique omnia reliqua ſunt ſequela baptiſmi. Primum duæ columbæ ſunt in latere ſolii, interiecto ſerpente, ſuperincumbente Leone. Sed columbæ cum ſerpente per ſe conſiderandæ ſunt, poſtea ſerpens ſimul cum Leone. Columbæ cum ſerpente eſt id, quod Dominus à regeneratis exigit: *Eſtote prudentes, vt ſerpentes, ſimplices vt columbæ.* Hoc enim baptizatis occinebatur. Ambroſius libro de iis, qui initiantur myſteriis, capite IV, poſt alia: *ſimul & eorum, qui baptizantur, non in ſpecie eſſe dicit: ſed*

vera ſimplicitas. vnde & Dominus ait: Eſtote aſtuti, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Vnde manauit illud in vetere Eccleſia prouerbium: μιγνύειν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν. Clemens Stromate ſeptimo: οὐκ ἄρα ἐπιθυμητικὸς ὡς ἐπεργῇ ὁ ἔχων ἐναπαυσάμενον τὸν θεόν. αὐτίκα πάντα τὰ ἐμποδὼν καταλιπὼν καὶ πᾶσαν περισπῶσαν αὐτὸν ὕλην ὑπερηφανήσας τέμνει διὰ τῆς ἐπιστήμης τὸν οὐρανόν, καὶ διελθὼν τὰς πνευματικὰς οὐσίας, καὶ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν, ἅπτεται τῶν θρόνων τῶν ἄκρων, ἐπ' ἐκεῖνο μόνον ἱέμενος, ἐφ' ὃ ἔγνω μόνον· μίξας οὖν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν, τελείως ἅμα καὶ συνειδότως βιοῖ. πίστιν ἐλπίδι κερδάνας πρὸς τὴν τοῦ μέλλοντος ἀποδοχήν. Ait hominem, qui habet ἐναπαυσάμενον τὸν θεὸν, & omni impedimento mundanarum rerum renuntiantem (quis eſt ille, niſi ὁ φωτισθεὶς & baptiſmo regeneratus?) miſcere columbam ſerpenti. quod & loco Ambroſii adducto conuenit, & rationem tacite reddit columbarum cum ſerpente ſubter limbum Colymbethræ poſitarum. Leonis vero cum ſerpente conſideratio, pertinet ad victoriam de Orco & Diabolo. Chryſoſtomus in Pſalmum XCIII. *Quis eſt iſte leo? qui de tribu Iuda vicit Leonem, & Draconem, qui ſignificatus eſt in Pſalmo.* Item: *Diabolus, qui delectatus eſt in primo homine captiuato, exinde captiuatus eſt, Chriſto reſurgente glorificato, qui conculcauit Leonem & Draconem.* Quare non poſſumus ignorare, cur Draco ſerpenti ſubiectus ſit. Aſſident ſolio vtrinque oppoſitæ inuicem fœminæ duæ in ſellis, anus ſtolata, & puella nuda, niſi qua velat ea quæ pudor celare iubet. Anus eſt Fides, puella Spes. Anus fingitur, quia antiquior lege. Abraham prima credentum via, vt canit Prudentius, longe antiquior Moſe. Vnde & fides Tertulliano in Marcionem victrix vetuſtatis dicitur. Manu apprehendit, quia fide apprehendimus, quæ oculis ſubiici non poſſunt: Stolata eſt: quia baptiſmus vocabatur fidei veſtimentum: vt Tertullianus ſcribit cap. XIII. libri de baptiſmo.

Et capite XII. *induere baptiſmum* dicit. Contra Spes & puellari ſpecie eſt, quia ſemper viget, & nuda, quia omnibus terrenis renuncians expedita tendit ad cœlum, πᾶσαν τὴν περιττῶσαν ὕλην, vt loquitur Clemens, ἀπερριψαμένη-σασα. Ideo auerſantis habitu eſt, & Canem, tanquam omnes blanditias ſæculi, calcantis, aut omnes adulationes hoſtium Chriſtianæ pietatis. Ideo quemadmodum canem calcat, ſic colludit cum columba, quam manu dextra deprehendit, ſimplicitatem vnicam ſibi cordi eſſe ſignificans. Merito autem coniunguntur ambæ, quia altera ſine altera non eſt. Chryſoſtomus in caput XIII. prioris ad Corinthios, commate vltimo, in editione Latina: *Quæ duo, id eſt, Fides, & Spes, ita certa ſibi mutua vice coniuncta ſunt, vt altera ſine altera ſtare non poßit. Quicquid enim Fides credendo acquirit, hoc Spes ſuſtinendo præſumit.* Quid quod veteres nouum Teſtamentum Fidei ſymbolum eſſe dicebant, vetus autem Spei. Paulinus.

Lex antiqua nouam firmat, veterem noua complet,
In veteri Spes eſt, in nouitate Fides.

Denique quid à Catechumeno exigebatur? Fides. Credo in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, &c. Spes. Spero reſurrectionem. Inde illa in vetuſtiſſimis monimentis Chriſtianorum: CREDO VIVERE. SPERO RESVRGERE. DEPOSITVS IN SPEM RESVRRECTIONIS. Quin etiam non ſolum has duas coniungebant Poetæ Gentium, ſed etiam & Fidem veſtitam & anum inducebant.

Quam Spes & albo nuda fides colit
Velata panno. Item, *Cana Fides, & Veſta.*

Cana igitur Fides, & velata panno, vt hic, & coniuncta Spei. Inde Clemens παροιμιακῶς dixit πίστιν ἐλπίδι κεράσαι, quemadmodum dixerat μιγνύειν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν, alludens nimirum ad hæc vetuſta ſymbola. Pone ſellas vtriuſque aſtant ſingulæ Aquilæ, renouationem

homi-

hominis per baptiſmum ſignificantes, quod percepto baptiſmo dicerentur inſtar Aquilæ renouari. Ambroſius de initiandis cap. VIII. *Hi ablutæ plebs diues inſignibus, depoſitis autem inueterati erroris exuuiis, renouata in Aquilæ iuuentutem, &c.* vt nihil ſit in hac nummi parte auerſa, quod non ad ſacramentum baptiſmi & catechumenos pertineat. Poſtremo totus apparatus iſtius præſtantiſſimi ſymboli clauſulam habet felicitatis regni Chriſti, ſub quo ſecuritas ab omni nocumento promittitur capite XI. Iſaiæ, commate 8. vbi dicitur puerum cum aſpide colluſurum. Ideo in labri, quod extat ſupra aquam, latere viſitur puer, cauda ſerpentes duos apprehendens, & ſecure tractans ſine noxa. De quo eleganter Tertullianus in Hermogenem capite XI. *quum reſtituta innocentia, & integritate conditionis, pecora condixerint beſtiis; & paruuli de ſerpentibus luſerint, &c.* IIII. in Marcionem, cap. XXIIII. *Sed bene, quod creator hanc poteſtatem etiam paruulis per Eſaiam repromiſit, coniicere manum in cauernam aſpidum, &c. Et vtique ſcimus ſalua ſimplicitate ſcripturæ. nam nec ipſæ beſtiæ nocere potuerunt, vbi fides fuerit, &c.* Infra: *Iam tunc eidem viæ, id eſt, fidei hanc euacuationem & ſubiectionem beſtiarum pollicetur.* Propter fidem igitur hoc ſymbolum pueri & ſerpentum appoſitum. Quare fides omnia inter ſe apta, vt aliud ex alio pendeat. Quam vetuſta hæc ſint, & quam falſus fuerit doctiſſimus vir, qui auerſam partem huius numiſmatis ſuſpectam habebat, ex iis, quæ diſputauimus, & ex aliis, quæ longe plura afferri poterant, colligi poteſt. Nobis ſatis hæc erunt, dum doctiora iudicia aliquid melius in medium afferant. Itaque hactenus.

EPISTOLA CCXXIV.

MARQVARDO FREHERO. Scis, mi Frehere, quid de tua in Aprum Xiphian Diatriba iudicem? Nihil potuiſſe dici verius, nihil exquiſitius. Plane perſuaſiſti mihi. Sed mirum, quam multa & abſtruſa, & ignota in gemmis reperiuntur, in quibus interpretandis ſæpe puto ludi operam. Non enim dubium eſt, quin multa vero ſimilia dici poſſint; ſed quæ vera præſtare nemo poteſt, niſi qui nimis iudicio ſuo confidunt, & alienum contemnunt. Multa apud Abrahamum Gorlæum vidi, qui Dactyliothecæ ſuæ Illuſtr. Domino Electori Palatino exemplar miſit. Quidam etiam harum rerum ſtudioſiſſimus, nuper ἐκμαγεῖα quædam, quæ magni te vidiſſe facerem Lutetia ad me miſit. Tanta eſt elegantia, tam multiplex eorum argumentum! Maiorem partem puto illi me interpretatum eſſe. Sed tu plura in hoc genere potes. De illo autem grandi nummo tuo Conſtantini, ſatis mirari non poſſumus, qui factum ſit, vt ex vno latere, recentiſſimi ſæculi, ex altero vetuſtiſſimi moris Eccleſiæ veſtigia in eo extent. Sed quando illa tua de Lupoduno & Moſella Auſonii, Monumenta prodibunt? Auide expecto, eoque magis, quod nihil niſi eximium à te ſperare poſſimus. Vale. Lugduni Batauorum. IX. Calend. Martii Iuliani CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCXXV.

MARQVARDO FREHERO. Diatribam noſtram de nummo Conſtantini tanti non eſſe putabam vt ederetur. Quam igitur gratiam à ſe ſperare non poterat, ab editore conſequetur. Non enim æſtimabit

Lector

Lector, quid ſenſerim, ſed quid tu dignum iudicaueris, quod edatur. Analus placitura ſit, non admodum laboro: quin poſſe placere aliis, quod tibi placuit, non diffido. Iſte qui tibi has reddet, natione Italus, optimus & integerrimus vir, Chriſti exul, quum annum fere integrum magnam fecerit hic probitatis ſuæ fidem, totumque tempus illud quod hic degit, nihil antiquius habuerit, quam artem profiteri aliquam, vnde vitam tolerare poſſet, ne aut Eccleſiæ, aut amicis oneri, idque fruſtra tentauerit, in Germaniam poſtremo abire decreuit, ſi forte ibi felicius, quam hic, induſtriæ ſuæ fructus expromere poſſit. Sed illi commendatitiis eſt opus: non iſtis ſolum, quibus ego eum tuæ trado fidei, ſed & iis, quibus tu eum apud Principem veſtrum, aut alios Germaniæ aut aulæ veſtræ proceres, in aliquem coniicere locum potes. vbi aliis vtilem præſtet operam, à ſe autem inopiam depellat. Qui eum commendare poſſit, vt non magis idoneum, quam te, ita neminem, cui magis fidem habeam, reperire potui. Quantum igitur gratiam tuam apud proceres veſtros, tantum meam apud te commendationem ponderis habituram, mihi perſuaſi. Illum ita commendo tibi, vt nihil ſit in præſentia, quod ſtudioſius à te contendere velim. Vale. Lugduni Batauorum. x. Calend. Septembr. Iuliani cIↃ IↃCIV.

EPISTOLA CCXXVI.

MARQVARDO FREHERO. Quum tuas accepi, minus commoda valetudine vtebar, &, ſi fas dicere peſſima, quum fere menſem integrum cibi faſtidium me cepiſſet, & nihil intereſſet, quam vt corpuſculum, cui nihil alimoniæ in diem accederet, interitus conſequeretur. Nunc quamquam non bene confirmato corpore, tamen meliuſculus quam antea, tuis literis reſpon-

reſpondeo: etſi manus officium non facit, quod ipſi ductus literarum ſatis probare poſſunt. Tu omnia boni conſules: neque quid poſſim, ſed quid velim, ſpectabis. Tuæ igitur literæ mihi iucundiſſimæ fuerunt, eoque magis, quod de editione Commentarii tui in Moſellam Auſonianam iam ſperare iubes. Neque dubito te hominem Germanum, & qui loca illa omnia exploraueris, longe meliora & certiora præſtare poſſe, quam nos peregrinos, qui de illis tractibus nihil, niſi per caliginem, & ſcire & docere potuimus. Quare tuum erit, quæ minus probabiliter à nobis ſcripta fuerint, ea aut tollere, aut meliora dare. Quia enim illam ſumpſiſti prouinciam, nihil officio tuo conuenientius, nihil animo meo gratius facere potes, quam purgare errores, qui iuueniles Auſonianas Lectiones noſtras magis dehoneſtare quam ornare poſſunt. Tantum vero abeſt, vt aliquid habeam, quo tuum Commentarium inſtruere poſſim, vt verear, ne nimio plura de Moſella ſcripſerim quam homini peregrino conueniebat. Sed quia iacta eſt alea, tuæ partes ſunt, quod dixi, aut vti illis, quæ recte à nobis diſcuſſa ſunt, aut quæ minus recte, ea in integrum reſtituere. Quod de Epocha annorum Chriſti à xxv. Aprilis adieciſti, id non Treuerenſium proprium eſt, quum & omnis Anglia, & Veneti, & multæ vrbes adhuc eum retinuerint morem. Karolus Nonus edicto ſanxit, vt anni Chriſti à Calend. Ianuar. non, vt antea à Dominica Paſchatis, putarentur. Hactenus enim Galli in actibus publicis, *anno illo Chriſti ante Paſcha* ponebant. Quum hæc ad te ſcriberem, feria v. ante Paſcha reformationis erat, & eſt annus Chriſti cIↄ Iↄc vi. Tamen ante edictum Karoli, datum feria v, anno Chriſti cIↄ Iↄc v. ante Paſcha, ſcribendum fuiſſet. Poſt Paſcha, cIↄ Iↄc vi. iniuiſſet annus. Galli veteris Eccleſiæ ſequebantur con-

ſuetudinem, qui Paſcha & Paſchalem hebdomada, nouum annum vocabant, vt adhuc Græca Eccleſia, Treuerenſes, Angli, Veneti, alii ab alia cauſa ſuam Epocham inſtituunt. nimirum quia vetus Eccleſia in xxv. Martii Mundum conditum, in ea Chriſtum conceptum, in eadem crucifixum falſo putauit. Vnde Græci multum religionis illi diei adſcribunt, eamque πρωτόκτιστον ἡμέραν, quod mundum in ea conditum hariolantur, vocare ſolent: quæ ſententia omnibus partibus vt falſa, ita ineptiſſima eſt. De nummo Palæologi ſententiam mutare non poſſum, quum ſciam meliora me & probabiliora de eo, quam mulum illum Ingolſtadienſem de piſtrino Loiolæ, pronuntiaſſe hominem ineptiſſimum, & qui, more Societatis ſuæ, nihil quam centones farcire poteſt. Quid enim Loiolitæ aliud nunc faciunt? Ineptiſſima illius eſt interpretatio, & nihil pene aduerſus nos dixit, niſi vbi veterem Eccleſiam imaginibus non vſam diximus. quod quum ipſe confutare non poſſit, ab impudentia Loiolitica ſubſidium petit. Iamdudum eſt, quum illum ridere ſoleo. Neque tuum, neque meum eſt, illius rationem habere. Hoc eſſet illi honorem habere, nobis iniuriam facere. Certe dolet illi nos de eo nummo ea dixiſſe, quæ nulli Loiolitæ in mentem venire potuiſſent. Nihil enim tam ægre eſt illis, quam ingenia aliqua bona in illo hominum genere reperiri, quos ipſi hæreticos vocant. Retrimentum illud impudentiæ inſcitiæque miſſum faciamus. Nummus ille Arabicus, cuius exemplum ſtanneum mihi miſiſti, in negotiationibus non habet locum. hoc eſt, non eſt verus nummus, qui in commerciis vſum aliquem obtineat. Scito igitur, non ſolum Muhammedanos, ſed & Indos ἀστρολογοῦντας, ab vltima antiquitate nummos ſignare aut gemmas ſcalpere ad horoſcopum, eaſque imagines φυλακτήρια & amuleta.

letorum loco habere. Verbi gratia, aduerſus ictus Scorpionum, nummulos horoſcopante Scorpione, cum imagine Scorpionis, ſignant; vt eſt apud veterem Geographum Arabem. Aduerſus morſus canis rabidi, (quæ peſtis calidioribus cœli tractibus familiaris eſt) nummum caniculæ effigie, (quod ſidus ἀϛροκύων Græcis dicitur) idque ipſo ſidere caniculæ horoſcopante ſignant. Cuiuſmodi eſt ſtanneus ille nummus, quem à te accepi. In cuius altera ſuperficie characteres Arabici Africani ſunt: in altera eſt ſol cum Canicula oriens. Id genus nummorum aut imaginum, Arabes *Taliſmath* & *Taliſman* vocant; Græci στοιχεῖα, & homines, qui eiuſmodi nummos ad horoſcopum ſignant, στοιχειωματικοὺς, Arabes *Mutetaliſmin*. Vtinam tam certo alteram ſuperficiem nummuli exponere poſſem, in qua tantum primores duas voces perſpicue aſſecutus ſum سلطان الاعظم, hoc eſt, *Imperator maximus*. Sequitur in duabus poſterioribus ipſius Imperatoris nomen, quod neque ego, neque vllus Muhammedanus, qui Africano characteri non aſſueuerit, diuinare poſſit, partim quod detritæ ſint literæ, partim quod ductus quidam ſint, quos in characteribus Africanis, (quanquam eo charactere libros ſcriptos non paucos legi,) nunquam obſeruaui. Idem de nummi alterius exemplo à Grutero noſtro ad me miſſi dico: in quo nihil aliud, quam literarum imitationem potius quam literas video. Male enim expreſſit, qui illius nummi exemplum depinxit. Si in ſtanno fuſum miſeris, quod quidem accurate fiet, ſpes eſt ſaltem partem diuinari poſſe. Goldaſto inimicitiæ cum amico noſtro fuerunt: vt ad me remiſſa fuerit Epiſtola quam ad Goldaſtum ſcripſeram, quod non æquo tuli animo. Nam quid ad me illorum ſimultates? Ea epiſtola periit, neque quid in ea ſcripſerim nunc memini,

memini, neque admodum id curo. De Euſebii paginis ad N. mittendis, non fuiſſet opus gratiam tuam interponere, quæ plurimi apud me eſt, ſi iamdudum hoc illi indulſiſſem. Iam enim illi negaui. Nam cui bono ἀποσπασμάτια & mei operis lacinias ad illum mittam ad quem res non pertinet, priuſquam ille accipiat cui dedicare deſtinaui? Tam ineptum me facere hoc, quam inciuile eſt illum hoc à me poſtulare. Egone ei illi mea mittam, quæ ille amicis ſuis & deliciis, hoſtibus meis, Loiolæ mancipiis, communicet? Si non eo conſilio id à me petit, ergo eſt ambitio, ante tempus partem operis inſpicere malle, quam cum otio totum opus legere ac perlegere. Non poſſum ſatis mirari conſilium hominis, adeo prudentis, &, quod caput eſt, optime de me meriti. addo & cariſſimi, & de quo ſi omnia magna prædicauero, minus quam pro merito illius dixero. Omiſi de figuris illis, quæ στοιχεῖα à veteribus vocari dixi, infinitas hodie extare vetuſtiſſimas, gemmis inſculptas: cum ſtellis, quibus horoſcopantibus inciſæ fuerunt; argumentis, propter prodigioſum, multis ex rebus atque animalibus confuſum corporis habitum, obſcuriſſimis. In illis enim quædam loricatæ ſunt, ceruice humana, capite aquilino, aut galli gallinacei; altera manu ſcutum, altera ſcuticam tenentes vel flagellum: ſerpentibus pro cruribus inſiſtentes. Multas eiuſmodi cum literis ΑΒΡΑΣΑΞ vidimus. quæ veterum Valentinianorum & aliorum hæreticorum figmenta ſunt. Ῥαγαῦ apud vnum legimus Ioſephum. vt & alia, quæ nuſquam alibi. Ea ſane ignota bonis ſcriptoribus fuerunt nomina. Vnde Iudæi τὰ τοιαῦτα habuerint, niſi à ſe ipſis, (vt Iudæi ad omne figmentum proni ſunt) nullam cauſſam comminiſci poſſum aliam. Etiam Iudæi hodierni τῷ Ἀσκενάζ Germanos vocant: quod Ioſepho fauere

fauere videatur, qui, niſi fallor, eo nomine Germanos deſignat. Sed à Græcis Ῥηγῖνας vocari tunc crederem, ſi ille Σαβαλίωνες à Græcis Ἀντιβόρρους dictos probare mihi potuiſſet. De his nemo aliter iudicare poſſit, quia ea gentium nomina alibi non extant. Miratus ſum tam tibi Pieridem nupſiſſe, quam putas ab ea iambos profectos eſſe. Quominus à me par munus accipiat, duo excuſauerint, tum morbus, tum quod ſenes, vt omnium munerum, ita & Poetices vacationem habent. Ad illud tamen, quod ſcribit; ſcripta mea omnia à te conquiri, verſibus ſcabioſis, ſenium & morbum redolentibus, reſpondeo. Vale. Lugd. Batauorum a. d. III. Eid. Martii Iuliani CIƆ IƆC VI.

Margari, cui dotes animi ſi docta Theano,
Blanda vel Erinne compararet ipſa ſuas,
Vtraque iam prono ſubmittet vertice faſces,
Ipſa tuo ingenio, verſibus illa tuis:
Quidnam Marquardo vigili quæſita labore
Scaligeri proſunt ſcripta notata manu?
Poma me Alcinous vicinis captat ab hortis,
In fontes ipſos nec cadit vlla ſitis.
An Marquardus habet cunctos in pectore libros,
Cunctorum aut illi Margaris inſtar erit.

EPISTOLA CCXXXVII.

MARQVARDO FREHERO. Chronicon Euſebianum tuum à Iuda Bonutio accipies, cui ego reddidi: cuius vſuræ gratiam tibi ago. Vna & Euſebianum noſtrum exemplar accipies. Quod de mulo Loiolitico, qui de Cruce ſcripſit, nuper querebaris, meam tibi aperui ſententiam; quam opto vt ſequaris; Hominibus ſolere reſpondere nos, non aſinis. Ille nunquam ſcribit, niſi temulentus. Hodie nobilem hominem, ſummi Ponti-

Pontificium, ſed doctiſſimum, conueni: qui giganteam illam molem de Cruce ridebat: neque pluris faciebat hominem, quam ego; quamuis plurimos in ea Societate habeat, quos amat & colit. Illius de tuo nummo interpretationem ita exagitare poteram, vt fidem etiam Sociis, de illius imperitia facerem. Sed aliud curo quam vt lutum manibus meis ſubigam. Examina illa crabronum, qui ex illa colluuie profecti ſpicula ſua nobis intentant: non magis quam fanatici Schoppii debacchationem curo, qui nulla prouocatus à me iniuria, in me & genus meum latrare audet, tanquam magnum aliquod ex eo ſibi nomen compararet. Quando ille, & καπάεχτοι Lololitæ, hoc totum virus euomuerint, poſtea quod agant non habebunt. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Kal. Quinctilis Iuliani CIↃ IↃ VI.

EPISTOLA CCXXVIII.

IOANNI ISACIO PONTANO *ſuo S.* Hiſtoria vtcunque ſcripta iuuat, inquit Plinius Cæcilianus; multo magis tua, quæ & accurate ſcripta eſt. neque eſt aut veritatis aut literarum amans, qui non vt tuum ſtudium, ita ſcriptum laudet. Sed de duobus aut tribus verbis hodiernas dialectos ad priſcarum origines referre, non adeo tutum eſt. Nihil tam diſſimile alii rei, quam Teutoniſmus linguæ Perſicæ. in quo tamen ego reperio, *fader, moder, broder, tochter.* Qui Teutonice ſciet, Perſici ſermonis imperitus, & à Perſis ita patrem, matrem, fratrem, filiam vocari didicerit, audacter pronuntiabit Perſarum ſermonem vere Teutonicum eſſe; & ſane cum ratione errabit. Ratio eſt in eorundem verborum vſu, error in neceſſitate argumenti, quam ipſe captat ex tam paucarum vocularum vſu. Non enim neceſſarium eſt eandem linguam Perſicam eſſe cum Teutonica, quod verba eadem ſine vlla mutatione, aut literarum, aut no-

tionis, aut pronunciationis in vtraq; reperiantur. Aliosqui iuſtius Hiſpanica lingua eadem cum Arabica cenſeri poſſit, quum tot puræ Arabicæ voces in Hiſpanico reperiantur, vt ex illis iuſtum lexicon confici poſſit. Certe Teutoniſmi veteris multæ propagines ſunt, & quaecunque matricem Danicam & Norwegicam linguam eſſe non immerito quis ſuſpicari poſſit: Islandica lingua, quæ eſt priſca Norwegica, quid habet commune cum hodierno Teutoniſmo, præter ὀλίγα τινα, quæ veteri Saxonicæ & Anglicanæ linguæ magis reſpondent quam reliquo Teutoniſmo? Sed libri Sacri in priſcum Tiotiſmum ſeu Teutoniſmum conuerſi, qui penes doctos ſcripti extant, quos & nos vidimus, quid maxima ex parte habent commune cum hodierno Germaniſmo? Itaque priſcam Gallicanam linguam, ad Danicam hodiernam aut Germanicam referre, quantæ aleæ eſt? Nam ſi fuit eadem cum Germanica, & Germanica illa adeo diuerſa eſt ab hodierna, fruſtra eam, quam ſcimus, ad eam, quam ignoramus, referimus. Accedit diſtortio verborum barbarorum, quæ Latinitas aut Helleniſmus aſſequi non poteſt. Ludouicum vocant, qui dicebatur *Hlodvvig.* Et, quod magis ridiculum, Lutanicum illum apud Cæſarem Ludouicum eſſe hariolantur. At illa vltima ſyllaba non eſt in nomine Francico. Eſt enim *Wig*, non *Wic.* Itaque potius ille Cæſarianus *Levvtvvik*, quam *Hlodvvig*, fuerit. Sed Cæſar eandem Gallicanam linguam cum Britannica fuiſſe ſcribit. Ea adhuc non ſolum in Britannica ſupereſt, quæ fuit priſcorum Pictonum, ſed etiam eius traduces in noſtris Aremoricis extant hodie. Illa ne verbum quidem nec vmbram habet verbi, quod ad Teutoniſmum referri poſſit. Laudo tamen ſtudium tuum; quia in rebus obſcuris vt errare neceſſe eſt, ita fortuitum non errare. Vale. Lugduni Batauorum. IX. Kalend. Octobr. Iuniani CIↃ IↃ CVI.

Epistola CCXXIX.

Iacobo Capello ſuo S. Nunc accepi tuas literas, quibus ſtatim reſpondeo. Scribebam enim Caſaubono noſtro, qui tibi has curabit. Tuum libellum Epocharũ tandẽ his ſuperioribus diebus generoſi adoleſcẽtes Poloni, qui hic adhuc hærent nobis reddiderunt. qui pluſquam ſeptem menſes in ſarcinarum fundo delituerat. Scito autem vix vnam aut alteram Epocham eſſe; quæ à reprehenſione vindicari poſſit. Nos veram monſtrauimus viam: à qua qui deflectunt, ii præter caſam. Longe enim fugiunt, qui ſuos fugiunt. Vbi demonſtratio eſt, ibi pertinaciæ non eſt locus. Epocha mundi tua, annis nunc LXXVI. nunc LXXV. nunc LXIV. iuſto longior eſt. Ea magnas turbas dat: quia ædificium, quod nullo inſiſtit fundamento, corruat neceſſe eſt. De principio Iobeleorum, quod tu cum multis aliis ab exceſſu Moſis inſtituis, quam friuola ſit ratio, abunde diſputâmus alibi. Idem dicas de XXX. annis illis initio libri Ezechielis, quos & mediocriter perito patet ad regnum Nabopollaſſàri patris Nabuchodonoſori pertinere. ad Iobel autem referri non poſſe, vel ratio annalis Hebdomadæ vincit. Erat enim annus ille V. tam capti Iechoniæ, quam regni Sedechiæ; & proinde primus Hebdomadæ, ſi quidem quartus & XI. erat Sabbaticus, quod nos docet Ieremias. At trigeſimus annus Iobel, eſt ſecundus quintæ Hebdomadæ. IV. enim שבתות ſunt anni XXVIII. ideo trigeſimus, vt dixi, eſt ſecundus quintæ ſemittæ. Atqui debebat eſſe primus. Quod eſt abſurdũ. Et certe erat primus hebdomadæ quartæ. vnde decimus Sedekiæ eſt XXVII. Iobel decimi octaui, Ezechielis XXIX. 17. qui eſt illuſtris locus qui iugulum petit pertinaciæ. Decimus annus Sedekiæ, quod omnes con-

cedunt, eſt noningenteſimus ſeptimus ab Exodo. Per perpetuam regulam de annis Exodi detrahenda XLVII. ad methodum Iobeleorum. Deductis 47. de 907. ſuperſunt 860. quæ ſunt Iobelea abſoluta XVII. hebdomadæ III. anni VI. de hebdomada quarta currente. Non mirum, ante XX. annos omnes, tam veteres quam recentiores ad illum lapidem offendiſſe. Sed poſtquam res à nobis demonſtrata eſt, velle tam manifeſtæ rei obſiſtere, excuſari non poteſt. Quod vero ais, de Hieroſolymis ab Herode & Soſio captis, nos erraſſe, qui XVII. Tamuz in XVI. Iulii contulerimus, fugit te ratio. Capta ſunt Ieroſolyma anno Iudaico 3724. qui erat Sabbaticus, teſte Ioſepho. Tiſri eius 5. 11. 675. Septembris VII. Erat præterea annus Embolimæus, Niſan 2. 4. 826. feria tertia, quia erat annus abundans: II. Aprilis, Cyclo ☉ primo, ☽ tertio. Proinde neomenia Tamuz feria prima, Iunii XXX. Ergo XVII. Tamuz, XVI. Iulii. Vter noſtrum errauerit, iudicem te fero. Inſiſte viam, quam aperuimus, nunquam errabis. Quantulum ſit ingeniolum noſtrum, vt nullius magis intereſt ſcire quam mea, ita nulli magis dolet, quam mihi. Tamen tota hæc doctrina noſtra eſt. Hoc nobis vindicamus. non quod alios aut ingenio aut iudicio antecellimus, (non ita confidentes ſumus,) ſed quia primi & ſoli eam rem tractauimus. Itaque ſi quid in hac re nobis vindicamus, iure noſtro hoc facimus. Poſſeſſio noſtra eſt. Si quis de ea nos vi deiicere poſtulat, omnibus interdictis in eam reſtituemur. Nemo poſtulet ſe digne hæc adminiſtrare poſſe, niſi omnibus humanioribus diſciplinis inſtructus ſit. Quot ſunt hodie, qui Chronologiam nihil aliud quam ſaturam lancem eſſe putant, inquam vt coqui omne genus edulia congerunt; ita iſti omnes annos ſine delectu conicientes, probe ſe munere ſuo functos eſſe putant. At congerere annos vel idiota-

idiotarum eſt. Interualla temporum agnoſcere, non omnium eſt, ſed eorum qui per omnes diſciplinas, & ſtudia humaniora, atque omnem antiquitatem peregrinati ſunt. Matthæus Beroaldus, vir doctus, & quod familiam ducit, pius, primus auſus eſt rem ridiculam, atque vnam tantum ridiculam, rem, inquam, execrandam, memoriæ prodere, Græcos Olympiadas ſuas ignoraſſe: hoc eſt, perinde ac ſi diceremus Muhammedanos huncannum Chriſti Dionyſianum MDCVI. non recte putare MXV. Hegyræ, ex XXIX. Aprilis. Is coniicit annum primum Cyri in primum Olympiadis LXXXI. quãdo Herodotus annos natus XXVIII. & paulo amplius, geſta Cyri, Cambyſæ, Magorum, Darii Hyſtaſpidæ, Xerxis ſcribere aggrederetur. Hanc doctrinam olim is in Athenæo Sedanenſi veſtro, cum magno ſtrepitu plauſuum decantauit: eam hodie homines barbari, bubulci, rupices, pene intermortuam, ab imis manibus excitant; quos propter bonarum literarum & exoticæ Hiſtoriæ odium, καθαρού & Prophetas vocare ſoleo. Ab eadem ſchola eſt, Abrahamum, & Sem, non fuiſſe fratrum ſuorum maximos. & alii præterea κρυβαλισμοὶ, quibus imbecilliora capiuntur iudicia. Ex iſtis Prophetis, ego vnum nuper barbarum, arrogantem, & ſtultum, cum doctrina Beroaldina, ita tractaui, vt ſi quis in eo ſenſus ſit hominis, fecerim, ne poſthac pedem in alienam poſſeſſionem ponat. Eiuſmodi laruæ plus nocent bonis literis, quam qui aperte oppugnant eas. Omne enim genus exoticorum ſcriptorum abdicant: in ſola Scriptura, Conſules, Olympiadas, Archontas Athenienſium contineri volunt. Sed illos bene in Canonibus noſtris Iſagogicis excepimus. Quare ſi quid de doctrina temporum, quod tempus ferre poſſit, meditaris, Sethi Calviſii exemplum ſequere, qui poſt hominum memoriam ſolus Chronicon ſcripſit. Nã quæ hoc nomine

circumferuntur reliqua, putaſne me ea in Chronicorum cenſum reponere? Si ita ſentirem, non opus fuiſſet me tantum laboris ſumere, vt tot millia errorum in apertum producerem, & novam temporum methodum inſtituerem? Gratias tibi de libello numiſmatum ago. quod argumentum olim à nobis ſuſceptum, poſtea magis neglexIMUs quam abiecimus. Sed libellum illum imperfectum mihi redditum eſſe doleo. Legam tam tuo nomine, quam quod ea materia familiaris mihi eſt. Vale. III. Eid. Quintilis Iuliani cIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCXXX.

ADRIANO ROMANO *ſuo S.* Puto meas literas, vna cum Appendicibus ad Cyclometrica mea tibi redditas eſſe. ex quibus animaduertere potuiſti, quam meis erroribus iniquus ſim, neque alio caſtigatore opus eſſe, quam me ipſo. Sed ſane aliis lectoribus, quam quos hactenus nactus ſum, vbique opus mihi erat. præſertim apud vos, vbi paſſim Cyclometrica noſtra ita accipiuntur, vt non humanitus erraſſe, ſed lege Maieſtatis commiſiſſe videar; & nihil melius mihi expectandum ſit, quam vt ſine prouocatione pœnas dem. Vt homini libero ne ad reſpondendum quidem ſit receptus. Tu ſcis de quibus loquar, & qui ſint ii qui literis ſuis vulgo quotidie de nobis ea differant, quibus ipſi potius ſunt digni. Non agam cum illis præciſe, vt ipſi faciunt. nondum enim dies ceſſit. Accipe præterea hanc Diatribam, quam tibi mitto: in qua non ſolum videbis, quam falſi ſint, qui Archimede magiſtro, circulum æqualem faciũt rectangulo ſub ſemidiametro & ſemiſphæria contento: ſed etiam quam male exiſtimationi ſuæ conſuluiſſe videantur, qui non capere potuerunt quod & puero planum fecimus. Rem vtiliſſimam propoſui illis. ipſi eam obtrectationib. ſuis eludere conãtur. Vollellis pugnãt,

non

non gladiis. Lecta mea diatriba, te ipſum iudicem fero, ni inhumane mecum experiuntur, qui ea vellicant, quæ aut non intelligunt, aut ſi intelligunt, nolunt probare, ne cogantur quæ pueri didicere, ſenes perdenda fateri. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Interea, oro te, mi Romane, ſi quis locus eſt humanitati, literarum vinculo, ſacris Matheſeos, vt ea quæ in Diatribam hanc cōiecimus, diligenter perpendas. & vt non ſolum tibi, ſed & aliis ſcriptam eſſe ſcias. Propterea eam illis communica, quos quamuis nobis iniquiores eſſe ſciueris, (vt ſane inhumani ſunt, qui de homine non ita merito prave & ſentiunt & argutantur,) tamen ab his ſtudiis alienos non eſſe ſciueris, imo potius quos tibi conſtabit ſolide de his rebus iudicare poſſe. De paralogiſmo Archimedis dubitare non potes. Et hoc & alia, quæ ad quadrationē circuli ſpectant, ἐπιστημονικῶς à nobis demonſtrata ſunt. Vbi ab hominibus praue tenacibus expreſſero, nos circulū quadraſſe, (velint nolint, hoc fateātur neceſſe tandē eſt) poſtea ad reliqua pergemus. Errores noſtros tollemus. eos qui videntur, & non ſunt, expoliemus. Tu interea, mi Romane, clementius de nobis iudica quam hactenus feciſti. Ego libertatem amo, ſed intra modum, & eam quidem quæ homine ingenuo digna eſt. Si me amas, ad ea quę tibi mitto reſcribas. non enim tanti ſunt, neque tot errores noſtri, quanti & quot vobis ſummis criticis videntur. Vale. Lugduni Batauorum. pridie Kal. Aprilis Sty[illegible]

Hippolyti Canonem, cum appendicibus, tibi miſi. Meliorem in partem opuſculum illud quam Cyclometrica noſtra accipe. Si bene aſſecutus fueris Diatribam quam tibi mitto, habes quod pœnitentiam exprimat iudicii quod de me feciſti. Sane omnes boni & docti ſciunt me humanius excipiendum fuiſſe. Iterum vale.

circumferuntur reliqua, putasne me ea in Chronicorum cenſum reponere? Si ita ſentirem, non opus fuiſſet me tantum laboris ſumere, vt tot millia errorum in apertum producerem, & novam temporum methodum inſtituerem? Gratias tibi de libello numiſmatum ago: quod argumentum olim à nobis ſuſceptum, poſtea magis neglexımus quam abiecimus. Sed libellum illum imperfectum mihi redditum eſſe doleo. Legam tam tuo nomine, quam quod ea materia familiaris mihi eſt. Vale. III. Eid. Quintiiis Iuliani cIↄ Iↄ c VI.

EPISTOLA CCXXX.

ADRIANO ROMANO *ſuo S.* Puto meas literas, vna cum Appendicibus ad Cyclometrica mea tibi redditas eſſe. ex quibus animaduertere potuiſti, quam meis erroribus iniquus ſim, neque alio caſtigatore opus eſſe, quam me ipſo. Sed ſane aliis lectoribus, quam quos hactenus nactus ſum, vbique opus mihi erat. præſertim apud vos, vbi paſſim Cyclometrica noſtra ita accipiuntur, vt non humanitus erraſſe, ſed lege Maieſtatis commiſiſſe videar; & nihil melius mihi expectandum ſit, quam vt ſine prouocatione pœnas dem. Vt homini libero ne ad reſpondendum quidem ſit receptus. Tu ſcis de quibus loquar, & qui ſint ii qui literis ſuis vulgo quotidie de nobis ea diſſerant, quibus ipſi potius ſunt digni. Non agam cum illis præciſe, vt ipſi faciunt. nondum enim dies ceſſit. Accipe præterea hanc Diatribam, quam tibi mitto: in qua non ſolum videbis, quam falſi ſint, qui Archimede magiſtro, circulum æqualem faciũt rectangulo ſub ſemidiametro & ſemiſphæria contento; ſed etiam quam male exiſtimationi ſuæ conſuluiſſe videantur, qui non capere potuerunt quod & puero planum fecimus. Rem vtiliſſimam propoſuimus, ipſi eam obtrectationib. ſuis eludere conãtur. Vollellis pugnãt, non

non gladiis. Lecta mea diatriba, te ipſum iudicem fero, mi inhumane mecum experiuntur, qui ea vellicant, quæ aut non intelligunt, aut ſi intelligunt, nolunt probare, ne cogantur quæ pueri didicere, ſenes perdenda fateri. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Interea, oro te, mi Romane, ſi quis locus eſt humanitati, literarum vinculo, ſacris Matheſeos, vt ea quæ in Diatribam hanc cõiecimus, diligenter perpendas. & vt non ſolum tibi, ſed & aliis ſcriptam eſſe ſcias. Propterea eam illis communica, quos quamuis nobis iniquiores eſſe ſciueris, (vt ſane inhumani ſunt, qui de homine non ita merito prave & ſentiunt & argutantur,) tamen ab his ſtudiis alienos non eſſe ſciueris, imo potius quos tibi conſtabit ſolide de his rebus iudicare poſſe. De paralogiſmo Archimedis dubitare non potes. Et hoc & alia, quæ ad quadrationẽ circuli ſpectant, ἐπιστημονικῶς à nobis demonſtrata ſunt. Vbi ab hominibus praue tenacibus expreſſero, nos circulũ quadraſſe, (velint nolint, hoc fateãtur neceſſe tandẽ eſt) poſtea ad reliqua pergemus. Errores noſtros tollemus. eos qui videntur, & non ſunt, expoliemus. Tu interea, mi Romane, clementius de nobis iudica quam hactenus feciſti. Ego libertatem amo, ſed intra modum, & eam quidem quæ homine ingenuo digna eſt. Si me amas, ad ea quę tibi mitto reſcribas. non enim tanti ſunt, neque tot errores noſtri, quanti & quot vobis ſummis criticis videntur. Vale. Lugduni Batauorum. pridie Kal. Aprilis Stylo

Hippolyti Canonem, cum appendicibus, tibi miſi. Meliorem in partem opuſculum illud quam Cyclometrica noſtra accipe. Si bene aſſecutus fueris Diatribam quam tibi mitto, habes quod pœnitentiam exprimat iudicii quod de me feciſti. Sane omnes boni & docti ſciunt me humanius excipiendum fuiſſe. Iterum vale.

EPISTOLA CCXXXII.

PETRO CAIERO *ſuo* S. Incidit in manus meas exemplum literarum tuarum à Vertuniano noſtro deſcriptum. nam manus ipſa tua, quod mihi dolet, à neſcio quibus, cuiusve culpa, intercepta, hactenus ad me peruenire non potuit. Si tamen amicus quaſi alter ego à veteribus dictus eſt; conſequens eſt, vt Vertuniani tanquã tua à me accipiatur manus. Quæ etſi per ſe plurimum ponderis apud me habet, nullo tamen potiori nomine à me accipitur, quam quod ad amicitiam tecum inſtituendam, illo tanquam proxeneta vſi ſumus. Quo nomine vtrique veſtrum maximas gratias ago: illi, quod mihi ad tuam amicitiam primus aditum patefecerit; tibi, quod ea me non indignum eſſe iudicaueris; quæ vt inter nos firma maneat, poſtquam primum coaluit, omni genere officiorum præſtabo. Illud vnum haud ſcio an præſtare poſſum. id eſt, vt exſpectationi de me tuæ ſatisfaciam, in iis præſertim de quibus per literas mecum agis. Quia tamen incertum eſt, vtrum arrogantius ſit, de re quauis propoſita confidentiſſime reſpondere, an amico aliquid petenti denegare; malui quidem in hanc partem peccare, quam illud, quod ipſo amicitiæ iure quodam tibi vindicare potes, tibi denegare. At primum, quod νοερὸν apud Plutarchum libro Συμποσ. ζ. διὰ τί τὸ μὲν [illegible] &c. pro νεαρὸν in Aldinis editionibus excuſum ſit, extra omnem eſt controuerſiam. Tuum elegans iudicium effugere non potuit, quod Henricum Stephanum non fugit, qui in ſua editione ita repoſuit. Venio ad locum libri quarti, qui tibi immerito, quod tamen bona tua venia dictum velim, ſuſpectus eſt, modo legeris, καὶ [illegible] δι᾽ ὧν [illegible] τῶν ἄλλων, &c. Deinde lege, [illegible] προσιόντας αὐτοῖς προσδεχομένοις. Illud vero

vero quomodo legatur, quod aliquanto poſt ſequitur, non parum refert. quod ego ſine vlla controuerſia ita in integrum reſtituendum eſſe aſſero: ὡς ὁ Μένανδρος πρὸς τὴν κελεύοντα τοῖς λαπάσι προσφέρεσθαι τὴν νύμφην, δεινὸν σύ γ' ὀνείδισμα τῆς νύμφης λέγεις. Vides quam vera hæc ſint, quamque aperte mentem Plutarchi præferant. Sequitur, ἀλλ' ὅπως μὴ ὅτι πλεῖστον ἐγκαλεῖν ἐπίτηδες δοκῶμεν, ὅ τι μάλιστα λέγοντες, ἀποφαίνων αὐτὸς εἶπον ἐγώ. Sed quis modus eſſe poſſit purgandi Sympoſiacorum librorum ſtabuli, quum tot prope menda ſint, quot verſus & commata? nam, vt de aliis taceam, in eodem libro, capite, Πότερον οἱ Ἰουδαῖοι σεβόμενοι &c. lege, ἀλλ' οὐ κανθάρου καὶ γυμνοῦ καὶ κροκοδείλου. Deinde, οὓς ὡς ἁγιωτάτους ἱερεῖς Αἰγυπτίων ἄλλοι περιφέρονται. & initio capitis, ὅτι τὸ εἰκαιότατον τὸν κρέας, non δικαιότατον. Item, τὸ δ' ἀπὸ τρόπου τόδ' ἐστιν, ἔφη ὁ Λαμπρίας ὑπολαβὼν, ἀλλὰ τοῦ μὲν λαγὼ ἀπέχονται διὰ τὴν πρὸς τὸν ὄνον ὑπ' αὐτῶν μυσαχθέντα μάλιστα θηρίον ἐμφέρειαν. Deinde, καὶ τῶν ἱμματίων ἡ λιπαρότης, καὶ τὸ λαμυρὸν. & longo interiecto ſpatio, τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν ἀκμάζοντι τρυγητῷ ἄγουσι τραπέζας, &c. Item, ὑπὸ σκηναῖς καὶ καλιάσι. Neque dubium quin ita lacuna explenda ſit, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ θεῷ. ὧν πίστιν ἐστὶ δήπου &c. Vide quantula ſeges quantam mendorum meſſem dederit. Quod ſi omnia percurrere liberet, non dubito, quin perpauca eſſent reliqua, quæ negotium legenti faceſſere poſſint: ſed quia tunc primũ occurrerunt iſta, quum locum de quo agitur conſulerem, propterea ita vti forte in hęc incidi carptim annotaui, atque huic chartæ illeui. Venio ad tuum קיקיון. de quo ſi interim ſententiam, præſertim Hebræorum, diſcedere licet, eorum iudicium ſequor, qui Arabũ אלכרוע *Elkeroa* eſſe dixerunt. Vix enim fieri poteſt, vt aliter ſit, præſertim quũ veteres ſcriptores ſint, ex quibus hæc Kimhi & Bahal Aruch probant. &, quod caput eſt, vetuſtus ſcriptor Hieronymus idem ſcripſe-

rit. Si vero & quod ſentimus libere pronuntiare licet, ego nihil aliud, quam κίκι Ægyptiorum, eſſe cenſeo, ſtirpem etiam pueris notam. quæ in Syria & in Ægypto in iuſtam ficus magnitudinem attollitur: cuius facies ita cum noſtro κικίῳ conuenit, vt nulla alia eſſe poſſit. Primum nomen קיק quid aliud eſt quam κίκι? Nam in Miſna ſcriptum eſt שמן קיק. Præterea גרעינן quid aliud quam grana cici, vnde conficitur vnguentum nationi Aſclepiadarum notiſſimum? At ſi aliquis mihi objiciat commentum interpretis, oleum illud prodeſſe ad refrigerandum, non magis officere nobis debet, quam interpreti aduerſari. Nam ſi oleoſa non frigida ſed calida ſunt, viderit ipſe, quomodo oleum illud ad refrigerandum faciat, & nouam nos Phyſicam ſuam doceat. Sed nugæ ſunt illæ: quæ non magis nos commouere debent, quam quod iidem plumbei interpretes dicunt, mare Arabicum exonerari in ſinum Ioppæ. quod qui legit, riſu abſtinere poteſt? Quare omiſſis interpretum ſomniis, Kικ eſt verum κίκι, nomine, figura, aliiſque cum illo conueniens. Quod autem te torquet, ἐφημέριον fuiſſe: cur non magis admiraris, id quod maius eſt, nempe ſubito Deum Optimum Maximum illud produxiſſe? Sane magis admirationem mouit, quod ſubito Deus illud produxerit, quam quod adultum ſtatim aruerit. Quin & maioris miraculi loco habeas, quod tres dies homo intra viſcera ceti ſpirare potuit, qui caput ad caudam ceti, pedes ad os & rictum conuerſos habuerit. Hunc enim ſitum Ionæ in ventre ceti fuiſſe natura rei poſtulat, quod per pedes non videatur ita potuiſſe inoffenſe in capacitatem & ingluuiem monſtri conuenire. Sed & illud diſquirendum fuit, quod monſtrum illud fuerit. nam lamiis non raro contigit, vt hominem integrum deglutiant. Vna ſane in portu Narbonenſi diſſecta, hominem armatum

cum intra viſcera habuit. Sed mirum Ionam nullo quam ſimplici Orientalium veſtitu munitum, potuiſſe in rictus illos vaſtos & periculoſos hinc inde præduris dentibus vallatos illæſum incidere potuiſſe. Quod propterea vocauit Oppianus *δυσαντέα χάσματα λαιμῶν*. Minus etiam credam Phyſetera; aut Priſten, aut Orcam. Præacuti enim dentes homini prope nudo non peperciſſent. Reliquus eſt vnus *Μυστικῆτος*, quem nos Balænam perperam vocamus. nam ille pro dentibus ſetacea capillamenta habet; & videtur potius iſte is fuiſſe, in quem conditus fuerit Ionas. quum & capacitas non miror triremi ſit. Sed quicquid fuit, hoc certiſſimum eſt, Dei Opt. Max. voluntate ac decreto accidiſſe. Hæc habui quæ tibi reſponderem. Vtinam tam vera tibi videri poſſint, quam ex vero amore profecta ſunt! Vale. Abenni. 4. Kal. Iulias.

EPISTOLA CCXXXII.

RICHARDO THOMSONI *ſuo S.* Scripſi ad te antea, mi Thomſon, & puto te literas eas vna cum libris, quos ad Cambdenum noſtrum mittebam, accepiſſe. Tandem in manus meas ipſius Cambdeni Anglici opus eximium & *παντὸς φθόνου κρεῖττον* peruenit. Quo nomine gratias immortales illi ago. Neque nunc otium eſt illi teſtari, quanti ego illud opus, quanti eius in me beneuolentiam faciam. Nudiuſtertius literas ad me & ad te à Caſaubono noſtro accepi. quas ea ſedulitate ad te mitto, qua ille à me exigit, vt ad te mittendas curarem. Permagni enim ſua intereſſe ſcribit, vt ad te tuto, pariter cum illis quas ad Wottonos ſcribit, perferantur. Etiam appendicem ad Cyclometrica noſtra tibi remitto. Sed & vnam ad Sauillium, virum doctiſſimum. Cuius nomē ne apponerem, cauſa fuit quod ignoro illud. Audio in ipſa Cyclometrica quoſdam

ſcri-

ſcribere. an ſit ipſe Sauillius, neſcio. tamen ex hac Appẽdice ſcire poterunt, quam inciuiliter de meo opere nõnulli quum primum in eorum manus incidit iudicauerint. Rem ſane ipſam velint nolint confecimus. Libros de Emendatione temporum pene totos immutauimus. Nouum opus eſt, & noua fœtura. Atque vt mihi quoque blandiar, non indignum quod alia forma atque alio corpore lucem videat. Tu vale, & nos ama, ac Cambdenum noſtrum meo nomine ſaluta. Lugduni Batauorum. XIII. Kal. Ianuar. cIↃ IↃ XCIV.

Epistola CCXXXIII.

Richardo Thomsoni. Non licet mihi per occupationes meas tecũ pluribus agere. alias ſcribam prolixius. Nondum legi quæ ad me Hent. Sauillius miſit. Scio mihi multa aliud agenti in Cyclometricis excidiſſe. & ſane, dolet, piget, tædetque. Sed poſt omnium latratus aliquando reſpirandi dabitur locus. & habemus quod correctores noſtros doceamus. Per amicitiam noſtram te oro, vt ſi copia tibi detur, Vitruuium cum veteri exemplari conferre, illum laborem ne graueris mea gratia, maximo me deuinxeris beneficio. Quod te iterum atque iterum rogo. Vale. XVIII. Cal. Iulias cIↃ IↃ XCV.

Epistola CC[illegible]XIV.

Richardo Thomsoni. Non dubito quin Photii Lexicon, & Politiani ſchedula, quæ ego in epiſtolam conieceram, ne deerrarent, [illegible] reddita. Quamuis, inquam, nõ dubito quin omnia tibi reddita recte ſint, tamen velim ex literis tuis ſc[illegible] acceperis. Nõn enim animo prius conquieſcam, q[illegible]m ex te ipſo,

ipſo, tibi reddita fuiſſe, reſciuero. Catalogus ille ſcriptorum Oxonienſium & Cantabrigienſium librorum mirifice me affecit; præſertim quum videam, multa in illis monumenta eſſe, quibus res Gallicæ & regni Francorũ illuſtrari poſſint. & præterea non minorem numerum eorum, quibus Tyrannis Pontificia manifeſto deprehendi poſſit. tum quæ doceant, quando cloacæ illæ & colluuies monachorum ſeſe in Europam effuderint: vt Loiolitæ hodie & Capuccini. Habetis quoque Originem in Celſium, alioſque eximios Græcos nondum editos; quos parum vexari ab iis puto qui in illis Collegiis degunt. A me certe non raro reuiſerentur, ſi ibi adeſſem. Sed de Chronico Euſebii ruſus tibi autem vello, niſi hoc inconciliarit ſtudiis tuis. cum hac enim exceptione tecum agi velim. Ego iamdudum ſupremã manum illi libro impoſui. Vere poſſum dicere, me illum ſcriptorem ab inferis excitaſſe. quanquam propter inſignia errata quibus ſæpius ſeſe obligat, indignus erat cui tantum ſtudii impenderem. Sed antequam illũ aggrederer, aliũ finem propoſui, quam meritum ſcriptoris. Tu videbis aliquando, & iudicabis. Quum ad te hęc ſcriberem, motiunculis & horroribus quibus ſub veſperam per octo dies tentari ſolebam ob κατάῤῥουν defunctus etiam. Videor omnino illa moleſtia liberatus dięta & abſtinendo à publico. Nemo eſt qui minus valetudinarius quã ego; ſed ſenectus ipſa morbus eſt. Vale, mi Thomſon. XVII. Cal. Ianuar. Iuliani. Anno CIↃ IↃ C.

EPISTOLA CCXXXV.

RICHARDO THOMSONI. Quum tuas poſtremas accepi, vna cum ſchedio Politiani, ex illis cognoui tibi nondum redditas fuiſſe meas, quibus certiorem te de Photii Lexico & ſchedis ad me miſſis faciebam,

bam. Remitto tibi nunc Photiũ tuum; optimum ſane librũ, & quem edi è re literaria eſt. quanquã omnia, quæ in illo ſunt, hodie in aliis, vnde ipſe hauſit, exſtant. Quia tamen laborem legentium leuare poſſit quod in eo omnia congeſta ſunt quæ ſparſim in aliis relegere labor eſt, non exiguam à ſtudioſis gratiam inieris, ſi tam vtilem librum in publicum exire patiaris. Exſtat hodie magno cum fructu legentium ſimilis labor Varini Fauorini, qui æqualis fuit ſeculi Politiani. Et quanquam apud ſtudioſos magna in gratia eſt, nihil tamen habet, quod non hodie in aliis repertatur. In poſtremis meis petebam à te, vt ex Richardo à Montecaluo ſciſcitareris, nunquid verum ſit, quod de Opuſculo Tertulliani nuper reperto ad me ſcribebat. Mouit mihi ſaliuam Epiſtola ſua: & hactenus [illegible] χάριν. Ego tuis illis in Ariſtotelis περὶ ζῳογονίας analectis cœnulas patris mei inſtruam, cuius Commentarii adhuc deſcribuntur. ſi quid amplius habes, quod [illegible] noſtram iuuare poſſit, comiter imperti. Nunquam enim otioſi ſumus. atq; vtinam votorum noſtrorum vela typographi ferrent. Sed ab eis ventus nos deſerit, quominus ad portus noſtros vela faciamus. Aut enim edere recuſant; aut ſi recipiunt, ſuo commodo excudunt; & interea nos torquent exſpectatione, dum ipſi res ſuas agunt, noſtras negligunt. De loco Syneſii: ὅταν ἔτνους προκειμένου [illegible]. quando, inquit, in conuiuio Philoſophico oritur iocularis, vt ſolet inter epulas, diſceptatio de frõte calua, tu [illegible]imus [illegible]prædicas, atque adeo de caluitio ſerio triumphas. ἔτνος oſtendit frugalitatem cœnæ Philoſophicæ. Eæ enim erant epulæ Philoſophorum, [illegible], φακὴ, λέκυθος, quæ ἔτνους nomine comprehenduntur. Eiuſmodi eſt olla ἔτνους in cœna Philoſophi apud Gellium lib. 17. cap. 8. In conuiuiis autem Philoſophorum non de vectigalibus reipublicæ, neque

profe-

profecto de mathematicis aut grauioribus ſtudiis agitur, ſed de iis quæ bellaria ſunt cœnæ. hoc eſt, de ſcommatis, vt in Sympoſio Xenophontis: ὅτι ἦν πάνυ γελωτοποιὸς; & hic apud Syneſium de Caluitio. Iam περιπλείονας ἐπαίνους dici, quod appoſitum Suetonius dixit, non ignoras. *Anteponere prandium & ientaculum* dixit Plautus. Ita vertes: *quando appoſita lente, frontium (caluarum) ſpectatio fit aut examen.* Hanc puto, eſſe mentem Syneſii. Tu fortaſſe, ſi animum adiicias, melius comminiſceris. atque vtinam! Nos melius nō potuimus. Vale, mi Thomſon, & nos ama. Lugduni Batauorum. VIII. Cal. Quinctilis Iuliani cIɔ Iɔ c.

EPISTOLA CCXXXVI.

RICHARDO THOMSONI. Quamuis iſte adoleſcēs, qui has tibi reddet, in articulo me oppreſſit, vt per eius properantiam, longiores ad te dare non liceat; gratum eſt tamen, quod inuenerim cui recte meas dare poſſem. vt ſaltem vltimas tuas quibus adoleſcentes Labbæos commendatione mea caros fuiſſe tibi ſignificas, accepiſſe me certiorem te facerem. qua humanitate quod proſecutus eos fueris, quam non dubitabam tamen quin prolixe in eos explicares; vel eorum nomine, ſi tibi noti cœpiſſent eſſe, vel meo, tametſi optima & lectiſſima eorum indoles ignota tibi eſſet, maximas tibi ago gratias. Ego, mi Thomſon, ita de te mihi perſuaſi, vt nihil non a te, quod in tua poteſtate ſitum ſit, impetrare me poſſe confidam. Atque vtinam iterum garrire quod tecum liceat! per hunc non licet, qui tam repentino diſceſſu ſuo omne officium noſtrum interpellat. ſed prolixius licebit alias. De הכבד ים non eſt quod crucem nobis ipſi figamus. Conſtat quidem Peruaim eſſe nomen loci, vt & Ophir, ſed quis ille

ſit

ſit tractus, quæ regio aurifera, fruſtra quandiu viuent litere, quæretur Nam ſtultiſſimum eſt de Peru orbe nouo. Quod nomen ab Hiſpanis ipſis, qui has aperuerunt regiones, impoſitum puto. Et ſi vetuſtum eſſe concedamus, tamen tam ignotum illis ſæculis Prophetaris & Patriarcharum fuit, quam memoria maiorum noſtrorum, priuſquam illuc Hiſpana penetraſſet auaritia. Anilem apud Ariam Montanum explicationem riſi: quamquam longe puerilius delirant, qui illud ὑπὲρ τῶν νεκρῶν βαπτίζειν interpretantur. Nam quoſcumque videre mihi contigit, οὐδὲν ὑγιές. Vide quid dicat, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. non dixit ὑπὲρ νεκρῶν. Nam tam differt, quam ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, & ἀνάστασις νεκρῶν. Chriſtus ſuſcitauit puellam & Lazarum. Illa eſt αἱ ἀναστάσεις τῶν νεκρῶν. Eſt enim definitum: & conſtat de quibus ſit intelligendum. At περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν dicimus, quæ vniuerſalis eſt, & non definita. Ridendus enim eſſet, qui diceret, πάντων ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν. de quibuſdam enim accipiendum eſſet, non de omnibus. Ne ætate noſtra ab vltima antiquitate in Eccleſiam errores irrepſiſſe miremur. Ecce, & tempore Pauli, ſtulti quidam erant, qui & Paganiſmi veſtigia retinerent, ſed & in Chriſtianiſmo praue quædam interpretarentur. Vt quum quis in familia ante baptiſmũ diſceſſiſſet, paterfamilias quotannis nomine eius baptiſmum iteraret; idque in occidente Calendis Februarii, vt apud Tertullianum v. in Marcionem habes. Quæ praua cõſuetudo infra Honorii Cæſaris tempora durauit. Certe hodie eam Abyſſini habent: qui baptiſmum die Epiphaniorum quotannis iterant. Cauſam, vt ſunt omnium rerũ imperitiſſimi, ignorãt. Sed indubitata eſt ea cauſa. Nunc Apoſtolus dementiam eorum, qui reſurrectionem negabant, ab eo ipſo, quod praue facerent, exagitat. Si, inquit, quidam reſurrectionem negant, quomodo pro mortuis in familia ſua, in ſpem

reſur-

reſurrectionis baptiſantur, & tamen reſurrectionem negant? Aduerſantur enim ſibi. Contraria quippe ſunt, reſurrectionem negare, & in ſpem reſurrectionis facere aliquid. Eleganter in hunc locum Chryſoſtomus, *οὐ μικρὸν δὲ τοῦτο εἰς συνηγορίαν δικαίωμα, ὅταν τοὺς ἀντιλέγοντας αὐτοὺς μάρτυρας παραγάγῃ· δι' ὧν ποιοῦσι, τῶν λεγομένων.* Non probat ſtultum illum morem (qui enim hoc facere poſſet?) ſéd ſtultum illud factum ad probandum eos pugnantia ſentire adducit. vt qui dicto negent reſurrectionem, facto adſtruant. Hæc procul dubio vera eſt interpretatio. Nam miſeret me amici noſtri venerandi ſenis, qui tam ridicule illum locum exponit. Quid ſimplicius, quid verius interpretatione iſta? Ex vacillantibus apicibus meis properantiam meam vides. Alias meliora & opportuniora. Vale, mi Thomſon. Prid. Non. Iulii Iuliani. Lugduni Batauorum. CIƆ IƆCI.

EPISTOLA CCXXXVII.

RICHARDO THOMSONI. Quanta lætitia me affecerint tuæ, cum libro More Hanneuokim; alio argumento, quam epiſtola, tibi probandum eſſet. Scito igitur, pluris mihi eſſe librum, quam ſi *ἰσόμετρον χρυσοῦν* miſiſſes. Sed dolet mihi, te non habuiſſe indiculum à me, vnde ſcire poſſes quoniam Hebræos deſidero, & interea alios inieciſſe merces in mercimonium. Quod ſi aliquid adhuc ex illa congerie ſupereſt, quod in indiculo, quem tibi mitto, reperias, oro te, vt quocunque pretio illud mihi mittes. Ego ſtatim pretium Raphelengio noſtro dinumerauero: quo cum & Northono mutua intercedunt commercia. itaque alterutri rem ſoluiſſe ſat eſt. Ego nihil vnquam æris alieni reliquum in me

Gg reſidere

reſidere patior. Grabatulum meum ſemper me omni debito, ideoq; & omni cura ſolutum, excipit. De duobus illis lo is vberrime tibi reſpondi. Literas dedi Gallo, qui operam Theologiæ hic dabat. Is rediens in Galliam ad vos tranſire voluit. Nam & iſthic ól m ſtuduit, & te optime nouit. Dicebam Peruim nomen loci Indiæ Oriental s eſſe; ſed cui hodiernæ appellationi conueniat, non magis nobis conſtare, quam multa ἐθνικὰ in Bibliis, et am Hieroſolymis vicina. quæ facilius eſſet explicare, quam illa longinqua; quum tamen tam ignota nobis ſint, quam quæ remotiſſima. Idem de Ophir dicas. Certum eſt, tam illud quam Ophir ad Orientem pertinere, cuius commercia ab vltima antiquitate ad hanc ætatem ſemper frequentata ſunt. Nam cinnamomum, piper, & reliqua etiam vetuſtiſſimis nota fuerunt: quæ non niſi ex Oriente huc aduehuntur. De Peru Occidentali India, nugæ. Puto Ariam Montanum illius ioculatoriæ interpretationis auctorem eſſe. At illa veteribus, & noſtris quoque, incognita ad id ꝗui quando primum Hiſpani eo penetrauerunt. Præterea neſcio an Peru ab Indis potius, quam à Chriſtianis, illa ingens continens vocata ſit. De loco Pauli primum dicebam, genus loquendi ὑπὲρ τῶν νεκρῶν cum art culo τῶν conſiderandum: deinde morem priſcæ ſuperſtitionis, quamuis tempore Apoſtolorum, atque adeo viuente Paulo natæ, ſubeſſe. Βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, eſt pro mortuis quibuſdam baptizari; ὑπὲρ νεκρῶν, pro omnibus mortuis. At nemo ὑπὲρ νεκρῶν [illegible] ſed ὑπὲρ τῶν νεκρῶν baptizabatur. pro quibuſdam mortuis, qui in familia, antequam illis contigiſſet baptizari, deceſſerant. Qua enim dictum, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*; contrarium inferebant, *Qui non baptizatus fuerit, ſaluus non erit.* ideo, ſi quis in familia nondum baptizatus moreretur, paterfamilias pro eo quotannis baptizari ſe procurabat:

bat: & hoc modo ſatisfeciſſe ſe pro mortuo putabat. Mos hic diu apud ſuperſtitioſos quoſdam, teſte Tertulliano durauit; isque quotannis, Kalendis Februarii inſtaurabatur. Eccleſia Æthiopica hodie ſi non morem eius, ſaltem retinet veſtigia. Quotannis enim die Epiphaniæ abluuntur. quæ iteratio baptiſmi ſine dubio ex illa ſuperſtitione propagata eſt. Valde ſuperſtitionem illam exagitat Tertullianus. Et tamen fallitur, qui ex praua loci illius Pauli interpretatione natam putat. quum contra locus Pauli poſterior ſit illo more. quod tam clarum eſt, quam puerile, ſi Tertullianum ſequamur. Nam Apoſtolus, cum videret homines negare reſurrectionem, ex illorum facto eos, quamuis ſtultos, arguit: Negatis vllam eſſe reſurrectionem: quomodo ergo quidam inter vos in ſpem reſurrectionis ſe pro mortuis quibuſdam vt ipſi reſurgentes ſaluentur baptizari in familia curant, ſi reſurrectio nulla eſt? Stultus eſt mos baptizati pro alio in ſpem reſurrectionis, ſtultior omnino baptizari in ſpem reſurrectionis, & tamen reſurrectionem negare. Qui dicunt hunc morem tunc non fuiſſe, non ſolum aduerſus tenorem textus hoc dicunt, quo manifeſto conuincuntur, ſed & inde, niſi interpretatione, quæ neque cœlum neque terram tangit, extricare ſe non poſſunt. At ex contextu, etiam cæco patet morem fuiſſe. Et præterea fuiſſe morem Tertullianus ait. Vides ipſis Apoſtolicis temporibus ſuperſtitiones fuiſſe. Ne miremur multas inde vſque in noſtram ætatem radices egiſſe, vt pro partibus Sacræ religionis admiſſæ ſint. Pro illis nempe hodie Papiſtæ & Ieſuitæ inſaniunt, & cœlum terræ miſcent:

Vale. Eid. Auguſti Iuliani
cIↄ Iↄ cI:

EPISTOLA CCXXXVIII.

RICHARDO THOMSONI. Poſtremis tuis iam reſpondi. In illis de miſſis ad me menſe Iunio Bibliis monebas. Ego vero me nulla accepiſſe, nullum eorum odorem ad nos perueniſſe, ſignificaui. De Samuele illo Roterodamenſi nauta dedi negotium amicis, qui percontarentur. Negarunt ſe vllum eo nomine nautam, aut noſſe, aut, qui nouerint, vidiſſe. Tabellarium quidem vrbis publicum eſſe, cui nomen Samueli. Non mediocriter miror, quid illis infelicibus Bibliis factum ſit. Exemplar aliud à Latio miſſum, ſed duobus quaternionibus mutilum, accepi. Ego librum imperfectum perinde cenſeo ac nullum. Hoc miſerius eſt, quod non minus pro eo precium perſoluendum ac ſi integrum eſſet. Quare valde cupio integrum exemplar nanciſci, & illud redhibere. Magis miror, quod nuper Scriuerio ſignificaſti, bina te Biblia ad me miſiſſe. Idem mihi dolor de Nouo Teſtamento Hibernico inceſſit; quod plurimi fecerim nanciſci. Meus Euſebius, quod felix fauſtumque ſit, hodie duobus prælis committi cœpit. Latina Hieronymi abſoluta ſunt. Superſunt Græca, Notæ, Iſagogici Canones; magna moles operis. Sed acceſſio alterius præli ſpem maturioris partus facit. Scriuerii Martialis ante xv. menſes poterat prodire, ſi per negotia illius licuiſſet. Quatuor tantum quaterniones abſoluendo operi deſunt. Vrgeo quotidie hominem. & libenter obiurgationem meam audit. ſed caſtigatio moræ moram ipſam auget. Verum de editione Chryſoſtomi quid ais? Ego, non ſolum Pariſiis edi, ſed & paratum, vt tuæ literæ loquuntur, abeſſe à fine putabam. & iſtic apud vos inſtituitur editio. ac nondum, quantum video, cœpta eſt. De Miſſa quod quæris, iamdudum aliquid parturio, quod nondum parere per meas occupationes poſſum.

Erit

Erit aliquando, vbi aliquid poſt alios muginabimur. Locus Tertulliani ita interpungendus: *Alioqui etiam Laicis ius eſt, (quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari debet) niſi Epiſcopi iam aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur.* Sententia apertiſſima. Laicis etiam permittitur, niſi velint & ipſi ex hac licentia ſibi propter neceſſitatem conceſſa, Epiſcopi & Presbyteri dici, quemadmodum & Quintilla, & qui eam ſequuntur, id ius ſibi & nomen vindicare videntur. Sed vetuſtus error eſt in Eccleſia receptus, Laicis licere baptizare, propter alium errorem, quo metuebant illis qui ſine baptiſmo moriebantur. quaſi vero vllum periculum damnationis ſit illis, qui moriuntur in Eccleſia Chriſti. hoc excepto, ſi per ſuperbiam aut contemptum, aut negligentiam, baptiſmus dilatus ſit. In hunc errorem poteram plura. Tu interea iſtis contentus eſto. Vale. Lugd. Bat. III. Kal. Sextilis Iuliani cIↄ Iↄc IV.

EPISTOLA CCXXXIX.

RICHARDO THOMSONI. Iamdudum ad duas poſtremas reſpondi. Gratias etiam egi, vt & nunc ago, de Ioſepho Gorionide Hebræo: neque dubito, tum te meas accepiſſe, tum meam ſollicitudinem ex illis intellexiſſe, quod pro meritis tuis in me ſatis magnas referre non poſſum quas debeo grates. Itaque quod verebar ne parum gratus viderer, quod parum eloquens in recordatione beneficii ſum, hoc omne æquanimitate tua ſuppleri poſſe puto; præſertim quum animus meus tibi ab omni ſimulatione alienus, ſatis perſpectus ſit. Cæterum eam humanitatem in Gorionide expertus ſum, eandem vt in Bibliis priſcæ Pictonum linguæ mihi præſtes, &c. Nummos Northono numerari ſtatim curabo.

rabo. Diu eſt quum illum librum expecto. Quæ Biblia intelligam, & tibi iam ſignificaui, & te intelligere iamdudum mihi ſignificaſti. Gratiſſimam rem nobis feceris, ſi Concordantias Hebraicas nobis paraueris. Nam librorum Hebraicorum eſt apud vos, quam in illis regionibus, vbi olim excuſi fuerunt, parabilior copia eſt. Ioſephum enim illum, quem beneficio tuo poſſideo, amici noſtri Venetiis, vbi editus fuit, nunquam inuenire potuerunt, quamuis diligentiæ nihil reliquum facerent; & non ſolum ipſi, ſed & per amicos, etiam per familiares Iudæos, omnes angulos vrbis ἐσκευώρουν. Nobilis quidam veſtras Michael Huaſs, Cantabrigia ad me ſcripſit. Ei, quas ſcribo, reddas, oro, literas. Non potui expiſcari quid velit: quod tamen ſuſpicari potui, de eo quid iudicii mei ſit, ſignificaui. Itaque oro te, mi Thomſon, vt quando ad me dabis literas, prius eum conuenias, vt ſcias an iterum ad nos aliquid ſcribere in animo habeat. Contextus mei Euſebii Græcus & Latinus in procinctu eſt. Quum videris, moras editionis excuſabis, imo miraberis, pauculis menſibus tantum me laboris explicare potuiſſe. Aliud denique, quam id, quod daturi ſumus, à nobis expectatur; & nemini, qualis futura ſit editio noſtra, in mentem venire poteſt. Hodie Notas in eundem autorem & εἰσαγωγὴν ἐπιστημονικὴν ad rationem temporum aggrediemur primum. Aut fallor, aut nuper poſtremis tuis, Latine an Græce Irenæus ſcripſerit, quærebas. Ego miratus ſum, Eraſmum ex illo febriculoſo interprete Latino, qui nobis ſupereſt, iudicaſſe, & verum eſſe Irenæum & Græciſſare. Sed ineptiſſimus fuit ille Latinus interpres, & multa, quæ non intellexit, aut omiſit, aut deprauauit. Quæ apud Epiphanium extant, Fragmenta, rerum præterea ipſius Irenæi geſtarum apud Euſebium hiſtoria, ſatis conuincunt, & hominem Græcum fuiſſe, & Græce ſcripſiſſe.

pſiſſe. Neque dubitandum. Vale. Lugduni Batauorum. XVII. Kal. Decembris Iuliani. In Anglia editionem Græcorum opuſculorum Chryſoſtomi omnium, quæ extant, parari audio. Quid de ea re inceptum ſit, vti me quamprimum certiorem facias, etiam atque etiam oro. Iterum vale. Rurſus ſi quo caſu in manus tuas verſio Alcorani Latina inciderit, ne parcas ſumptibus. Ego quouis precio illam mihi parari cupio. & ſummopere à te contendo, ne de manibus tuis elabatur. nihil eſt quod gratius mihi facere poſſis. Iſte Michael Huiſs Anglus an Danus ſit, neſcio. Tu poteris ſcire. Dominum hæreditarium alicuius Dominii ſe vocat, quod ego legere non poſſum.

EPISTOLA CCXL.

RICHARDO THOMSONI. Accepi tuas literas. ſed ante aliquot dies alias tibi ſcripſi, vt ſcirem ex te quis ſit Thomas Lidiat iſte: quo monſtro nullum portentoſius in veſtra Anglia natum puto; tanta eſt inſcitia hominis & confidentia. Ne ſemel quidem illi verum dicere accidit. Vt ſimiæ, quo turpiores, eo magis oblectant, ita iſte nunquam magis mihi placet quam vbi aliquid παρακεκινδυνευμένον effutit. Mirum vero, tibi ignotum eſſe. Atqui aiunt, illum quotidie aliquid mugire, & non pauca edidiſſe. Ex iſtis quoque nundinis incidit in manus meas eius de Planetis ſcriptum, non melius, vt puto, quam illud de varia annorum forma. Video illum vnum me ſibi propoſuiſſe, quem æmularetur, Chriſtmannum, quem imitaretur. Nã & ille caprimulgus Heydelbergenſis aliquid de curſu Solis vomuit, quod ſtatim à doctiſſimo Mathematico

matico confutatum eſt. Denique miram ζηλοτυπίαν in nos toto ſuo ſcripto teſtatur, & vnum tantum Chriſtmannum miratur. Scire aueo quis ſit, & vt in illam curam ſedulo incumbas, oro. Nam tribus verbis eius amentiam confutabo. quod non ex dignitate poſſum, niſi de hominis moribus, ætate, ſtudio, arte, & vita mihi conſtet. Expecto vt quamprimum in hoc negotio mihi ſatisfacias. Intereſt enim reipublicæ, talia monſtra profligari. Etſi indigni ſunt illi, qui ſtudia noſtra morentur, propter imbecilliora tamen ingenia, quæ facile nouitate rerum mouentur, hunc laborem non grauabimur, neque infra dignitatem noſtram eſſe putabimus, vt omnia, quæ publicis commodis officere poſſunt, de medio tollamus. Atque vtinam nulla alia pateremur monſtra, præter iſta quæ vno ictu confici poſſunt. Sunt & alii in medio noſtrum, qui quod nomen magnum ſibi iam apud imperitum vulgus Scholaſticorum pepererunt, ſola auctoritate atque exiſtimatione, non autem doctrinæ aut veritatis præſidiis, nugas ſuas tuentur. Hæ ſunt literarum vomicæ, quæ vt plurimum latent, ita plus nocent. περὶ תקון סופרים mihi conſtat, non omnes locos, quos Iudæi à veteribus criticis mutatos dicunt, ab ipſis interpolatos fuiſſe. Id facile probari poteſt. Vnum fortaſſe aut alterum contaminarint, vt τὸ, ὤρυξαν πόδας μου, καὶ χεῖράς μου. Nam quomodo hodie legitur, nullum commodum ſenſum concipiunt. Sic iidem Iudæi LXX. Interpretes locos multos in Græca ſua editione mutaſſe fabulantur, eoſque in medium producunt. qui tamen aliter leguntur hodie, atque ad Hebraiſmum expreſſi ſunt. Itaque in his non temere Iudæis credendum. De hoc multa producere poſſem non vulgaria, quæ fortaſſe meliori otio reſeruabo. Quicquid vero Iudæi Ἑλληνισταὶ Alexādrini de ſua Græca τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνέων referunt,

... madidis quæ cantat Soſtratus alis,

quam

quam vana ſint; ex trib. verbis quæ reperies in Euſebianis noſtris, iudicare poteris. Martialem amici noſtri nunquam proditurum ſpero. trium aut quatuor foliorum ad ſummum opus eſt, vt abſoluatur. Et tamen ante biennium ſi prodiiſſet, ſero prodiiſſet. Quoties mihi deierauit ſe ſupremam manum operi additurum? Nullius magis quam eius, intererat, iam publicatum fuiſſe. Sumptibus enim eius editus eſt. Et quid moram hanc excuſare poſſit, non video. Interpretatio noſtra Græca multorum, & quidem meliorum ac caſtiorum Epigrammatum, vna edita eſt. Opuſculum in capita, inſtar ἀνθολογίας, Spectaculorum Epitaphiorum, Virorum, Puerorum, Fœminarum, & aliorum præterea argumentorum digeſſimus. quæ profecto tam indigna ſunt latere, quam Martialem ipſum. Sed quid agas? Obſtinatus obdurat. Sed Vale. XI. Kalend. Decembris Iuliani cIↃ IↃCV. Aio tibi, doctiſſimum Germanum, alias ignotum mihi, Sethum Caluiſium, eximium Chronicon; rationibus noſtris per omnia munitum, edidiſſe. cuius exemplar ad me miſit. Non potuit ad nundinas produci, quia ſub tempus ineuntium illarum prodiit. Solus ille optimus & eruditiſſimus vir repertus eſt, qui inter Chronologos nugari deſiuerit. Opus eſt præſtantiſſimum, vtiliſſimum, & omni doctrina refertiſſimum. Vale iterum.

EPISTOLA CCXLI.

RICHARDO THOMSONI. Commentarium Zonaræ in Canones Apoſtolicos accepi: quo nomine gratias tibi ago; ne addam quod dupliciter me tibi deuinxiſti, tum quod librum à me fruſtra quæſitum

tua opera nactus ſum, tum quod etiam liberalitate tua, quandoquidem pretium tibi refundi non vis. Scito autem, quum hæc ſcriberem, adhuc ex languore, qui me menſem obſidet, nondum me recepiſſe; & ægre manum tremulam his pauculis exarandis ſuffeciſſe. Quare & morbum excuſabis & imbecillitatem, ſi neque longiores ad te ſcribo, neque ad ea, quæ de libro Galatini ſcribis, reſpondeo. Poteris notare locum quem deſignas. Nam in fine operis ſui multa obtorto collo de ſacramento carnis & ſanguinis Chriſti proponit Galatinus, quæ adeo aliena à propoſito eius ſunt, vt indigna ſint, quibus etiam legendis opera detur. Perplurima inepta, futilia & ſubleſta eiuſmodi in illo operē ſunt, alioquin in quibuſdam vtili, addo etiam neceſſario; ſed quod non temere, nec ſine delectu tractandum. Eſt epitome ingentis operis, cui nomen, Pugio fidei aduerſus Iudæos, auctore Raimundo Sebon Dominicano, qui ante ccxxx plus minus annos Toloſæ viuebat: eiuſque ingens opus ante aliquot annos in Collegio Foxenſi Toloſano extabat; & adhuc extare puto. Quare ingratus fuit Galatinus iſte Franciſcanus, qui ne ſemel quidem nomen Raimundi Sebon memorauit. quum, vt dixi, liber Galatini nihil aliud quam Breuiarium Pugionis Raimundi Sebon ſit. De Lidiat non poſſum tibi paucis narrare, quanta hominis imperitia, ſtultitia, confidentia ſit. Coniicienti oculos in librum ſtatim ſuboluit inſcitia hominis. Sed hoc nihil eſt, præter quæ in diſcutiendo eius libro animaduerti. Non eſt ſimilis morio in orbe terrarum. Paucis aſinitatem eius perſtringam, vt lector rideat. Nam in tam prodigioſe imperitum ſcarabeum ſcribere, neque noſtræ dignitatis eſt, neque otii. Ridebit lector, certo ſcio. Omnem Loiolitarum σπηκιὰν in me concitaui. neque hoc ſatis erat, niſi noſtri inſtituti hominum proteruiam neſcio quo fato

meo

meo experirer. Legi Georgii Thomſonii Scoti ea quæ in Lipſium magis æmulatione quam veritatis amore ſcripſit. Agnoſco doctrinam in homine; ſed modeſtiam requiro. De Ieſuitis iam deprehenſis auet ſcire animus quid fiet. De quibus omnibus, quid actum fuerit, ex te libenter didicero. Meus Euſebius non quidem his Nundinis prodibit: non longo tamen poſt nundinas mittetur tibi. Sed quid ago? breuiores me ſcripturum promiſeram. Et ecce iam opiſthographum mitto. Vale. Lugd. Batauorum. IV. Nonas Martii Iuliani CIƆ IƆ C VI. In ſummo languore ſcripſi.

EPISTOLA CCXLII.

RICHARDO THOMSONI. Tandem optatiſſimas literas tuas accepi. Mirabar, qui factum eſſet, vt Latius noſter ſine vllis à vobis diſceſſiſſet. Iam querelã de ſilentio tuo inſtituebam. Sed acceptis tuis literis te culpa ſimul, & me cura liberaui. Mei Martialis vnicum tantum exemplar accepi, in quo πάρεργον τοῦ ἔργου κρεῖττόν ἐστι. Maximus enim Caſaubonus Epiſtolam operi prætexuit, quæ non minore quam Panegyricus Heinſii inuidia me onerabit. Ego, quanquam illas dotes in me non agnoſco, tamen amicos de me mentiri libenter patiar, quod hoſtes eorum & mei eo adigantur, vt nihil quam ſuſpendium cogitent. Nam ſane male vrit eos, in partibus eorum, quos ipſi hæreticos vocant, inueniri aliquos infra quos ſe poſitos vident. Quia primi omnium eſſe volunt, ideo neque alios laudari patiantur, neque ſe ab illis longe vinci fateri poſſunt. Ego Labbæo illud opus meum vna cum Publianis & multis aliis verſionibus noſtris dederam; quas nõ ita

ita contemno vt iuuentuti vtiles fore non credam. Tamen neſcio quod tędium Typographo omnia excudendi inceſſit, quum ſolum Martialem ediderit. Reliqua enim non minores fructus, addo, neque minus voluptatis promittunt. Quanti ego mea faciam, ex eo iudicare potes, quod nullum exemplar eorum retinere ſoleam. Omnia arbitrii & poteſtatis amicorum facio, vt aut edant, aut (quod mihi gratius) perpetuis tenebris ea damnent. Phœnices literas, quod in extrema Epiſtola quęris, diu ante Moſem fuiſſe, noli dubitare; eaſque eſſe, quibus olim Hebræi, hodie vero ſoli Samaritæ vtuntur. Multa vetuſtiſſima numiſmata quotidie in partibus Tyri & Sidonis eruuntur, in quibus characteres illi ſine vlla mutatione exſtant. Nam lingua Hebraica eſt quæ in vſu Chananæis, hoc eſt, Phœnicibus, tempore Abrahami fuit. Syriaca vero, qua antea Abraham vtebatur, duntaxat in Euphratis tractibus locum habebat. quæ ex Chananæa degenerauerat, propter frequentem vſum & aliarum gentium commercia, quæ in Babyloniā negotiationis cauſſa ſeſe conferebant. Aſſyria enim, vt omnia priſca monumenta teſtantur, prima omnium regionum culta fuit. Ibi ſunt natales primi hominis, ibi ante diluuium poſteritas Adam manſit. Poſt diluuium magna Babylon conſtructa fuit, & omnes ripæ Euphratis ampliſſimis & opulentiſſimis vrbibus prætextæ erant. quum interea coloniæ ex illis regionibus in Syriam Phœniciamq; deducerentur, quæ adhuc æuo Moſis, & infra illa tempora, linguæ Aſſyriæ primæ indelibatum & incorruptum conſeruarent ſermonem, quia peregrini raro ad eos penetrarent, qui eorum linguam contaminarent. Ipſi Chananæi eos, qui ex tranſeuphratenſibus partibus ad illos veniebant, Hebræos, hoc eſt, *περάτας* vocabant. Et ita primos Patriarchas, & deinceps eorum poſteritatē vocatos, & adhuc vocari, nemo neſcit:

Pro-

Propterea, quia illi non ea lingua, quam ex tranſeuphratenſi regione reportabant, vtebantur, ſed quam in Chananæorum finibus didicerant, lingua illa non Chananæa, ſed Hebræa dicta fuit; quemadmodum lingua Syriaca, qua Iudæi tempore Chriſti vtebantur, Hebraica dicitur, quum tamen non eſſet Chananæa, ſed Aſſyria. Literæ, quæ in vſu ſunt hodie Iudæis, Hebraicæ nobis dicuntur mendoſe; quum verius dicerentur Iudaicæ. At Iudæi ipſas vocant אשוריות, Aſſyrias, recte. Ab exilio enim Babylonico eas reportarunt, quum hactenus Chananæis vſi fuiſſent, vt Samaritæ ab vltima vetuſtate faciunt. Quare nullas literas excogitauit Moſes, vt Eccleſiaſtici ſcriptores prodiderunt, neque aliquid in literis aut ſermone Chananæo innouauit. Laban Syriace, Geneſ. XXXI. 27. loquitur. Iacob lingua eius loci, Chananæa nimirum, id extulit, quod Laban materna ſua Syriaca. Et tamen Abrahamo & Labani, vt idem genus, & patria, ita eadem communis erat lingua. Abraham igitur primum Syriace locutus eſt: deinde & ipſe, & poſteritas eius Chananæo ſermone vſi ſunt, quem integrum in Ægypto conſeruarunt. Syri Maronitæ antiquiorem Syriaſmum Hebraiſmo quouis pignore contendunt. quæ eſt ſumma imperitia. Nam perinde eſt ac ſi idioma Italicum Latino vetuſtius eſſe dicerent. Certe מלך prius eſt, quam מלכא: & multa alia ad hanc pertinaciam expugnandam adferre poſſumus. Concludamus, vnam linguam vetuſtiſſimam eſſe eam, qua ſacra Biblia conſcripta ſunt: eam primum integram & incorruptam in Aſſyria fuiſſe, deinde peregrinorum commerciis contaminatam. In partibus autem Syriæ ad tempora prioris templi non ſolum inter Hebræos, ſed & inter Sidonios & Tyrios diu obtinuiſſe, quod quidem eorum numiſmata teſtantur. Ieſuitæ Romæ anno ſuperiore ingentem in Ezechielem commentarium ita luculenter edide-

ediderunt, vt ea editio elegantiam omnium aliarum longe ſuperet, vt nobis retulerunt ii qui viderunt. Nam propter precii immanitatem huc non adfertur. & ſanè ſacculus meus illos ſumtus facere non poteſt. Si quis iſthic ex opulentis proceribus Angliæ illum librum parauit ſibi, in eo multa inſignia Chananæorum numiſmata Samaritanis literis inſcripta videbis, ex quibus haurire potes vnde ſitim tuam expleas. Ego ſane diſcrucior, quod illud opus per pauxillos dies nondum inſpicere potui, neque ſpes eſt videndi, niſi quis id ſibi emerit. Sed nimium diu te tenui. Vale. Lugduni Batauorum, 9. Kalend. Octobris Iuliani, cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA CCXLIII.

IOANNI BVXTORFIO *ſuo S.* Meum de eruditione tua iudicium, quod ex lectione Synagogæ tuæ Iudaicæ amico noſtro Iacobo Adportum expoſui, fecit, vt is me non ſolum in ea ſententia confirmaret, ſed etiam vt, quem laudabam antea, mirari & amare cœperim. Poſtquam enim de peritia Hebraiſmi, de qua etiam cum eximiis Iudæorum Magiſtris certare potes, multa præclara narraſſet, adiecit de probitate, humanitate, & comitate, quæ ita me amore tui accenderunt, vt vltro amicitiam tuam ambirem. Fecit ille, quod meum erat, vt prius amicitiam inter nos conciliaret, quam ego eas partes mihi poſcerem. Itaque inter nos inſtituta eſt amicitia interuentu alieno; [illegible]quam ſola benignitas tua & inuitare & admittere poterat etiam eos, quibus tu non ita notus es, vt mihi. Quia igitur Iacobo noſtro magnum vſum amicitiæ tecum fuiſſe ſciebam, non veritus ſum ab eo contendere, vt Itinerarium Beniamini mihi curaret auxilio tuo. quod, qua gratia apud Iudæos polles, non dubitabam te poſſe illud ab eis impetrare.

trare. Quod quidem ego fruſtra conatus ſum, qui, poſtquam in Bibliopoliis Germaniæ illud inuenire non potui, quum à Iudæis ſpes quædam ſupereſſet poſſe quocunque precio haberi, nihil quam operam me perdidiſſe ſenſi. Quare quod id à te dono acceperim, tanto mihi carius eſt, quanto magis præter ſpem mihi accidit. Sed de Lexico Iudaico Dauidis de Pomis hæc fuit mens mea, vt à Iudæis illud quantiuis emeretur, non vt tu careres tuo. Et ſane nullis ſumptibus parcere certum eſt, ſi ope aut conſilio tuo illud parari poteſt. Statim enim nummos curabo. neque quanti fuerit, ſed quam tuto & cito haberi poſſit, id permagni facio. Si igitur bona quædam fortuna vnum exemplar ad te detulerit, oro te, vt mihi ſeruetur. Vno verbo ſignifica mihi te habere. non erit expectandum, δὸς καὶ λαβέ. Tu nummos accipies, antequam ego librum. Magnas vero gratias ago tibi de Itinerario illo, ſiquidem vllas pro merito tuo reddere poſſim, qui rem tam auide expectatam, & tam fruſtra à me tentatam, præter ſpem ac nihil minus quam id cogitans, accepi. Volumen Epiſtolarũ Iudaicarum à te nuper publicatũ, cogit me, vt à te petam, quod iam occupauit facere Druſius noſter, vt iuſtum aliquod corpus eiuſmodi Epiſtolarum à te collectarum edatur; vna cum Interpretatione & Notis tuis. Hoc ſine dubio accendet iuuentutem noſtram amore Hebraiſmi, quæ non odio literarum Hebraicarum à lectione librorum Iudaicorum aliena eſt, ſed inopia magiſtrorum. quis enim ſtudioſis iuuenibus viam ad lectionem Rabbinorum præibit, quum ſeniores ſatis habeant, ſatque ſe profeciſſe putent, ſi textum Biblicum intelligant? qui ideo iuniores à lectione interpretum Iudæorum deterrent, ne μαθηταὶ euadant κρείττονες διδασκάλων. Certe quum amor linguarum in Italia, Gallia, & Germania quotidie tepeſcat, in nulla ſane hoc magis cernitur, quam

quam in Hebraica. Quemadmodum igitur, quia non habent, qui eos manu ad fontem deducat, aut ſaltem ad illud ſtudium accendat, non dubium eſt, ſi nouum aliquod opus nacti ſint, ex quo doctrinæ illius inſtitutiones, exempla, & præcepta haurire poſſint, quin ex illa copia tanto propenſiores ſint ad Hebraiſmum amplectendum, quantum ex inopia ab eo deterrebãtur. Nullus hodie viuit, qui eam prouinciam melius adminiſtrare poſſit, quam tu. Quod ſi hoc à te impetram⁹, ego primus in diſcipulis tuis nomẽ profiteor meum. qui quod minus in Hebraicis profecerim, id partim ingenioli tenuitati, partim librorũ & magiſtrorũ penuriæ adſcribo. Itaq; me nunquam pudebit γηράσκειν πολλὰ διδασκόμενον. neque me tam pudet neſcire fateri, quam dolet, vnde diſcam, non habere. אין תורתי אלא משפה וחוץ. Tantum abeſt, vt unquam ſperem צורבא דרבנן euadere. Quod Genebrardus monachus de Rabbinorum lectione magis tentauit, quam abſoluit, id, vt tu melius iudicare potes, nihil aliud eſt, quam cento ex alienis pannis conſutus. Longe inſtructiorem magiſtrum poſtulat illud opus, quam Genebrardum; qui obtrectando plus famæ apud ſui ſimiles, quam docendo apud ſtudioſos peperit ſibi. De apicibus vocalibus Hebræorum, tam mihi conſtat rem nouam eſſe, quam eos falli, qui natos vna cum lingua putant: quo nihil ſtultius dici potuit, aut cogitari. Nam præceptiones Grammaticæ alicuius linguæ tunc inſtituuntur, non quando vernacula eſt illa lingua, ſed poſtquam in vſu vulgi eſſe deſiit. Quis hoc negare poteſt? Arabiſmi puncta vocalia eſt recens inuentum, id eſt, multis annis poſt obitum impoſtoris Muhammedis. Hodie tamen pueri Turcarum, Arabum, Perſarum, ac omnium denique Muhammedorum, ſine punctis legere diſcunt. Eodem modo Samaritani & Iudæi ſine vllis punctis in Synagogis

gogis ſuis legem ἐν ταῖς διφθέραις legunt. Neque eſt, quod qui contra ſentiunt, locum illum obiiciant ex Zohar, quem in epiſtola tua produxiſti. Ille liber eſt recentior quam Talmud. Nobis plura argumenta ex verſione LXX. interpretum ſuppetunt, vt probemus, nulla puncta olim fuiſſe, quam Iudæis, qui illud tantum ex paucis aliquot Targum locis probare poſſunt. Sed hæc diſputatio maioris otii eſt quam noſtri. addo etiam melioris ingenii. Vale. Lugduni Batauorum. Kalend. Iunii Iuliani cIↃ IↃC VI.

EPISTOLA CCXLIV.

IOHANNI BVXTORFIO. Niſi tu præuertiſſes me, ego iterum ad te ſcribere occupaſſem. Sed quum in eo eſſem, vt manum calamo admouerem, in hac cogitatione tua me epiſtola oppreſſit, quæ ſimul argumentum prioris conſilii mutauit. Quum enim noui, quod ad te ſcriberem, nihil haberem, aliquid tamen ſcribendi occaſionem nactus eram. quod quum tandem Lexicon Dauidis de Pomis, quod reperire plurimi faciebam, adeptus ſim, ſignificaꞇe volebam tibi, tanti non eſſe, vt tantopere à me expeteretur. Nam ne inter mediocriter quidem doctos gentis ſuæ eum pono. & noſtrorum hominum libri fatiunt, vt æquo animo illo Lexico carere poſſimus. Ego ſum vnus inter Hebraiſmi non peritos (non enim tali me dignor honore) ſed ſtudioſos, qui minimos progreſſus in ea lingua fecerim. Puderet me tamen ſi vberiorem ſiluam vocum ex longa obſeruatione & iugi lectione mihi non repoſuiſſem. Præterea quum ſit איש יהודי מאבותיו, tamen ita aliquando ἰδιωτικῶς loquitur, vt non Iudæus, ſed tiro quidam de

Chriſtianis eſſe videatur. Deinde, quod in Hebraiſmo omiſit, quæ præterire, magnum crimen negligentiæ eſt. Profecto oportebat eum non ad Rabbinorum ſuorum ſed tuos pedes didiciſſe. Sane ille multa à te, tu nihil ab eo diſcere potuiſſes. Quod ſi fefellit me ſpes mea, eſt tamen quod gaudeam, quod, quanquam oleum, vel potius nummos perdiderim, eſt aliqua voluptas potiri eo, quod optaueris. Quod autem תפוחי, id eſt, *Pomarius*, cognomen ei ſit, ſuoſque Maiores à Veſpaſiano Romam traductos fuiſſe dicat; ego ſane ſcio, illo ſæculo Iudæos in Proſeuchis ſuis, vt Romanos in Sacra Via, poma vendere ſolitos, vt diſerte in veteri Inſcriptione Romana extat, P. CORFIDIO. SIGNINO. POMARIO. A. PROSEVCHA. nam Iudæum fuiſſe argumento ſit Proſeuchæ nomen. Atque, mi Buxtorfi, hoc epiſtolæ meæ, ſi tuas non accepiſſem literas, argumentum fuiſſet. Nunc ei cumulus ex eis accedet. Et primum, quod precibus meis effeci, vt Epiſtolarum Hebraicarum editionem nobis pollicearis, eſt quod mihi gratuler, qui à te hoc elicuerim: deinde ſtudioſis omnibus, in quos fructus illius editionis, non minus quam in me, redundaturus ſit. Vale. III. Eid. Octobr. Iuliani CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA CCXLV.

CLAVDIO SALMASIO S. Ἦθους χαρακτήρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος. Id verum eſſe, ex binis literis tuis percepi, in quibus non ſolum mores tuos, ſed & doctrinam, qualis eſſet, deprehendi. Ecquas gratias tibi habebo, qui quod vix ſperare audebam, id mihi vltro obtuliſti? Epigrammata, inquam, illa Græca. quæ ideo deſperaueram, non quod ab optimo & eruditiſſimo viro Grutero no-

ro noſtro me quiduis impetraturum diffiderem, ſed quia neque fas videbam eſſe, codicem ex Bibliotheca educi, vt huc mitteretur, neque putabam eſſe iſthic, qui moleſtam illam prouinciam Græca deſcribendi ſuſcipere vellet. Itaque & voto meo ſatisfeciſti, & diffidentiæ ante expectatum ſuccurriſti. Quod tantum beneficiũ tuum quo genere laudis proſequar, aut quomodo prædicem, equidem neſcio. Scito tamen me illud inter prima habere. Quod igitur conſilium de illorum Epigrammatum Græcorum editione à nobis petis, non auctor tibi ſim, obſcœna & ἐξάγιστα illa edere, tum quod non ſolum animos caſtiores offendere poſſunt, ſed & maledicorum in te prouocare linguas, tum quod pauciſſima ſunt, vt illis carere non magna iactura ſit. Reliqua etiamſi puerorum formam, aut alia, commendant non ideo flagitioſa ſunt. niſi fortaſſe ſecundũ Bucolicon Virgilii & quædam Tibulliana de libris tollenda cenſemus. & priſcos fere omnes Poetas ita euiremus, vt & interficiamus; quod ſtultiſſime in Martiale à quibuſdam factum videmus. qui, vt alia taceam, vbi LASCIVS apud Martialem legitur, in aliud nomen mutarunt. quaſi laſciuos aliquos vocare ſit flagitioſum, aut laſciuus idem ſemper ſignificet, quo alicuius aut ſalacitas aut libido notatur. Riſi, quum ea & ſimilia legerem. Non igitur paruam à ſtudioſis gratiam inivieris, ſi totum ἀνθολογίας volumen cum illis, quæ hactenus deſiderata ſunt, edideris, & omnia in ſua capita conieceris. Multa legimus apud Suidam, quæ videbantur in vulgata editione non exſtare. Sed tu, quantum ex chirographo tuo colligo, ea animaduertiſti. Callimachi Battiadæ multa agnoſco, quæ illius eſſe Doricus character ſatis probat. Reliqua Callimachi nomine, vt ſtylo, ita dialecto differunt. quæ vt Battiadæ illius eſſe non negem, ita temere non affirmauerim. Sane magna diſ-

crepantia. Sed omnibus de hoc libere iudicare per me liceto: quandoquidem ego ipſe coniecturę meæ diffido. In quibuſdam furta duorum ſummorum Poetarum Latinorum deprehendi. Nam illud, ἥμισύ μὲν ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον, totum expreſſit Q. Catulus vetus Poeta, *Aufugit mi animus, credo, vt ſolet, ad Theotimum.* Tantum nomen pueri mutauit, qui in Græco eſt κηφισός. Οὐκ εἶσ Κηφισόν; ita enim legimus. Si Gellius, qui opponit elegantiam Latinorum Græcis Poëtis, illud Epigramma ad verbum ex Græco imitatum ſciuiſſet, profecto nunquam illi in mentẽ veniſſet, vt, quum ingenia Latina extollere vellet, & Græcorum lepori opponere, Poemation in medium produceret, quod non Latini, ſed Græci argumenti eſt. Alterum furtum eſt Horatii, Sermone II. lib. I. *leporem venator, vt alta In niue ſectatur,* &c. Habes totidem fere verbis, ὡ᾽γρευτὴς, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι. Hæc ſatis erant ambitioſis & famelicis ingeniis ad inſtruendum aliquot capita Miſcellaneorum, aut Variarum lectionum. Vtinam τὰ Μελεάγρου vna miſiſſes; vbi ſinguli Poetæ ſingulis floribus comparantur. Idem περὶ τοῦ Φιλίππου νεαρῆς σελίδος dico. Nam quæ delibata ex his ad me miſiſti, non ſinunt patienter me cetera deſiderare. Fac, amabo, ne diutius illis caream. Si tanti deſiderium meum vel potius preces feceris, vt omnium horum autographum tuum mittas, curabo, vt ſumma diligentia & optima fide omnia tibi remittantur. Quæ vero iam accepi, ſi per idoneum hominem tibi recte curare potero, propediem accipies. Sin minus, ad proximas nundinas differam. Sed fortaſſe interea non deerit opportunitas. Tamen prius Stephani ἐθνικὰ à te exſpectamus, ſi quidem parata habes. in illo auctore melior pars literarum Κάππα & Λάμβδα deeſt. & præterea multa ſunt ſuſpecta, alia perſpicue vitioſa, quibus ſine codice mederi ne optima quidem ingenia poſſint.

Quid

Quid eſt, quod è re literaria magis facere poſſis, quam hæc publicare? Sed quomodo vlla interpretatio Latina è dignitate adiici poſſit, non video. Eſt enim merum Lexicon, vt Pollux. cuius qui verſionem Latinam dedit, magis ſeſe illo facto traduxit, quam commendauit. Hæc eſt ſententia mea, non qui te à tua dimouere poſtulem. Nam ſi tibi ita videtur, nolim te à propoſito tuo deterrere. Melius tamen tibi conſultum fore credo, ſi hoc labore ſuperſederis, ex quo tenuiſſimus ad imperitos, nullus ad doctiores fructus, ad te vero nulla gloria peruentura ſit. De hoc deliberabis: ſed ita, ne mora deliberationis editionem, quam auide exſpectamus, impediat. O quam præclare de omnibus merebere, ſi nos diu ea carere non patiare! Vale. Lugduni Batauorum. IIII. Eidib. Maij Iuliani CIↃ IↃC VII.

Editionem ἀνθολογίας multis Epigrammatis, quæ paſſim apud auctores leguntur, & aliis præterea quæ in veteribus inſcriptionibus exſtant, augere poteris. Quum in eo fueris, vt prælo eam committere decretum ſit, ego de omnibus tibi conſilium dabo, & addam, quæ fortaſſe non ingrata erunt. Iterum vale.

EPISTOLA CCXLVI.

CLAVDIO SALMASIO. Ad binas tuas literas abunde reſpondi: itaque quid addam nihil ſuccurrit mihi, niſi vt quæ à te ſummopere contendebã, ea nunc, ſi quidem exciderunt tibi, refricem; aut, ſi meminiſti, vt non negligas ſaltem. De Stephano, inquam, tibi aurem vello, vt quod ne optare quidem audebamus, id beneficio tuo impetremus. Nam illius ſcriptoris editio au-

ctior & emendatior non ſolum ad vtilitatem publicam, ſed etiam ad laudem tuam pertinebit. Quare aude tam de te quam de nobis bene mereri. Sed quod alteris literis iam monui, id nunc impenſius hortari non verebor, vt ſcilicet Epigrammata Græca, reſectis illis pauculis, edas, quæ lectori ruborem ſuffundere poſſunt. Nam multa ſunt quæ tantum de amoribus verba faciunt: ita vt nullius lectoris verecundiam offendere poſſint. Alioquin Catullum, Virgilium, Tibullum, Horatium, Ouidium, Deo tardipedi donare oportebat, ſi in iis etiam quæ obſcœnitate verborum abſtinent, delitias facimus: & putidos profitemur, dum pudentes haberi volumus. Nunc ad te Chirographa tua, quæ propter molem tabellario committi non potuerunt, remitto. Malui vero iis aliquamdiu te carere, quam committere, vt per feſtinationem meam aut perirent, aut ſaltem magnum diſcrimen adirent. Vale. Lugduni Batauorum. v. Eidus Auguſti Iuliani cIↄ Iↄc vii.

EPISTOLA CCXLVII.

CLAVDIO SALMASIO. Auli Silentiarii ἔκφρασιν, & στέφανον Meleagri, accepi. Has epulas gratiores fecit condimentũ à literis tuis, longiſſimis quidem illis, ſed nimiũ breuib. pro modo voluptatis, quam ex illis cœpi. Sed de illis poſtea. De Silentiario prius. Vt animi, ſic poeſeos Græcę, quatuor tempeſtiuitates fuiſſe animaduerti. Prima fuerit illa, in qua principes Homerus & Heſiodus. Hanc potes iudicare atque adeo vocare per Poetices; pubertatem potius, quam infantiam. Excipit eam æſtas, non feruida quidem, ſed quæ ex illo vere veſtigia non obſcura retinuit: in qua Onomacritus, Solon, Tyrtæus,

&

& quiſquis fuit auctor τῶν ἠοίων, καὶ τῆς ἀσπίδος, quam præpoſtero iudicio Criticorum natio Aſcræo illi attribuit. Autumnus ab æſtate non degenerans, præſtantiſſimos homines extulit, ſed maiorem partem Grammaticos, in quibus τὴν πλειάδα ponas licet. Quid ingenioſius Callimacho? quid Apollonio preſſius? quid Theocrito amœnius? Hactenus bene cum Muſis agebatur. Initium hyemis ſuaues fœtus protulit: Dionyſium τὸν περιηγητὴν, quem cum Poetis τῆς πλειάδος contendas licet: & Oppianum longe illi diſſimillimum, quem nimis floridus character non paſſus eſt ſeſe intra modum continere. Sed poſterioris ſeculi Poetæ, dum illam vbertatem affectant, nihil præter ſtrepitum verborum & ampullas attulerunt. Qui in hoc genere licentius velificati ſunt, primas obtinet Nonnus ille Panopolitanus. cuius redundantiam in Dionyſiacis excuſaret materia, niſi in Euangelii paraphraſi maiorem immodeſtiam, vt ita loquar, profeſſus eſſet. Eum ita ſoleo legere, quomodo mimos ſpectare ſolemus; qui nulla alia re magis nos oblectant, quam quod ridiculi ſunt. Parcior & caſtigatior quidem Muſæus, ſed qui cum illorum veterum frugalitate comparatus, prodigus videatur. Neque in hoc ſequimur optimi parentis noſtri iudicium, quem acumina illa & flores declamatorii ita cœperunt, vt non dubitarit eum Homero præferre. Huius Muſæi aut æqualis aut non multo poſterior Silentiarius, vitio ſeculi ſui, quæ tum virtus erat, vſus eſt. Strepitus verborum, ambitus ſententiarum, compoſitio Dithyrambis audacior. Eiuſmodi eſt ἐκφράσεις iſta. Quod vno verbo exponere poterat, maluit binis, trinis verſiculis producere. Me quidem iſta non offendunt, qui ſæculi morbū noui. Sed qui nihil præter illos veteres legerit, quum ad hæc ſe cōtulerit, tres con-

tinuos verſus non patienter leget. Iuuat tamen nos, quod templi illius auguſtiſſimi adyta omnia nobis reſerauit; vt illi gratias, non tanquam Poetæ, ſed tanquam Hiſtorico agamus. Iambus autem, quem operi præpoſuit, adeo infans, ieiunus, hiulcus, ἀσύστατος eſt, vt tyronem potius, quam maturum Poetam agnoſcas. Legendus tamen eſt, & nobiſcum agi præclare arbitremur, quod ſummo Dei beneficio ea nobis ſuperſunt, quæ ſalua eſſe permagni intereſt Reipublicæ literariæ. Pauciſſimi harum rerum guſtum habent. non quod eis ingenium deſit, ſed quia illarum vſum aut nullum, aut perexiguum habent. Nos in hoc aliquid nobis tribuimus, non quod ingenio meliore ſimus, quam illi, ſed quia diutius in illo ſtudio verſati ſumus. Dicam libere: vix quenquam hactenus vidi, qui bonum Iambum Græcum faceret, aut, quod minus longe eſt, qui quid ſit bonus Iambus, ſciret. Omitto Græcos. Maximus ille Criticus, quam pueriliter de Tragœdiis Senecæ iudicat? Lipſium dico. Diuinam Tragœdiam Troadas, magiſtelli potius, quam Senecæ opus eſſe ſciſcit. In hoc qui illi aſſenſum accommodet; præter imperitos harum rerum, reperiet neminem. Nam illa Tragœdia omnium Senecę, quas nouem aſſerimus eſſe, princeps eſt. Octauam autem Memoris fratris Turni eſſe non dubitamus. Quid de ſeniore Critico dicas, qui in Ariſtotelis Poeticen Commentarios ſcripſit, & tamen verſus à ſoluta oratione neſcit diſtinguere? Hæc, quæ priore loco dicenda mihi erant. Pergo ad Epiſtolā tuam. Non multum te morabor. Vtinam χειστιανικὰ, quæ ſunt ἀνέκδοτα, nobis aliquando mittas! Expectabimus ea, vt tertio hoc beneficio tibi nos deuincias. Non poſſunt enim eſſe non vtilia, quandoquidem vetuſta ſunt: vt quam gratiam à ſtylo non poſſunt, eam ab argumento ineant. Quod addis de Xylandro, non illi ſoli contigit

git παρορᾶν. Cauſſam harum hallucinationum nullam inuenio, præter properantiam. Qui enim eum familiariter nouerunt, aiunt mercede à mercatoribus inuitatum ſcripſiſſe, vt familiam aleret. Nam quemadmodum qui eius eruditionem compertam habuerunt, per inſcitiam eum peccaſſe nunquam concedent, ita qui tenuitatem fortunarum eius non ignorabunt, facile ea παροράματα excuſabunt, atque condonabunt, quia neminem latet eum ſummam vigiliarum ſuarum in çeleritate poſuiſſe: quæ, ſi intra modum ſit, diligentia eſt; ſi fines migret, eſt præcipitatio. Tuum eſt & indicare, ne rudiores in illos ſcopulos offendant; & excuſare, ne animaduerſio illa propior ſit obtrectationi, quam caſtigationi. Doctis & probis ſemper honos ſuus & reuerentia debetur. Contra maledicos inultos pati non debemus, niſi forte contemnere malimus. Nam ſuperbi magis offenduntur ſilentio, quod ſe contemni putent, quam reſponſo; ex quo triumphum captant: quaſi digni, qui meliorum odium aut iram meruerint. Quod Xylandro nocuit, idem & præſtantiſſimo viro errorem in illa Inſcriptione obiecerit. Nam de Herode rege Iudæorum, vt antea nihil tale iudicaſſem, ita neque nunc ab ea ſententia diſcedere poſſum. Et certe non minorem ſcrupulum iniecit mihi tùm altera columna vetuſtis Ionicis literis inciſa, quæ in eadem via Appia reperta eſt, tum Herodes iſte; quiſquis fuerit ille, cuius & nomen in illa legitur. Quare idem Herodes alteram priſcis literis Ionum, quarum vſus Romanis penitus ignotus fuit, hanc autem vſitatis inſcribere maluit? Hoc qui ſoluet, erit mihi magnus Apollo. Sed ſine dubio (vt illuc reuertar, vnde diſceſſi) grauiores occupationes magni viri, eius cogitationes ſibi totas vindicauerant, quum ille ad ea commentanda animum appelleret. Si repetat, non opus monitore habebit: agno-

ſcet eadem quæ ſcribis, & fortaſſe alia, quæ nos omnes fugerunt. Quid ab illo prodiit, quod non ſupra captum horum contumelioſorum hominum ſit, quorum obtrectationem effugere non potuit, neque poterit propter ſingularem & incomparabilem editionem ſuam? Sed hominem maioribus curis occupatum, non nouum eſt in iſtis leuioribus dormitare. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Kalend. Decembr. Iuliani CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA CCXLVIII.

CLAVDIO SALMASIO. Numquam ab epiſtolis tuis diſcedo, niſi doctior. vel in hac, quã proximis nundinis accepi, quam me beaſti, tum ex alieno, tum ex tuo! Nam quid dicam περὶ βωμίσκου, quem in illa poſuiſti? De cuius vetuſtate dubitare non poſſunt, niſi qui veteres poetas accurate non legerunt. Neque vero menda portentoſa, quibus deformatus eſt, impediunt, quominus ſpectata ſit eius venuſtas; quam melius perciperemus, ſi integriore & emendatiore frui liceret. Sed hæc vlcera non tangere melius fuerit. Illudunt nobis coniecturæ noſtræ: quarum nos pudet, poſteaquam in meliores codices incidimus. Quædam blandiuntur mihi, quæ tamen totius Poematii intellectum non præſtabunt. Eiuſmodi ludicra duorum generum ſunt, vt ſcis, γρῖφοι καὶ αἰνίγματα. Priorum obſcuritas eſt in verbis, poſteriorum in ſententia: quæ facile deprehenditur, ſi anſam aliquam habueris, hoc eſt, ſi aliquid occurrat, quod non ignoretur. Vt apud Gellium ex Varrone de Termino, non ignoratur, quis *Iovi ipſi magno noluit concedere.* At aliter in Gryphis occurrit,

currit, in quibus quot verba, tot αἰνιγματώδη ſunt, præſertim in hoc & Theocriteo βωμίσκῳ, & in Fiſtula. Videor tamen (etſi quæ mutauero, vera omnia præſtare non auſim) ſententiam plane aſſecutus eſſe. Ara hæc eſt Corinthi, in qua nulla victima immolabatur. de qua nihil memini me legere. Perſpicua tamen ſententia eſt, ὁλκὸς οὔ με λάβρος ἱρῶν, λιβάδεσσιν, οἷα χάλκην ὑπὸ φοινίησι τέγγει. *Non largus tractus aut fuſio* (ſanguinis) *me tingit, victimarum aſperſionibus* (cruore) *qualiter purpuram puniceam. Imo ſeceſpitæ Naxia cote ſubactæ parcunt peculo Panos.* Id eſt, nulla victima hic cæditur. παμάτωι, non παμμάτων. aliter πάτα ab eadem origine. οὐ στροβίλου (non στρομίλου) ἰξὸς εὐώδης μελαίνει τρεχνέων με Νυσίων. Strobilus, fructus pro ipſa arbore. *non viſcus*, id eſt, liquor, pinuum reſina ſcilicet, *me inficit fuligine ſtipitum Niſiorum*, hoc eſt, pinuum Nyſi, aut Nyſæ inſulæ. nullum lignum hic crematur, quia nullæ adolentur victimæ. Τρέχος eſt στέλεχος. *Inſpicis enim me aram, neque finitimæ terræ lateribus, neque Abylæ compactam glebis.* μήτε τ' ἀγχούρου, ſupple γῆς τ' ἀγχούρου. αἰτὶ τῆς ἀγχούρου. Vt τ' ἀγαμέμνονα pro τὸν ἀγαμέμνονα, τ' αὐτοῖς, τοῖς αὐτοῖς. Vbi ſit ea ἄγχουρος καὶ ἀγχιτέρμων γῆ, non dubium eſt, quin in agro Corinthio, vbi ipſa Ara; Alybe eſt in Thracia. Sunt & alia eiuſdem nominis. neque ἰσόρροπός μοι eſſe poteſt ὁ κερατίνης ille βωμὸς Deli. *Simul enim cum Diis ipſis*, id eſt, eodem tempore, quo Dii nati, *nouenarius numerus Terrigenarum me fabricauit.* Qui ſint illi Terrigenæ nouem, quæratur. Τάων, αἰτὶ τοῦ τ, vt Callimacho νησάων. quanquam peſſime & ſine exemplo. *quorum Terrigenarum artem* πάλμυς ἀφθίτων, *rex immortalium Deorum Iupiter.* Εὔαζε, *iubilauit, laudauit.* Σὺ δ' αὖ πιών. *Tu autem hauſta aqua de Pirene fonte, quem Gorgonis filius equus eruit.* Θύεις, id eſt, θυμίαζε. thus incende, odores, adole. Nam & alibi memini θύειν αἰτὶ τοῦ

θυμιᾶν,

θυμιᾶν, à veteribus vſurpatum. *Thus igitur hic crema, & libamenta inverge. Audacter ad me accedere potes, vtpote quæ ſim pura à ſerpentibus, quales occultat illa Ara in aruis Thraciæ.* Νέαις, non νέοις. *quam tibi* ἀνέθηκεν, ὁ τελπάτωρ, (quiſquis ille ſit) *dedicauit fur purpurei arietis.* Arietem purpureum, vel aureum, in quo erat fatum & ςοιχεῖον Myzenarum, Atreum ſurripuiſſe, notius eſt, quam vt demonſtratione egeat. Sed an hic de eo intelligendum, non magis mihi conſtat, quam quis ſit ille τελπάτωρ, cui fur Arietis Aram poſuerit prope Myrinem in Lemno. Vides manifeſtam ſententiam; neque dubitandum. Omnino eſt Ara, in qua ſanguine non litabatur, vt illa φυέτορος in Delo. Quemadmodum verum ſenſum præſtare poſſumus, ita de emendationibus cur dubitemus, facit, quod inter ſcribendum ſub acumen calami natæ ſint. Tu, cui ab huiuſmodi ſtudiis recens memoria eſt, non ſolum noſtra boni conſules, ſed etiam quæ minus recte à nobis animaduerſa, emendabis. Crinagoræ verſus totus in Cimmeriis tenebris eſt, χρίονται νεφροῖς πᾶρ ἄπισι νόσου. Quid monſtri hoc eſt? Ait, inalpinos Ligures furaturos, ſeſe munire vnguine, vt canes fallant. Hodie non curant canes, ſed aperta vi graſſantur. Sed quis expediet illum verſum? An legendum, πᾶρ ἄπισυ ὄζου? Sed hoc eſt nugari. ὁ ἐπιλιπὴς, in Σύειλη, valde mihi placuit. nihil verius. dignum plane ingenio tuo. Optarem illum Gacenſem legiſſe. ſed quod commodo tuo fiat. Nolim enim eius bonas horas morari. Vale. Lugd. Batauor. prid. Ei. Iulii Iuliani cIↃ IↃ c VIII.

EPI-

Epistola CCXLIX.

Nicolao Vassano *ſuo S*. An parum eſt me ad binas tuas non reſpondiſſe, niſi etiam committerem, vt tam longi temporis ſilentium mihi obiicere poſſes? Nō poſſum excuſare factum, quia in manifeſta culpa deprehendor. Quod ſi ingenua confeſſio non eſt excuſatio, in ære tuo me eſſe ſemper oportet. Sed te benigno creditore vtar, vt ſpero; neque ſummo iure mecum ages. Gratias igitur tibi de libellis, præſertim de Geneuenſi Apologia, ago: cuius lectione tantam voluptatem cœpi, vt nunquam depoſuerim priuſquam totam deuorarui. Non puto Rempublicam eſſe quæ tam egregiis αὐτονομίας monumentis vetuſtatem ſui iuris tueri poſſit. Sed vt ſtrenue hoc libro ei libertas ſua aſſerta eſt, ita pro meritis ſuis digne Corybas ille Sabaudus ſplendoris eius allatrator acceptus eſt. niſi forte non digne, quia mitius cum eo agitur quam dignus eſt. Sed ſatis ſupplicii eum dare puto. quia aduerſus ea, quæ ille tam impudenter allatrabat, quid nunc opponat, non habet. Non poſſum tamen pati, hærere adhuc animis doctorum hominum, qui iſthic ſunt, Geneuam *Ciuitatem equeſtrem* aut *equeſtrium* eſſe. Auellenda eſt hæc opinio. Quod enim inſcriptiones Geneuæ exſtant, qui ciuitatis equeſtrium meminerint, eo concludi Geneuam eſſe Ciuitatem equeſtrium, infirmiſſima ratio eſt. Romæ quot ſaxa ſunt, quæ aliarum nationum mentionem faciunt? Ideo dicemus Romam non eſſe Romam, ſed eas vrbes, quarum nomina in eius ſaxis leguntur? Lugduni ciuitatis, Sequanorum, mentio fit in quodam lapide. Ergo Lugdunum ciuitas Sequanorum. Ciuitas Equeſtrium

ſtrium eſt ſub maxima Sequanorum, quæ eſt Veſontio: Geneua ſub prouincia Viennenſi Allobrogum. Ergo Ciuitas Equeſtrium eſt in partibus ſiniſtris ripæ Rhodani, aut Lemani; & contra Geneua in dextra ripa? Et ſane in veteri Notitia Prouinciarum Galliæ, Ciuitas Equeſtrium Nouidunum dicitur. Retinet nomen paulo detortius, NION. Vbi frater tuus ſit, neſcio. Puto eum peregrinari & corpore & animo. Nam ſuorum non meminit. Expecto literas tuas: quas frequentes à te exigo. Ego partes meas non deſeram. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Kalend. Sextilis Iulian. CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA CCL.

IOANNI & NICOLAO VASSANIS *fratribus*, S. Veſtræ omnes literæ mihi redditæ ſunt. Ex diligentia veſtra conſtantiam in amicitia metior. Quo frequentiores à vobis accipiam, eo certiora de veſtro in me amore teſtimonia habebo. Gratum vero eſt, quod de ſtatu Reipublicæ Geneuenſis, cuius ego ſtudioſiſſimus ſum, ad me ſcribitis: idque vt porro faciatis, ſummopere à vobis contendo. Librum illum qui ab equite Sabaudo in Apologiam Geneuenſem editus eſt, nondum vidi. Patrem auctoris vita palabundũ, profeſſione Poetam, ante annos plus minus XLVIII. noui. Menippeam Satyram in Loiolitas, opus lepidiſſimum, Gallice editum accepi, legi, nec laudare ſatis poſſum. Si coniectura non fallit, iuuenem Pictauienſem eſſe puto: cuius ego genus noui. Pergat ſane, frugem faciet. neque inueniet qui pari lepore illi reſpondeat. Nam Loiolitæ nihil quam latrare ſciunt. Et quidem non inſcitia eorum minus,

quam

quam improbitas, iam etiam iis qui magnifacere eos ſolebant, ſatis ſpectata eſt. Habeo duo Satyræ illius exemplaria. quorum alterum iſthic apud vos, alterum Rupellæ editum conſtat. An verum ſit, Ariſtophanem cum Scholiis iſthic excudi, neſcio. Hoc vnum ſcio, Lutetiæ quoque idem opus ſub prælo eſſe. Prægrande opus Commentariorum Patris mei in περὶ ζώων ἱστορίας in manibus habeo. Ei poſtquam in alias ædes migrauero quam primum dabo operam. Laxæ enim iſtæ, in quibus ſolidos decem habitaui annos, venditæ ſunt. Tanta eſt hodie in hac vrbe ædium propter colluuiem gentium huc immigrantium, penuria, vt inquilini bene ſecum agi putent, qui gurguſtiolum nanciſci poſſint. Eo meæ res adductæ ſunt, vt anguſte habitare cogar, qui tam diu laxe hic fui. Vix habebo, vbi totam Bibliothecam meam redigam. Concoquenda tamen eſt hæc mutatio. Vos vero felices, quibus nulla migrandi neceſſitas incumbit. Valete, & nos amate. Lugduni Batauorum. IX. Kalend. Februar. Iuliani cIɔ Iɔc VII.

Epistola CCLI.

Iohanni & Nicolao Vassanis. Quamuis, Amici, tot occupationibus diſtringor, vt quo me vertam, neſciam: tamen inter illas nihil mihi eſſet carius, quam vobis crebrius ſcribere, ſi reſpirandi aliquis daretur locus. Suffuratus tamen hæc momenta temporis ſum, ne inſalutatis vobis iſtas nundinas elabi ſinerem: neque vllam de me conquerendi, aut me negligentiæ accuſandi cauſam vobis relinquerem: à quo crimine ſatis me duo inprimis, candor animi, & occupationes meæ, vindicant. Gratias vobis ago de Antapologetico hominis

Rei-

Reipublicæ veſtræ iniquiſſimo: quem cum impuriſſimo bipedum Schoppio conferre nonn vereor. Tanta in vtroque eſt & in mendaciis fingendis, & in contumeliarum acerbitate ſimilitudo: par confidentia, gemina impudentia. Sed nihil niſi monſtra parit hoc ſæculū. & quemadmodum bonæ ſegetes poſtquam quieuerūt, tribulos parere ſolent, ita hodie literæ poſt tantum doctorum hominum prouentum, nihil niſi herbas inutiles, lolium & ſteriles auenas gignunt. Literæ merum latrocinium ſunt. Quo quis impudentior, eo doctior habetur. Me, quantum operæ in iis poſui, pœniteret, niſi quod reliquum eſt vitæ, mihi, nec ingrato huic ſæculo, impendere decreuiſſem. Loiolitarum latratus non moror. Hoc vnum me ſollicitum habet, quod & inter noſtros, inuidi, ſceleſti, obtrectatores ſunt. quos non mirū eſt inſidiari bonis, inuidere doctis, obtrectare omnibus, cum id ſerio profiteantur. Noſtros vero quis proteruitate crederet pleroſque vincere, ſycophantiis cum quouis certare, obtrectationibus nemini cedere? Duos nebulones, qui diuerſis temporibus Reipubl. veſtræ inſidias ſtruebant, pœnas dediſſe & reſciuimus iamdudum, & eo nomine Deo Opt. Max. gratias egimus, qui nihil harum conſpirationum, occultum eſſe ſinit iis, ad quos hæc res pertinet, & quorum maxime Rempubl. ſaluam eſſe intereſt. Sumptus quos Sabaudus ad vos opprimendos facit, reficere fortaſſe poteſt: vitam tot capitum, quę per ambitionem ſuam Geneuenſi obiecit carnifici, nunquam reuocabit. Sed ſat eſt, ſi quæ illi dolendi cauſſa eſt, ea vrbi ſit gaudendi, & Deo gratias agendi.

Valete. Lugd. Batauor. IV. Eid. Augùſti Iuliani cIↄ Iↄ c VII.

EPI-

EPISTOLA CCLII.

IOANNI & NICOLAO VASSANIS *fratribus*. Pro tot veſtris in me meritis gratias quidem vobis agere debeo: ſed vnde incipiã, neſcio. Si enim quoties me deuinxiſtis, toties agendæ grates ſunt, prius oneri ſuccumbam, quam vt minimæ parti meritorum veſtrorum ſatisfacere poſſim. Nam & literæ veſtræ, quanti amicitiam meam faciatis, abunde teſtantur. Et ſemper eas aliquo libello proſecuti eſtis. Gratias igitur vobis ago; ſi nõ quantas volo & debeo, ſaltem quantas poſſum. Proximis nundinis ad vos ſcripſi: literaſque meas vobis recte curatas fuiſſe non dubito. Ex illis cognoſcere potuiſtis, quanti ego faciam, non ſolum me vobis carum eſſe, ſed & quanti mea intereſſe arbitrer, operam me dare, vt ne veſtra videar indignus amicitia. Biblia Italica doctiſſimi Diodati, miſſu ipſius accepi. quæ præſtare poſſum omnium, quæcunque prodierunt, præſtantiſſima eſſe, ſiue fidem in reddendo, ſiue verborum Henũſcorum delectum ſpectes. Viuet opus illud, ſi quid coniicere ex præſtantia illius poſſum. neque augurium me fallet. Nunquam ſine eis ſum, quoties in Bibliothecam meam me abdidi. Scribo illi, & vt illi gratias agam, & vt iudicium meum de ea interpretatione illi exponam: quanquam vtrique parti imparem me ſentio. Loiolitæ odio, quo me proſequuntur, parum abeſt quin & Caluini & Bezæ obliti ſint. Adeo illis ſum in ore. Expecto, vt quamprimum fabulas de me in Scholis ſuis, atque adeo ex ſuggeſtis templorum, anibus & ſtultis narrent. Nemo non aliquid ſupra nos ſapere conatur: vt ille, quem ego hominem non noram antea. qui ſacrilegum me, & atrocem iniuriam feciſſe, in ſtercoreis Chronologicis ſuis dicere non eſt veritus, & profanos eos

 eſſe,

eſſe, qui aliter de rebus his quam ille, iudicant ac ſcribunt. Nunc Aſelli cuiuſdam nomine reſponſum parat. Non habuit ſatis pro imperito, arrogante, impudente ſuis libris ſe traducere. Etiā per alium tanquam per præconem, aſinum ſe prædicari vult. Nihil mihi gratius contingere poteſt. Valete. Lugduni Batauorum. IX. Calend. Decembris Iuliani cIɔ Iɔ C VII.

EPISTOLA CCLIII.

IOANNI & NICOLAO VASSANIS *fratribus*. Accipite, cariſſimi iuuenes, Confutationem Burdoniani Dramatis. Scio vos nominis Scaligeri ſtudioſiſſimos eſſe. Ideo non dubito eum libellum vobis voluptati fore; ſi quidem non pigebit aliquot horas eius lectioni inſumere. Non poſſum vobis longiores ſcribere; tum quod nihil noui habeo; tum etiam, quod quum hoc ſcriberem, languorem nactus eram: quo ſi liberauerit me Deus Opt. Max. longiores habebitis. Vale. Lugduni Batauorum. XIIII. Cal. Septembris Iuliani cIɔ Iɔ C VIII.

EPISTOLA CCLIV.

CHRISTIANO BECKMANNO S. Tuas aliquot hactenus accepi. Iam demum, quia etiam προγύμνασμα aut σκιαγραφία quædam futuri tui operis mihi cōtigit, eo libentius reſpondeo quo magis inſigne ingenii & induſtriæ tuæ ſpecimē à te in publicum datum mihi placuit. Vt merito lætemur, in Germania quoque veſtra humaniores literas accuratius poliri: & ſemper aliquos ſuccreſcere, qui iſtuc animum appellant. Certe linguarum cognitio, & ea quidem non ſupina aut proletaria, vt ſic dicam, ſed elegans atque accurata, fulcrum eſt & baſis,

in

In qua tum omnium ſcriptorum libri, tum inprimis ſacrorum Bibliorum & Hiſtoriarum monumenta nituntur. Vna ſaltem vocula vbi ablata fuerit, aut male luxata, aut diſiecta, ſpiſſæ circumfunduntur tenebræ. Quæ cauſa eſt, quod ſtudia illa nemo bonus vnquam nō magni æſtimarit, nemo malus non contempſerit; vterque ob eximiam vtilitatem, quæ illum oblectare ſolent, iſtum magis irritare & ad furorem adigere. Tu perge, mi Becmane, in curriculo, quod ſemel duce Deo & natura comite ingreſſus es; iamque ſpacium non exiguum cum laude confeciſti. Mihi crede, ſi non in ipſo ſtatim limine, olim diligentia tua fructum tibi, bonis omnibus voluptatem, patriæ afferet decus. Habes in vicinia Taubmanum & Siberum, vtrumque optimarum artium ſtudiis excultiſſimum, & cum illis qui familiam in hoc orbe erudito ducunt comparandum. Neque opera neque conſilio deeſſe tibi arbitror. Tu fac æmuleris, quantum fieri poteſt, & vt illi Wittebergam ſuam, ita tu cum Doctiſſimo Caluiſio Lipſiam facias illuſtriorem: quod olim à Camerario, viro admirabilis doctrinæ, factum meminimus. Ζήτημα, quod addis, vnde ſignificatus vocum primo eruendus eſſet, ſatis erudite à te ipſo diſſoluitur; nec eſt de quo moneam, niſi vnum, de autoribus. Hos, & quidem genuinos maiorum gentium, vna opera tibi adducendos puto, & vt priſcæ illius puritatis & proprietatis, quam venaris, teſtes laudandos. Aliter ſi feceris, à recta via ſæpe aberrabis, & tempus inaniter impendes. Quod ne fiat, monere hic te volui. non quod aliquid ſiniſtrum de te ſuſpicarer, ſed vt petitioni tuæ ſatisfacerem. Vale. Lugduni Batauorum. 13. Cal. Sept. cIↃ IↃ c IIX.

EPISTOLA CCLV.

IACOBO CAHAGNESIO, *Medico* S. Mihi vero, mi Cahagneſi, quam præter ſpem accidit accipere literas tuas, tam nouæ atque inuſitatæ viſæ ſunt eæ laudes, quas in me contuliſti, ex illis cauſis petitæ, quarum mihi conſcius non ſum; qui & longiſſime abſum ab eo, quem me prædicas, & talem me vnquam fore, ſemper deſperaui. Quamuis enim negare non poſſum, eo me cogitationes meas ſemper direxiſſe, vt illas partes conſequerer quæ me vulgo ſecernerent, tamen non adeo vires meas ignoraui, vt eas voluntati pares eſſe putauerim. Si enim facultatem eorum, quæ voluntas ſuadebat, adeptus fuiſſem, fortaſſe aliquam, non tamen tãtam laudem ſperare potui, quanta tu me dignatus es. Veruntamen, quoniam in hoc non meriti mei, ſed amoris tui in me rationem habere debeo, eas laudes tuas potius quam meas eſſe intelligo. Gratum tamen eſt, quod ſiue illæ, ſiue elegantiſſima crumena Phrygionarii operis, quam mihi dono miſiſti, viam vtrique noſtrũ ad amicitiam inter nos conciliãdam ſtrauerunt. Quanti hoc donum facere debeam, ſcriberem equidem, ſi parem gratiam referre poſſem. Sed quid faciam, quum videam illud triplici gratia commendari? manu eius, quæ id elaborauit, animo illius qui donauit; occaſione, quæ me vno amico auxit. Si vellem horum trium ſingulorum nomine dignam laudationem inſtituere, operam luderem: quum ne vni quidem ex illis tribus ornando me parem eſſe ſentiam. Quod ſupereſt, quæ tam felicibus auſpiciis inter nos cœpit amicitia, ea vti conſtans & incorrupta maneat, omni officiorum genere contendam. Vale. Lugduni Batauor. VI. Kalend. Aprilis CIↃIↃCVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLVI.

GEVERHARDO ELMENHORST *ſuo S.* Saluum te in patriam veniſſe gratulor. Pericula, quæ in itinere adiiſti, deflerem, niſi iucunda eſſet præteritorum malorum recordatio. Opto vt cælum patrium clementius experiare quam Batauicum. de quo ego quod querar nõ habeo, niſi quod te nobis ademit. An longa dies mihi lenitura ſit deſiderium tui, neſcio. Certe nunc vix fero. æquius feram, ſi te noſtri memorem ſenſero. De Bibliis Islandicis iterum aurem vello: quibus ſi addas Danica, nihil eſt quod gratius mihi facere poſſis. De libris, quæ Wouwerus noſter habet, non graue erit tibi compellare hominem. Vale. Lugduni Batauorum. VII. Kal. Decembr. Iuliani cIↄ Iↄ c II.

EPISTOLA CCLVII.

GEVERHARDO ELMENHORSTIO. Gratũ eſt de Bibliis quæ promittis: vt ex poſterioribus tuis, quas heri accepi, intelligere potui. Fidei autem fratris Cornelii Vandalii cõmittere ea poteris. Is, vt frater promiſit, in ſe negotium recipiet. qui ſua fide librum mihi reddendum curabit. De editione N*** autor ſum, vt eam curam abiicias, quia melior ea, quam N** dedit, dari non poteſt. Quas à te ſchedas accepi, vbi voles, remittam. Nihil habent neque melius, neque præter id, quod N** editio habet. Puteani Aratum ad me ſuum miſerant; quem quia nulli vſui eſſe mihi poterat, ſtatim remiſi. Sunt enim Scholia ex Græcis ad verbum adeo iocolariter conuerſa, vt non legi ea præſtet quam edere. Ἐγκύκλια Ariſtotelis nulla alia exiſtimo, quam τὰ ἐκδεδομένα. Nam τὰ ἐγκύκλια etiam *vulgaria* exponuntur,

tur. Τὰ ἐγκύκλια, τοῖς ἐποπτικοῖς, contra ac docti viri volunt, opponuntur. Nam τὰ ἐποπτικὰ, quæ τοῖς μεμυημένοις patent, non & vulgo. De quibus nos alibi ſatis. Ἰλιὰς ἀπὸ νάρθηκος ea tantum dicitur, quæ poſt Calliſthenis & Anaxarchi correctionem relicta, annotata & emendata, ab Alexandro Magno in ſanctuariis repoſita fuit. Ναρθήκιον enim eſt repoſitorium ſanctius, in quo gemmas & κειμήλια conduntur. Vertatur ergo Ἰλιὰς ἀπὸ ναρθηκίου *Ilias ex Sanctuariis Alexandri.* Puto te meas poſteriores accepiſſe. Scribam vberius propediem. Nunc occupationes excuſabis. Amicos tuis verbis ſalutabo vt præcipis. Vale. Lugd. Batauor. Prid. Eid. Decembr. Iuliani cIↃ IↃ c II.

EPISTOLA CCLVIII.

GEVERHARDO ELMENHORST. Quum tuas literas accepi, nondum Wouweri noſtri Valentem acceperam. Hodie mihi redditus eſt. & primo oculi cõiectu in locum, qui mihi proderit in meis Euſebianis, incidi. De Bibliis Islandicis gratum, quod operam tuam polliceris. Sed mirum tanti indicari, quum tam paucis extra Islandiam vſui futura ſint. Sed malo tanti deſtinare, quam carere illis. De tua valetudine eo magis ſolicitus ſum, quod eam ſcio te huc comitatam eſſe, non eam te ab hoc cœlo hauſiſſe: quod quamuis aſperum & inclemens ſit, non tamen adeo morborum ferax: quia pauci Galli & peregrini, qui huc immigrant, mutationem valetudinis incurrunt. Cura igitur valetudinem tuam. Fortaſſe quum corpuſculum refeceris, ad nos iterum conuolabis. Quod vt fiat, inprimis opto. Vale. Lugd. Batauorum. XI. Cal. Martii Iuliani. cIↃ IↃ c III.

EPI-

EPISTOLA CCLIX.

GEVERHARDO ELMENHORST. Poſtremis meis orabam te, vt per amicos tuos, qui Bremæ negociantur, copia mihi libelli cuiuſdam monachi Cluniacenſis, heroico & rhythmico ſcripti, fieret: cuius initium:

Hora nouiſſima, tempora peßima ſunt. vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille ſupremus.

Maximo me beneficio obſtrinxeris, ſi opera tua illius libri compos fiam. Præterea iiſdem literis de Moſchione medico gratias egi. Et ſane non vulgare illud munus exiſtimo; tum quia à te profectum eſt, tum quia ignotus hactenus mihi ſcriptor ille fuit. neque vlla via aut ſpes eſt aliunde nanciſcendi, ſi velim. Sed de illo Monacho (is eſt Bernardus Cluniacenſis) oro memineris. Vale. Lugd. Batauorum. XVI. Cal. April. Iuliani cIɔ Iɔ c III.

EPISTOLA CCLX.

GEVERHARDO ELMENHORST. Nihil eſt, quod magis nos cõmouet, quam idquod inopinato accidit; neque vllius iniurię maior dolor eſt, quam illius, quæ ab eo proficiſcitur, à quo minime tale expectabas. Nudiustertius quidam vtrique noſtrum notus conuenit me, qui ſe ab amico accepiſſe diceret, magnas inter te & ******* ſimultates ortas eſſe. idque tua, non illius culpa, propter Minutii editionem. Tolerabile id quidem, ſi ſola interceſſerit parium ſtudiorũ contentio. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Sed longe diuerſam narrabat cauſam, qui id nobis retulit: Quæ ſi vera

eſt, nunquam tam oblitos iudicii ſui homines inuenies, qui eam probare poſſint. Conuenio conſcientiam tuá, ſi tu hac in re meliora præſtare poſſis, quam ille: qui tibi & ætate & rerum vſu longe antecellit. Tu, niſi verum odiſti, negare hoc non potes. Sed ego hæc non tanti facerem, niſi maior cura me vreret. Auſum te * * * * * * * dicere, eius me ingenium extenuaſſe verbis. Quod quam falſum ſit, neminem alium præter te teſtem appellem. Vt ego adeo inſaniuerim? Meam vt mentem illa cæcitas inceſſerit? Quid de te ſuſpicari, imo quid arbitrari debeo, qui ita de me ſenſeris? Quis virum illum magis tibi commendauit, quam ego? Quis magnificentius de eo ſenſit? An tu tantum eſſe eum ſcires, niſi ego tantum prædicaſſem? Non poſſum facere, quin tecum hāc iniuriam expoſtulem. Aut purga illam, aut abuti amicitia noſtra noli. Vale. VII. Kal. Aprilis Iuliani. cIↃ IↃ C III.

EPISTOLA CCLXI.

GEVERHARDO ELMENHORSTIO. Ex poſtremis literis tuis intellexi quæ inter te & N. ſimultates interceſſerint. Sane nollem factum, & magno redemerim non accidiſſe. In tua poteſtate eſt mœroré, quem ex hoc animo cepi, mihi minuere. Redi igitur in gratiam cum eo. Ipſe te, quod negare non potes, & ætate, &, ſi verum non odiſti, etiam rerum vſu antecedit. Si ipſe in Felicis Minutii editione nullam tibi de meſſe ſua ſpicam reliquerit, quid ſupereſt, quam vt hoc conatu ſuperſedeas? Fac igitur, oro te, & alio induſtriam tuam conuerte. En operam meā vltro tibi defero. Tua eſt. vtere, vbi volueris. De libello Bernardi Cluniacenſis edito Bremæ, de quo bis tibi ſcripſi, expecto quam ſpem mihi facias. Ego vero ſummopere à te commendo,

vt

vt illum mihi cures. Biblia Islandica auidiſſime expecto. Vale. & quamprimum ad nos ſcribe. Lugd. Batau. Jdib. April. Iuliani cIↃ IↃ C III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Epistola CCLXII.

G. Everhardo Elmenhorstio. Quum omnibus tuis literis ſatisfecerim, cur à te iamdudum nullas acceperim, ſatis mirari non poſſum. Quid aliud poſſum cogitare quam aut te valetudine impeditum non ſcripſiſſe, aut literas tuas, vt alias in via periiſſe? Malo enim vtramuis harum cauſſarum hariolari, quam putare, te, quum poſſes ſcribere, noluiſſe. De libello Bremenſi iterum tibi aurem vello. De Bibliis Islandicis an optare potius debeo, quam ſperare? Sed quia ſemper valetudine dubia vſus es, quandiu hic fuiſti, velim ſcire an eadē conſtet tibi. Nam vereor, ne ea ſit cauſſa ſilentii tui. De velitatione, quæ tibi cum * * * tuo intercedit, & ſcripſi alias, & iterum hortor, vt ab ea faceſſas, tam vt conſulas ſtudiorum tuorum quieti, quam vt humanitati ſatisfacias, quæ à nobis, qui ſocialia animalia ſumus, non ſolū omnem temperantiam ab iniuria, ſed etiam omnem amorem exigit. Itaque non ſola hęc officia ſunt boni viri, abſtinere ab odio, ſed & vltro amicitiam appetere. Quod ſi nihil aliud, certe illius, quo cum tibi res eſt, meritū facit, vt te moneam, & dem operam, vt quemadmodum vnius patriæ ius, ita eadem literarum & communium ſtudiorum ſocietas vos coniungat. Hæc tu in bonam partem accipias, oro. Vale. Lugduni Batauorum. prid Eid. Mai. Iuliani cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCLXIII.

GEVERHARDO ELMENHORSTIO. Literæ tuæ cum pagella Arnobii tui mihi redditæ quantum mihi voluptatis attulerunt, quod nihil non iucundum à te ad nos peruenire poteſt, tantum mihi ſollicitudinis crearunt, quod neſcio quomodo tibi gratiam referre poſſum. Quid referre? quomodo ſaltem habere poſſim, non video. Si libere amico loqui licet, tuum Arnobium, vnde maiorem fructum expectare licebat, dicare poteras. Certe non potuiſti, vnde plenior confeſſio beneficii accepti exprimi potuerit. Si minus loquor pro magnitudine meriti, ignoſce & mihi, qui plus non poſſum, & tibi, qui potueris peccare, quum eligere poſſes à quo in te maior laus redundaret. Sed ſi ita tuum eſt conſilium, malo mihi attribuere aliquid quam tuo diffidere iudicio, & in me putare eſſe aliquid, quod te ad hoc tam ingenuum de me teſtimonium inuitauit, potius, quam vt cauſam tibi cur tam præclare de me mereri volueris defuiſſe credam. Totum igitur Arnobium, quandoquidem hoc voluiſti, expectabo. cuius nunquam meminero, quin & tui vna quoque mihi in mentem beneficii venerit. Laudo, quod conſilium de editione * * * abieciſti: magis laudarem, ſi & ſimultatem quoque. Quod oro, facias, & quamprimum cum * * * eo in gratiam redito.

Vale. Lugduni Batauorum
Nonis Iunii Iuliani
cIↃ IↃ CIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXIV.

G. EVERHARDO ELMENHORST. Arnobium tuum, & non multo poſt interuallo Biblia Islandica, accipi. Satis me in ære tuo propter Arnobium putabam eſſe. Nunc vero nexum ducas licet, quia ſoluendo non ſum. adeo me liberalitate obruiſti tua, vt beneficiis à te prouocatum me pudeat, quum nondum à me bene de te merendi factum ſit initium. Sed ſpero fore, quando parem vel referam, vel ſaltem conabor. Non erat, mi Everharte, quare tantum munus à te ſperare debuerim. Nam, tametſi tu apud te hoc in animo tuo decreueras, ego tamen nullius erga te meriti aut officii cōſcius, nunquam animum meum induxiſſem, aliquid in me, extare propter quod, aut dignus eo viderer, aut ſaltem vt tuam in me liberalitatem prouocarem. Alioquin precium numerare cui iuſſiſſes, aut cui ego recte me dare poſſe indicaſſem, paratus eram. Sed hoc dato, poteram videri, nihil tibi præter gratiam debere. nunc vero, niſi me totum tibi debeam, quomodo gratum me erga te probem, non video. Habe ergo me tuum, ſi modo alicuius precii ſum, & me vtere vt tuo, non vt meo. Quia iam hoc ego ius abdicaui tibi totum. Quod autem quicquid tibi ſcripſeram antea, non alio quam paterno animo à me dictum agnouiſti, eſt quod vtrique noſtrum gratuler: tibi, quod mutaueris ſententiam; mihi, quod à te hanc ingenuam confeſſionem expreſſerim. Vale. Lugd. Batauor. IX. Kal. Octobr. Iuliani cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA CCLXV.

G. EVERHARDO ELMENHORST. Quod ante biennium nihil literarũ ego à te acceperim, nullam aliã cauſam eſſe putaueram, quam quod longiſſimã aut certe diuturnam te ſuſcepiſſe perſuaſeram mihi peregrinationem,

tionem. Ita enim coniiciebam ex verbis eorum, quibus ignotus non es,& quibus conſtabat de diſceſſu tuo. In quem quum ego cauſſam diuturni ſilentii tui contulerim; non autem quod animum tuum in me mutatum eſſe crederem, non debes mirari, & à nobis quoque ceſſatum eſſe. quum eadem ratio mihi præſto ſit ad defenſionem, quam tibi non defuturam putabam, ſi ego tecum de taciturnitate tua expoſtulaſſem. Quin etiam ea potius mihi profuiſſet, quam tibi. quia ego vbi terrarum degeres, non poſſem diuinare; tu, vbi ſim, non poſſes ignorare. Sed bene eſt, quod vbi ſis iam ſcio, idque me ignorare non patiuntur literæ tuæ, quæ mihi iucundiſſimæ fuerunt: quia quaſi mihi reuixiſſe videris, quum poſt tam longam ceſſationem iterum te ad ſcribendum contuleris. Nam quod adiecisti de tuo conſtanti in nos amore, hoc nouam voluptatem mihi non attulit, ſed veterem in me de tua amicitia ſententiam confirmauit. Nihil enim in te admiſiſti, cur ego de te aliter, ac ſolebam, ſentire debeam. quemadmodum neque ego vllius leuitatis mihi conſcius ſum, quare tibi ſuſpectus eſſe debuerim immutatæ voluntatis. vt ego enim iniquus in te eſſem, ſi propter nullam cauſſam gratiam tuã parui facerem, ita & tu magnam mihi iniuriam faceres, ſi nihil haberes, præter ſuſpicionem, quare de me querereris. Amolire igitur & à te hanc ſuſpicionem & à me hanc infamiam. Quod vereris, ne alienior à te factus ſim ex quorundam obtrectationibus, fruſtra es. Neque enim mihi ab vllo de te quicquam in deteriorem partem relatum eſt. neque, ſi ita eſſet, vlli homini, aut obtrectanti aut maledicenti, credidiſſem: In eiuſmodi enim rebus, non aliorum rumoribus ſed iudicio noſtro ſtamus. Quare de hoc ſecurus eſto. De ſcholaſtico illo Chronologo, quod in fine epiſtolæ tuæ addidiſti, videor eius nomen in Francofurtenſi Catalogo ver-

vernalium nundinarum legiſſe,ſed librum non vidi. Et quod ais in me debacchari,oportet hominem ebrioſum eſſe,qui non ſentiat,cui maledicat,aut iniquum,qui neſciat cur maledicat.Quamuis quid ſcripſerit,neſcio;hoc vnum tamen ſcio,ſtercorea omnia eſſe, vt omnium,qui mecum in hoc prœlio manus conſeruerũt. qui ex temeritate ſua nihil aliud conſecuti ſunt, quam vt ſe in nobiliſſimo Theatro traducerent. In *,* bene operam & fructuoſe collocatam cenſeo:vt ego ab eius lectione doctior diſceſſerim. Quod aliter tibi videtur, non mirum. Quot enim capita, tot ſententiæ. Nam & in cibis ſcis non vnum omnium guſtum eſſe. Val.Lugduni Batauor. XII.Kal.Octobr.Iuliani cIↄ Iↄ CV.

EPISTOLA CCLXVI.

GEVERHARDO ELMENHORST. Niſi ex literis tuis vbi ſis intellexiſſem,alii narranti non credidiſſem. Nam te tandiu Hamburgi fuiſſe,vt tamen nihil literarum à te acceperim, nunquã putaſſem, niſi aut animum in me tuum mutatũ, aut me tibi excidiſſe, exiſtimarem. Quia vero neutrum credere poſſum, ideo te peregre profectum,&peregrinationem,ſcribendi commoditatem ademiſſe, non memoriam noſtri deleuiſſe, arbitrabor. Scribe igitur crebrius, vt garrire tecum poſſim. quod nunc facerem libenter, niſi tot occupationes me circumſtarent, vt vix ab illis reſpirandi tempus detur. De crabronibus enim & ranunculis,qui non animum meum turbant, ſed ſomnos interrumpunt, multa habeo, quæ tibi narrem. Sed eã in aliud tempus,quum reſpirauero,differre decreui. Nunc enim non plane vacat.Quum literas tuas ad me mittes,ſcribe,cui tuto meas tradam. Vale. Lugd. Batauor.
XVI. Kalend. Octobr. Iuliani
cIↄ Iↄ CVII.

EPISTOLA CCLXVII.

GEVERHARDO ELMENHORSTIO. Ex tua peregrinatione ſaluum te domum veniſſe, tam mihi quam tibi gratulor. Diu eſt enim poſtquam nihil literarum à te accepi. Gaudio meo cumulus acceſſit editio N.N. ex veteri codice emendati: quæ fortaſſe Caſaubonum noſtrum ad ſcriptorem eum illuſtrandum excitabit: quem editionum vulgatarum mendæ ab hoc negotio deterruerant. vt ab eo litteratorum principe & hunc autorem expolitum habeamus. Quid enim niſi plane eximium à tanta doctrina ſperare poſſumus? Certe ſine codice ſcripto vulnera illius auctoris ſanare velle, non inſcitiæ ſolum, ſed temeritatis eſt. Ea cauſa eſt cur pauciſſima in illo emendauerim. & in alieno codice, quum meum non haberem. Quæ omnia prorſus animo meo exciderunt. Ignoſces igitur, ſi conatus tuos illis præſidiis, quæ à me exſpectas, adiuuare non poſſum. Non enim animo laboris detrectandi, ſed propter eas cauſas quas expoſui, in præſentia tibi ſatisfacere non poſſum. quod non minus mihi dolendum eſt, quam tibi. Idem de locis propoſitis dico: in quibus ſemper hæſi; neque adhuc inde me explicaui. Vale. VI. Kalend. Decembr. Iuliani CIƆ IƆ CVII.

EPISTOLA CCLXVIII.

GEVERHARDO ELMENHORSTIO. Literas, quas ad me ex a.d. Kalend. Ianuarii dediſti, heri accepi. Miratus ſum tibi eas, quibus ad tuas reſpondi, nondum redditas fuiſſe. Scito, ſtatim vt accepi tuas, illis non ſolum, ſed & iis, quas ad me ſcripſit Lindenbrugh, reſpondiſſe. Eas Gryphio, qui Roſtochiæ agit, Merulæ affini, fa-

ſini, famulus meus dedit. quas tibi recte curatas me velle, ſerio dixit. Quin ille eas miſerit, quæ eius eſt fides, minime dubito. ſed improbitate, aut negligentia eorum, quibus eas tradidit, quominus ad te peruenerint, factum fuiſſe. Itaque nunc famulum ad Merulæ viduam, ſororem Gryphii ipſius, miſi, vt fratri ſcribat, num reddiderit: aut ſi reddidit, cum illis expoſtulet, quorum iniuria factum, quominus tibi redditæ ſint. Certe doleo, ex hac hominum negligentia accidiſſe, vt & veteris meæ in te beneuolentiæ, & diligentiæ in ſcribendo meæ teſtimonio careres. Nullum enim tempus aut occaſionem omittere decreui, in quo ingenuæ illius voluntatis meæ fidem facere poſſim. Crebriores igitur ad nos ſcribe. Sed & Lindenbrogium noſtrum, quem ad editionem Marcellini hortatus ſum, ſaluta. Cui hortationi ſi tua præterea accedat, non dubito, quin illius animum ad maturandum hoc opus accendas. Vale. Lugduni Batavor. III. Kal. Februar. Iuliani cIↄ Iↄ cVIII.

EPISTOLA CCLXIX.

IOANNI CASELIO *ſuo S.* Suſpicionem, quam priores tuæ literæ fecerunt, ex aliorum & poſterioribus tuis, vanam non fuiſſe, perſpexi. Nam tametſi prius ita mecum agebas, vt ex verbis dolorem potius tuum, quam illius cauſam coniicerem; tamen cogitanti mihi, quo maior cuiuſq; virtus eſt, eo opportuniorem ipſum eſſe inuidiæ, ſuccurrit, difficile eſſe, tantum doctrinæ in quenquam cadere, quantum in te eſſe intelligo, vt non magno in odio & inuidia apud eos ſit, qui in aliis eſſe impatienter ferunt, quod à ſe abeſſe dolent. Præterea memineram, vix vllum has inuidiæ tempeſtates effugere potuiſſe, niſi qui aut bona ſua ęquo animo diſſimulare poſſet, aut ſe omnia aſſentiri illis compararet, quibus

bus vita, moribus, & ſtudiis, ſit diſſimillimus. Contra, qui ſcirem, eam eruditionis tuæ claritatem eſſe, vt nulla diſſimulationis nube obſcurari poſſit; eam vero animi conſtantiam, vt nunquam te ad tui diſſimiles applicare velles; non fruſtra augurabar, hanc querelam tuam ab eiuſmodi offenſione natam, quam virtus tua potius, quam priuata vlla excitaſſet iniuria. Poſtquam animum meum inducere non potui, quin hæc ita, vt ſuſpicabar, eſſe crederem, dolui equidem, vt debui, dolorem tuum. Sed quod diſſimulare nō poſſum, augurium meum veriſſimum fuiſſe, vehementer lętatus ſum. Quidam enim viri docti tuique ſtudioſiſſimi, omnem mimum ordine nobis deſcripſerunt. vt per eos vaticinio meo credere liceret. quod & poſterioribus tuis multo magis confirmatum eſt. Sed, mi Caſeli, primum cogitare debes, quia, vt ille ait, virtutem inuidia, vt corpus vmbra ſequitur, eo patientius tibi hæc ferenda eſſe, quo maior eſt neceſſitas, vt inuideatur ei, qui, quare inuideatur, habet. Deinde, tametſi hominum petuicacia à literarum quiete ad turbulentas lites te traduxerit, tamen ab iſtis velitationibus nullum periculum tibi eſſe video. imo, ſi diuinare & hic quoque licet, egregiam tibi inde victoriam, & à victoria gloriã, quo inimicis tuis oculi doleant, partum iri ſpero. non mehercule quod inuidos, (nam nihili eſt triumphus ille) ſed quod inuidiã viceris. Perfer itaque, & obdura. Otioſæ ſunt animi dotes, & omnis doctrinæ apparatus, niſi quantum inuidiæ aduerſus ſe excitarunt, tantum conſtantiæ ex ſe ipſis ad profligandam inuidiam expromant. Ego iamdudum in hoc hominum genus incidi, quibus fatum meum me quotidie obiicit. Et profecto, niſi mihi tenuitatis meæ conſcius eſſem, pene perſuaſerant mihi, me cuiuſuis pretii eſſe. Sed ζηλοτυπίαν ſtolidam ridemus, furorem contemnimus: conatus vt iniuſtos, ita irritos eſſe quotidie experimur: altitudine animi,

animi, & bonæ mentis conſcientia nos ſuſtentamus. Quod niſi talem te putarem, qui per te ipſe ſapere poſſis, exemplo meo te ad iſtam animi præſentiam excitarem atque erigerem. Te vero neque meo conſilio ad hoc egere, neque ſi qua in contentionibus iſtis ſpes eſt victoriæ, ea te carere arbitror. Macte igitur constantia. τὸ δ' εὖ νικάτω. Quod Epiſtolas Patris mei mirifice placere tibi ſcribis, eſt quod mihi gratulor, eum, qui vnus inſtar omnium eſt, contigiſſe lectorem. Nam quot eſſe putas, quibus character ille, purus, nobilis, Latinus, ſordet? Neque mirum: Ciceronem laxum, redundantem, ac ſupinum vocant; quem vnum ille ſibi imitandum propoſuerat. Tempus me defecerit, ſi horum Ariſtarchorum faſtidia recenſere velim. qui Latinitatem nullam, niſi quæ in cerebris eorum nata ſit, agnoſcunt. Sed ita alte radices egit cacoethes illud, vt procliuius de eo queri ſit, quam id tollere. Epiſtolarum vero harum editionem, optimo optimi parentis filio Franciſco Douſæ debemus. qui multis forulis priuatarum Bibliothecarum excuſſis, eas blattis eripuit. Quin & poſt editionem aliæ nonnullæ ex Germania ad illum miſſæ: talium enim ingens adhuc numerus in Bibliothecis latet. Idem in deſcribendo ingenti Patris mei Commentario εἰς τὴν περὶ ζώων ἱστορίαν nunc totus eſt: opus eximium & immortalitate dignum, ſi honeſto filio de patre gloriari licet. Lentum tamen eſt negotium, & vix adhuc intra ſpem editionis, ob molem libri & longum deſcribendi laborem. Cur Orationes in Eraſmum, & plurimæ præterea Epiſtolæ, quæ eiuſdem argumenti ſunt, non ſint editæ, ſi ipſe per te cauſam coniicere non potes, ego meliore otio & tempore ſignificabo. De libello tuo περὶ εὐγενείας gratias ago. De tuis vero rebus, ac præſertim περὶ σκιαμαχίας, quæ à tuis te rebus diſtinet, quamprimum, ſi nos amas, nos certiores facias. Vale. Lugdu-

le. Lugduni Batauorum. III. Kalend. Octobr. Iulian. cIↄ Iↄ c.

EPISTOLA CCLXX.

IOANNI CASELIO. Binas à te literas, mi doctiſſime Caſeli, ſed longo interuallo, accepi. Prioribus litis tuæ acta adiunxeras. Ita enim voco, quum ad te virũ grauiſſimum me conuerto. Quum autem eos cogito, quibuſcum res tibi fuit, mimus viſus eſt: cuius tamen cataſtrophe verendum erat ne plus quam tragica futura eſſet, niſi talis θεὸς ἀπὸ μηχανῆς interueniſſet, cuius admirabili prudentia & æquitate ex tantis tamque diuturnis turbis res in tranquillum deducta eſt. Illuſtriſſimum Principem tuum dico. Poſterioribus verebaris, ne alteræ illæ intercidiſſent. Ego, vt vides, eo te metu libero: qui eo maiore voluptate explicatas rationes negotii tui legi, quo grauior hactenus fuerat ſollicitudo mea, quamdiu in expectatione euentus fui. Multa enim interueniebant, quæ & metum & curam augerent. Conſolabatur me quidem cauſæ tuæ bonitas: ſed ſuccurrebat, nuſquam maiorem vim calumniæ eſſe quam in cauſa optima: illi tam facile eſſe innocentiam opprimere; quam iuſto iudici obrepere. vim poſſe fieri cauſæ, quamuis dignitati & conſtantiæ non poſſet. Communia hæc eſſe, & fieri poſſe, memineram. Itaque te virum ea pietate, ea integritate, iis literis, in tanto inuidiæ pelago, tamdiu iactari, moleſte ferebam potius, quam mirabar. vt qui ſcirem, hoc cum omnibus probis commune eſſe tibi; qui vt plurimum improborum pila & ludibrium ſunt. Sed facere non poteram, quin plurimũ me tui miſereret, cui viderem eas turbas ea ætate obtigiſſe, in qua ante actorum laborum fructus percipere tempus erat. Accedebat iuſto dolori noſtro, quod

quod in tanto diſcrimine nec conſilio neque ope iuuare poteram. Quid facerem? Scriberem aduerſariis tuis? Monerem, à furore deſiſterent? Quaſi vero patrono innocentiæ parcerent, qui innocenti non pepercisſent. Quid ergo? Perfricarem frontem, & te tantum Philoſophum conſolarer? Præcepta ex media ſapientia peterem, qui iſtam tibi ægritudinem minuerem, quum tibi hæc domi naſcantur? Itaque mi Caſeli, poſtquam anno præterito primas illas accepiſſem literas, ex quibus quãto bello premerere, priuſquam qui eſſent hoſtes tui, reſciſcere potui, id inprimis animum meum vulnerauit, nihil ad te iuuandum, præter voluntatem relictum mihi eſſe. Sed bene, quod Deus Opt. Maximus vna opera & tuæ innocentiæ, & ſollicitudini meæ recte conſultum voluit, quumque vtrique noſtrum planam viam ſtrauit, tibi vincendi, mihi gratulandi. Gratulor igitur tibi, primum quod illis rebus viciſti, non quibus poteras, ſi voluiſſes, eloquentia, & ingenii acritate; ſed quibus longe plurimum valebas, innocentiæ fiducia, & cauſæ integritate. Deinde quod ſub illuſtriſſimo Principe tuo lis ventilata eſt. Quo quid tibi honorificentius contingere potuit? Quot putas eſſe, qui libenter ſe reos fieri patiantur, vt à tanto iudice abſoluantur? Ego certe aceruos auri non merear, vt nolim ea mercede periclitari, vt mihi contingat is iudex, qui ſapientia ſua verum eruere, humanitate innocentiam defendere, auctoritate calumniam propulſare poſſit. Quare tam memorabili facto illuſtriſſimus Princeps conſecutus eſt, vt tam ſycophantis formidoloſus quam bonis omnibus, ac præſertim eruditis, in poſterum carus ſit futurus. De cuius imagine gratias tibi ago: quam ita, vt rari inter mortales Herois, venerabor, ita, vt ſanctiſſimi literarum ac virtutum patroni, colam. Tu vero, mi Caſeli, macte animi: quem Deus ardua virtutis contingere voluit, vt peri-

culum ſub ineptis hominibus adires, periclitari, vt ſub iuſtiſſimo iudice omni honore cumulatus diſcederes. Quo vero amore & ſtudio comitatem iſtam proſequar, qui hæc omnia mecum communicaſti? Nam quantum me oblectarunt epiſtolæ tuæ! Quantum me orationis tuæ indoles, pura, caſta, Romana, affecit! Multi enim Latine, pauci Romane loquuntur. & ſi qui forte Romane, at raro illum Ciceroniani ſæculi genium aſſequuntur. Qui hunc leporem in tua oratione non agnoſcit, is quid ſit Latine ſcribere, neſcit. Quid de verſiculis tuis dicam? qui quantum ab omni fuco & ambitione remoti ſunt, tantum Romanæ illius priſcæ ſimplicitatis, & amœnitatis habent Catullianæ. Idem de verſiculis generi tui dico. Par vtrorumque venuſtas: pariter vtrique me affecerunt. In illis morum tuorum candorem agnoſco: ſi verum eſt, vt quidem verum eſt, illud vetus ἤθους χαρακτὴρ ἐστὶν ἀνθρώπου λόγος. Itaque minus mirandum, ſi eorum inuidiam incurriſti, quorum mores tui diſſimiles, & ideo πρὸς τὸ φῶς μυωπάζουσι. Quamdiu his moribus eris, (eris autem quamdiu viues) tamdiu hoc genus hominum te inſectabitur: quos non potes declinare, ſed contemnere potes. Coniuncta enim ſunt τὸ ἀριστεύειν καὶ τὸ φθονεῖσθαι. Vale, mi Caſeli, καὶ νίκα, ὥσπερ ἤδη ἐνίκησας. Lugduni Batauorum. Non. Sextil. Iuliani, ipſo natalis mei die LXIII. cIↃ IↃCI.

Epistola CCLXXI.

IOANNI CASELIO. Literæ, quas ad me III. Id. Martii dediſti, mihi redditæ ſunt, quum vtique male haberem. vt ne nunc quidem, quum hæc ad te ſcriberem, de valetudine mihi conſtaret. Ἐπήσιοι enim μαλακοὶ, ἀπύρετοι quidem illæ, non ſine moleſtia tamen, inire nos

nos ſolent, quæ plus tædii quam periculi afferunt. Huiuſmodi languores quamuis non recte morbi dicendi ſunt, tamen hoc morbo proximum habent, quod per illos omnis non epularum ſolum, ſed & literarum guſtus nobis ingratus eſt. Quantum enim cibi hos ſolidos octo dies ſumpſi, vix prandiolo hominis quantumuis ſobrii aut præparci ſatis fuerit. Inuitus igitur ad menſam accedo: ad quam nullam adferre famem poſſum. quam quidam gulæ proceres inter edendum ſuboriri dicunt. Mihi vero non eſt tam morigerum palatum, vt eſurire, aut ſaturum eſſe, quoties velim, mei ſit arbitrii. Quia vero, vt epulæ corporis, ita literæ aliud animi ſunt pabulum, equidem ſentio me non minus inuitum illo alimento carere, quam illo. ab vtroque enim me imperioſus iſte languor arcet. Sed diuerſa conditio eſt. Nam ad epulas faſtidio, ad literas eſurio. Neutrius tamen rei, propter hanc valetudinis aleam, mihi ſit copia. quæ præteritis quidem annis, quia mihi tot recurſibus familiaris facta erat, & ex ipſo vſu hoc conſecutus eram, vt non noua neque improuiſa res mihi videretur, quoties accideret, tamen ætate iam vergente, ſuſpecta mihi eſſe incipit, ne ex nimis familiari hoſtis fiat ſcilicet, & ex iſta conſuetudine gradum ſibi ad maiora audendum faciat. Hic erat ſtatus, mi Caſeli, meus, quum hæc ad te ſcriberem. Ingratiis iſtius μαλακίας, quæ non omnem modo vſum, ſed & amorem nobis ſcribendi ademit, quia tamen literæ tuæ mihi pro epulis fuerunt, quas per aduerſam valetudinem ſumere non poſſum, illæ autem tanti apud me ſunt, vt etiam peiore rerũ mearum ſtatu meas elicere poſſint; nolui committere vt officium meum deſiderares. Tam igitur nobis gratum fuit te meas literas accepiſſe, quam adhuc ægre eſt tibi tam ſero redditas fuiſſe. Idem fatum vltimarum eſt, quas ad te non peruenisse video. Ad omnes enim

 tuas,

tuas, quas quidem acceperim, præterquam ad poſtremas, (eas inquam, quas ante has accepi,) reſpondiſſe me puto. Nunc iſtis feliciusne cauero, quam aliis, equidem neſcio. Scholaſticis enim literas noſtras tradere ſolemus, bonis quidem illis & noſtri ſtudioſis, ſed erronibus tamen καὶ ῥεμβομένοις. quos φιλιστεία, φιλοσταεία, & id genus alia, in omnibus vrbibus & ſtationibus, contra animi propoſitum, & profectionis ſæpenumero conſilium, affixos aut irretitos tenent. Vnde fit, vt per eorum fidem, ſero, aut per longinqui temporis obliuionem, nunquam literæ noſtræ ad amicos perueniant. Hoc ſane ego quotidie magna mea indignatione experior: quum tamen interea alienam culpam præſtare cogor, quod omiſſior in ſcribendo illis videar, qui ignorant, quanti ego facere ſoleam, omni negligentiæ ſuſpicione apud amicos carere. adeo vt etiam iis non raro reſpondere cogamur, quorum neque literæ tam lepidæ ſunt, vt reſponſum mereantur, neque gratia tanti ſit, vt non ea patienter careamus. Facimus tamen multa, non illorum cauſa, ſed noſtra. Nam in omni re omnium intereſt, non ſolum vt ſui vnuſquiſque, ſed etiam vt aliorum rationem habeat: & noſtri officii etiam id putemus eſſe, quod illorum meritum exigere à nobis iure non poteſt. Itaque, mi Caſeli, ſi quidem de meo in te amore perſuaſum eſt tibi, non inuitus credes, quod infrequentiores, aut potius nullas à me acceperis, (nam nullas exiſtimo, quæ tam ſero tibi redditæ ſunt) id non meo, ſed illorum quibus eas tradidimus, negligentia eueniſſe. Detinerem te pluribus, ſi per tyrannum hunc laborem liceret. Meum eſt, quod longiores non do, morbum excuſare; tuum, æqui bonique conſulere. Nam vt epiſtolam meam tam propere clauderem, τὸ χολικὸν πάθος facit. quod me monet, rem potius cum culcitra quam cum epiſtola habere. nunquam o-

nim

nim ſine hoc comite familiaris iſte morbus me aggreditur. Vale. Lugd. Batauor. Non. April. Iuliani cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA CCLXXII.

IOANNI CASELIO. Binas à te literas eodem ferme tempore accepi. Quæ tamen prius ſcriptæ, poſterius redditæ ſunt. Neque vero cauſam ſcire potui, cur is, cui priores tradideras, tam lente fidem ſuam liberauerit. Statim enim, ſi vacat, ad amicorum literas reſpondere ſoleo. id quod & iam feciſſem, ſi per eius culpam mihi licuiſſet. Nihil enim mihi antiquius eſt, quam negligentiæ & cauſas omnes & ſuſpicionem à me amoliri; vt ternis potius literis ad vnas quam nullis reſpondeam. Primũ igitur, quod ex iis accepi, qui mihi tuas reddidere, gratiſſimum mihi de valetudine tua fuit, quam adhuc conſtare tibi in ætate illa affirmabant. Quod vero ex literis tuis cognoſcere potui, ex eo non vulgaris mihi admiratio inceſſit. non quod mirari ſoleam, quæ miranda non ſunt; ſed quia, quibus bene conſultum volo, aliter illis accidere, facere non poſſum, quin doleam. Tibi enim, homini raris ingenii dotibus & eximia virtute prædito, inuideri mirarer equidem, ſi virtutem eſſe rem inuidioſam neſcirem. Quia vero id quotidianum eſt, non tam miror id tibi accidere; quam doleo ei, cui minime omnium vellem, in hac præſertim ſenectute, id contigiſſe. Ac quamuis plus tibi conſtantiæ ſupereſſe ad hæc contemnenda, quam illis impudentiæ ad te laceſſendum ſcio; tamen & nobis ægre eſt, quietem ſtudiorum tuorum ſollicitari: & tu non potes effugere, quin aliquando ad hos ſuſurros animum aduertas. Nam & tonitrua mouent ſapientis animum, quamuis non terrent. quomodo leonem apud Æſopum non terruit mus, ſed excitauit. Nihil tamen magis aſſultus ha-

rum laruarum eludere poteſt, quam diſſimulatio καὶ ἀνεξικακία. Sui enim rationem haberi putant (quod quidam affectant) quum, quibus inſultant, eos maxime ſe permouiſſe arbitrantur. Hos animos illis conſcientia, & doloris ab illis expreſſa, quibus nocere ſtudent, confeſſio, faciunt. Sed talem proteruiam ſolus contemptus retundere poteſt. Neque tu hæc ignorare potes, homo philoſophiæ alumnus, vt mihi opus ſit ea te docere. Non poſſum tamen diſſimulare dolorem meum, quem ex præpoſtera hominum hodiernorum conſuetudine capio: quos, quum literæ, quas profitentur, ex feris humaniores efficere debuerint, nihil tamen illorum moribus agreſtius, nihil ingeniis inamœnius, nihil ſcriptis virulentius, nihil verbis atrocius. Non memoro inſcitiam, (nam ea ſola eiuſcemodi morum mater eſt;) & abſque illa fuiſſet, ſi non meliores, ſaltem minus mali eſſe potuiſſent. Ad faſtigium barbariei, mi Caſeli, peruenimus. non habet, quo vlterius progreſſum faciat. iam ſtat in præcipiti. Pauculi ſuperſunt, quos melior natura formauit. ex quibus alii ſenſum bonarum litterarum, alii ſenſum & vſum habent. Tu quidem in illis familiam ducis, qui puritate ſermonis atque eruditione omnes prouocare poſſis; &, quod caput eſt, vitæ integritate ac modeſtia inprimis. quam virtutem ego, quum in multis, qui literas colunt, tum in veſtris præcipue Germanis requiro: apud quos nulla magis ad maledicendum parata ſunt ingenia quam quæ maxime horrida ſunt & agreſtia. Quot Teutonicorum ſcriptorum portenta Nundinæ Francofurdenſes producunt? Quis in reliqua Europa aut plura vidit, aut petulantiora impotentium animorum argumenta, quam ſunt illa lemmata librorum, partim Germanico ſermone, partim Latino, ſed à Germanis Furiis concepta? Quis tam perditus, vt legendis illis bonas horas perdere poſtulet?

ſtulet? Deus meliora, quam vt relictis optimis ſtudiis, vel vnum temporis momentum illis impendam. Et litteræ tamen furoribus & debacchationibus horum ancillantur, vt non ad aliud quam ad impura horum hominum miniſteria natæ eſſe videantur. Sed, mi Caſeli, neque querelam nunc inſtituo, neque modũ epiſtolæ excedam. Hanc vocem doloris mei teſtem, tum imminens bonarum literarum interitus, tum improbitas hominum extudit. qui non aliter ſe doctos probari putant, quam ſi litteris in hominum doctorum dedecus abutantur. Hoc vnum me tamen conſolatur, quod tu cum paucis de aureo illo ſeculo reliquus, quo Italia, Gallia, & Germania honeſtis floruit artibus. Neque minus conſolari te debet, quod homines tecum habes, qui quotidiani congreſſus ſui ſuauitate omnem moleſtiam tibi abſtergere poſſunt, & illam horum generis humani retrimentorum recordationem ex animo delere, ſiquidem vlla adhuc reſidet. Quorum aliquot lucubratiunculas, quas miſiſti mihi, ſumma cum voluptate legi. Tuum carmen, tum Latinũ, tum Græcum, in homine id ætatis miratus ſum, qui, quæ mea ſtultitia eſt, aliorum ſenum captum ex meo metiri audeam. Vix tandem, mi Caſeli, ſentio, Muſas puellas eſſe, quæ ſenes auerſari ſolent, quæ quidem quum ſint nouem, ne vnam quidem exorare poſſum, vt per eam vnum epigrammation, vt cũ Ennio loquar, edolare mihi liceat. Tanta eſt ariditas venæ, quam amici in iuuene fuiſſe iurant. Ego, quanta fuit, aut ſi qua fuit, non memini. Hoc vnum ſcio, in ſene nullam eſſe. Molliculum & venuſtum illud epos Græcum ætas tua poterat vetare credi tuum, niſi ingenium tuum, quod mihi probè notum eſt, aliter perſuaderet. Quod vero in extrema epiſtola de Iſaaci Caſauboni præclaro de nobis teſtimonio adiecisti; non præter ſolitum facit, qui ex amore ſuo

metitur, quod non poteſt ex merito meo. Notum eſt, quanti ego illud literarum columen faciam. Oro te, quid vidiſti ab eo niſi eximium? quid illius Athenæo, quid hiſtoria Auguſta, quid omnibus eius lucubrationibus eruditius, abſolutius, exquiſitius? Hoc vnum doleo, tantæ eruditioni teſtes deeſſe, quos meretur. Omnes docti, illum in literis multum præſtitiſſe fatentur, quantum tamen præſtiterit, neſciunt. Ille vnus plus quam omnes ſimul, qui illas tractant literas, me docuit. Vtinam illi eiuſmodi teſtes contingerent, qualem me eſſe ſentio. Sed comprimo me: vereor enim, ne garrulitate mea tam illius laudes deteram, quam te obtundam. Vale. Prid. Kal. Quinctilis Iuliani cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA CCLXXIII.

IOANNI CASELIO. Non mirarer, ſi officium litterarum à me requireres. Quod enim tibi debetur pro tuo in nos amore, id iure tuo à me exigere, &, ſi non præſtetur, mecum expoſtulare potes. Hoc nunquam iuſtius facere poſſis, quam nunc, quum tamdiu ceſſator fui. Initio veſtri belli litteras à vobis accepi, ad quas ita præſto reſpondi, vt, ſi noſtræ ad te perlatæ fuiſſent, non ſolum amicitiæ noſtræ, ſed & officii mei memorem me diceres. Eæ, longo poſt tempore quam datæ fuerant, ab amico huc remiſſæ ſunt. vt teſtibus diligentiæ meæ caruerim, & neque eæ ad te peruenire potuerint, neque mihi vlla via poſtea eaſdem & plures ad vos mittendi patuerit. Nuper vero alias à te accepi, quæ vni de domeſticis noſtris neſcio à quo ſunt traditæ. Adhibueram forte eo die aliquot amicos ad prandium, qui tam mihi digni viſi ſunt, quibus eas communicarem, quam illæ meruerunt, vt à talibus legerentur. Tanta enim earũ fuit opportunitas, vt in ipſo articulo, quaſi

ex

ex conſtituto, viderentur redditæ. Nam dum prandium expectatur, ſermo inter nos de eadem re natus erat de qua tu in illis agis. Diceres condictum illis diem fuiſſe, vt eo tempore nobis redderentur quo ſermonem noſtrum exciperent. Sed plus in illo erat, quam in tuis litteris. Eæ enim de porco Riccobono tantum loquuntur. nos vero de aliis Furiis agebamus, qui conuocatis opibus & auxiliis ſuis in id coniurarunt, vt Inſititios Scaligeros nos probent. Ego ne nomen quidem Riccoboni audieram, priuſquam ii, qui hominem Patavii nouerant, & adhuc hic viuunt, quid hominis eſſet indicarunt nobis. Quum enim quendam, imperitum, porcum, & aliud præterea, quod dicere nolo, vocarent, & librum eius neſcio quē de Gymnaſio Patauino multo riſu & cachinno proſequerentur, tunc primum à me rogati nomen hominis prodiderunt. Eodem fere tempore alii, qui recenter ex Italia venerant, & hominem iiſdem virtutibus atque eodem nomine exornabant, eum iniquo pati animo nobis referebant, aliquos extare qui Scaligeros ſeſe profiteri auderent. quaſi hoc illius non minus intereſſet, quam eorum, in quorum gratiam nullos Scaligeros ſupereſſe hodie mentiebatur. Accidit die quadam, vt Melchior Guilandinus, nebulo barbarus, apud Porcū quereretur, ſe à me in Feſto meo perſtrictū eſſe: & preterea, aliquid nos in eius librum de Papyro conſcripſiſſe. Id ille tanta acerbitate ferebat, vt non aliter conquieſcere velle videretur, niſi dolorem ſuum vlciſceretur. & vero totus in eo erat, vt aliquam eius iniret rationem. Non potuit oportuniore tempore, neque apud commodiorem hominem hanc querelam deferre. Porcus, diutius hominem hærere non paſſus, illico promi Lilii Gyraldi de Poetis recentioribus libellum iuſſit. Ibi extat Iulius Cæſar Scaliger, qui antea

Burdo-

Burdonius cognominatus eſt. Rem factam habuit. Qui Burdonius eſt, ergo non eſt Scaliger. Abſque illo libello Gyraldi fuiſſet, illicet Burdoniorum memoria perierat. Sed non ſatis eſt argumentum à Poëta excogitari, niſi in mimum conferatur; neque fabulam componi, niſi producatur in ſcenam. Codicillos Academiæ Patauinæ commenti ſunt, quibus Iulius Cæſar Burdonius, Benedicti Burdonii Veronenſis filius, in Doctorum Medicinæ promouetur. Ecce ex Metamorphoſeon libris Scaliger in Burdonium, vt Æſacus in Mergum mutatus. Quod ſi acuti homines Iulio Cęſari Scaligero cognomen à Burden, non Burdonio fuiſſe, & apud Liliũ Burdonium perperam, vt olim monuimus, pro Burdenio excusũ eſſe ſciuiſſent; ii aut aliud impudentius mẽdacium excogitaſſent, aut ab amenti incepto deſtitiſſent, quod quid mentiri poſſent, non haberent. Sed hæc fraus prius à nequiſſimis bipedibus illis inſtructa fuit, quam ego Epiſtolã de gente noſtra publicarem: ad cuius calcem quum illa Lilii Gyraldi verba adduceremus, lectorem de mendo, quod in nomine Burdonii eſt, monuimus. Burden eſt in Carnia, cuius loci Dominus fuit Bonifacius Scaliger, aui mei Benedicti frater, qui vnicum hæredẽ Michaëlem dominum à Burden reliquit. Quia vero Iuliũ fratris filium Bonifacius à Burden vocabat, atque ita vocari voluit, ex eo cognomen illud nunquam Iulius amiſit, ideoque in Germania Iulius à Burden, in Italia Iulius Tonſus à Burden, dictus fuit. Ingenioſos vero & aſtutos homines, qui aliud commiſci non potuerunt, quò ſpecioſius mentirentur! Mimum & ſcenam aſinini argumenti habes. Si Iulius genus ſuum ementiri volebat, cur non potius ex remotiſſima & minus cognita regione nobilitatem ſuam repetiuit, quam ex Italia Europæ oculo; ex illo præſertim Italiæ tractu, in quo nihil tam abditum eſſe poteſt, quod

non

non ſe ſplendore ſuo prodat? Tum, cur in eos inſerere genus ſuum voluit, qui ante annos ducentos imperio exuti, nihil præter miſerum viciſſitudinis rerum humanarum ſpectaculum oſtendunt? qui apud exteros Principes ordines ducendo bene ſecum agi putabant, ſi in paupertate honeſta nobilitatem tueri poſſent. Vnde illi mater Berenica Ludronia, magni Paridis filia? Adeo impudens fuit, vt in tam illuſtris familiæ adfinitatem obrepere veritus non ſit? quæ quum maxime tum floreret, inſititio illi Scaligero pudorem imponere poterat. Cur nominis Scaligeri hoſtes, non Ludronum, quod in finibus Italiæ eſt, ſe contulerunt? cur non cui Berenica Ludronia nupta fuerit, ex ipſis, vnde verum ſciri poterat, quæſiuerunt? Nos ipſius Berenicæ Ludroniæ horas matutinas vidimus, primum opus quod typographia naſcente prodiit. Eæ in membranis, non ſingulis literis iunctis, vt fit hodie, excuſæ, ſed in ſingulis paginis buxeis, iiſdem ductibus, & connexionibus, quibus properantes ſolemus ſcribere, exſculptæ fuerant, ita vt qui propius aciem oculorum non admouiſſet, vix, excuſæne an ſcriptæ eſſent litteræ, dignoſceret. Omnino eſſe manum hominis Germani putares. Eas horas matutinas plurimi faciebat pater meus, tum propter matrem, tum etiam quod ille primus Typographiæ fœtus eſſet. Operculum earum ligneum ſerico velatum erat, vmbilicis & cornibus argenteis deauratis inſtructum. In interiore ſuperficie cauum profundum rotundũ, cum imagine crucifixi argentea, Mariæ virginis & Iohãnnis Euangeliſtæ, erat. Subter manu fœminina Italico idiomate, *Berenica di Ludrone della Scala*, Berenica Ludronia Scaligera: & neſcio quid præterea Germanice perſcriptum erat. Admodum enim pueri, antequam canis leporaria librũ diſcerpſiſſet, eum vidimus. Hæc ita ſunt, vt ſcribimus. Onufrius

Panui-

Panuinius in Palatio Illuſtris viri Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis coram Mureto genus noſtrum ab vltimo Principe Guilielmo ad Patrem meum deduxit; neque Ludroniam matrem Iulii Cæſaris omiſit. Qui & decem libros ſe de rebus Veronenſium ſcripſiſſe mihi dixit, quorum vltimi duo ad genus noſtrum pertinebant, & in Iulio Cæſare Scaligero deſinebant. Quos libros periiſſe non puto, ſed quo minus edantur, in cauſa eſſe eos, ſine quorum offenſione ita, vt ab auctore relicti ſunt, edi non poſſunt. Vtinam Muretus viueret; qui nihil libentius quam laudes Patris mei audiebat: non alium teſtem eorum, quæ ab Onufrio tunc dicta ſunt, citarem. Sed ſi Iulius Cæſar iſte, non erat Scaliger, cur immiſſi percuſſores, qui inuſitata perfidia gentiles eius trucidarent? Cur Patruelem eius Franciſcum, cognomento Ruſſinum, per ſicarium Iulium Vincium Martoloſſum cum vxore & liberis Mantuæ interfici curarunt? Cur qui Iulium ipſum in Aquitania domi ſuæ opprimerent delegarunt? quod ne accideret, prouidentia integerrimi & nobiliſſimi viri Domini Iani Fregoſii Epiſcopi Aginnenſis, cauit. Quid Patrem memoro, & non potius de me loquor? cui Mocenigus, Reipublicæ ſuæ legatus, Luteciæ per Martoloſſos alios vitam eripere voluit? Cuius nefariũ conſilium niſi à Gallis, qui Mocenigo familiariter vtebãtur, Senatori cuidam Pariſienſi proditum fuiſſet, qui mihi palam fecit, nunquam peſtem deſtinatam effugere potuiſſem; eo tempore præſertim, quo Itali per vniuerſam Galliam tanta cædium impunitate graſſabantur, vt Regem offendere minus periculoſum eſſet quam Italo inimico occurrere. Denique, quemadmodũ Athenis, qui ἀνίδην mactabantur, ἐπιτήδειοι dicebantur, ita qui interfici potuerunt, Scaligeri fuerunt; qui non potuerunt, ſunt Burdonii. Ita porco Riccobono, & Semimoſchoni-

tæ Gui-

tæ Guilandino placuit: quorum lege curiata à patritiis ad plebem nobis tranſeundum eſt. Adde Furiam illam cuius liber de Hypobolymæo Scaligero Moguntiaci excuditur. Cuius improbitatis cauſam ſi quis quærat, non aliam, præter apertam obtrectationem, & morbum animi ex aliena laude ægri, reperiet. Nam quid ego in me admiſi, cur cum gente Scaligera vapularem? Litteræ quid aliud ſunt hodie quam latrocinium publico aſſenſu conceſſum? Quid illæ præter inuidiam pariunt? quam non poſſunt declinare, niſi qui non ſcribunt. Iulius Cæſar Scaliger à Burden, poſtquam diuina oratione laudes Germaniæ poſteritati commendauit, amoris ſui erga illam gentem hoc precium tulit, vt in Germaniæ typographeis tanto flagitio ad nebulonum libidinem nomen eius & omnis gens Scaligera traduceretur? Quam orationem ſi reuocare poſſem, montes auri mereri nollem. Nam Germania veſtra, non eſt ea quam ille vidit & deſcribit. Sed in fatis erat, eam, vt reliquas Europæ partes, contagione peſtis Loioliticæ contaminari. Hinc piacularis ille ὁ θεοκατάρατος ἀποστάτης, magis idoneos homines, quorum typographeo ſacrum & horribilem fœtum ſuum ſubiiceret, reperire non potuit. Ipſi vero Alaſtores obſcœnum & Sodomiticum Amphiteatrum ſuum Antuerpiæ recudunt, duplo amplius quam antea; omni genere contumeliarum in me & Patrē meum refertiſſimum: quem ex eo, quod Scoto operam dederat, Franciſcanum fuiſſe ex conſequētiis acutiſſimi homines cōcludūt. Quaſi omnes, qui Scotū intelligunt, Franciſcanos eſſe oporteat. qui poſtquam Reges interficere curarunt, nunc id conantur, vt illuſtres ad plebeitatem redigant. Ego, mi Caſeli, niſi eiuſmodi monſtra contempſero, videbor eorum rationem habere. quos à me vnice contemni, vt boni malique ſciant, plurimum mea referre arbitror. Atque vtinam

nam eorum obtrectatione vere dignus ſim, vt homines nihil mihi obicere poſſint, quam ita me vixiſſe, vt improborũ odia vitare non potuerim. Quod vero pro noſtra amicitia vicem noſtram doles, ego ita interpretor, miſerum me tibi videri, ſi aliquẽ ſenſum harum contumeliarum ad me perueniſſe putas, & propterea conſolatione me indigere. Sed quũ intellexeris me facile illos contemnere, qui neque Dei metu, neque hominum reuerentia tanguntur, tunc me laude potius quam miſericordia dignum iudicato. His diebus præteritis, dum aliquot ſchedia mea euoluo, forte in eam epiſtolam incidi, quam ad te anno ſuperiore, ſi bene memini, ſcribebam, & ad me amicus vtriuſque noſtrum communis remiſerat. Accipe igitur veterem nouam epiſtolam. Quid in ea ſcripſerim, haud temere dixerim. Memini tamen ſub initium veſtri belli ſcriptam. De verſiculis tuis gratiam habeo. Vale. Lugduni Batauorum. xv. Cal. Septembr. Iuliani cIↄ Iↄ c vii.

EPISTOLA CCLXXIV.

MARTINO LYDIO S. Negotium illud, de quo ad te mea cauſa Iohannes filius tuus, mi Lydi, ſcripſerat, tanti quidem erat, vt eius curam, propter magiſtratum Rupellẽſem, qui rem ſedulo mihi commendauerat, recipere non dubitauerim. Sed tamen tanti non eſſe putabam, vt eo nomine te interpellare auderem. Itaque ſatis curatum fore putaui, quod in ſinum optimi adoleſcentis filii tui deponerem. Qui nõ ſolum, quia rem ſuſcipere auſus eſt, me ſibi plurimum deuinxit, ſed & maiore beneficio affecit, quod & communicauit tibi, & vt aliquid mea cauſa faceres, à te impetrauit. Duplici igitur nomine obſtrictus, quo me vertã, vt ambobus gratiam referam, non video: tanta me inceſſit &

bene-

beneficii accepti conſcientia, & compenſandi deſperatio. Vnicum perfugium eſt, quo me ſuſtentabo; animus gratus, quo à nemine me vinci vnquam patiar, quodque bonitati tuæ & vnico quo me proſequeris amori obiiciam. Reliquum eſt, vt te orem, quandoquidem ſponte te noſtris curis obtuliſti, vt ſi quis iis præditus virtutibus, quales optime à nobis ſcis exig, occurrat, quem Rupellam mittere poſſumus, de eo nobis ſignifices. Nam nunc, vt anni tempus eſt, & maria clauſa ſunt, & alteras à Decurionibus Rupellenſibus expectamus literas, vt ſciamus, an aliunde quam à nobis talem virum exſpectare poſſint. Nam, mi Lydi, tanta hodie in Gallia bonarum literarum cum pietate coniunctarum penuria eſt, vt qui colonias eiuſcemodi virorum alio mittere ſolebamus, ipſi vltro literas ab exteris nationibus emendicare cogamur. Vbi primum alteris literis de eadem re magiſtratus nos conuenerit, id ſignificabo tibi. Interea vale, mi Lydi, & nos ama. XII. kalend. Ianuarii Iuliani CIↃ IↃ XCIX. Lugduni Batauorum.

EPISTOLA CCLXXV.

MARTINO LYDIO. Iucundiſſimæ mihi literæ tuæ, tam tuo quam qui detulit, filii tui nomine fuerunt. quem nunquam video (video autem ſæpe) quin illi omnem meam operam vltro deferam, & omni beneuolentia complectar. Atque vtinam quæ vel tu iure amicitiæ à me exigere potes, vel ego tua cauſa vellem, tam in noſtra poteſtate eſſent, quam ipſe animus eſt, quem nunquam tam poſſidere mihi videor, quam quum illum in amicos totum effundo: cuius me nunquam parcum eſſe ſentiunt, qui à me exigunt quod præſtare vel poſſum, vel debeo. Nam de Notis in No-

uum Teſtamentum quod vt à me edantur petis, prius illud videndum eſſet, an præſtare id poſſim. deinde illud difficilius occurrit, an debeam. Alterum non eſt ingenioli noſtri: alterum iſti ſæculo non conuenit: in quo plures quotidie oriuntur, qui docere quam qui diſcere malunt. Taceo eorum, qui literas tractant, procaciam: qui nullum aliud quam maledicendi argumentum norunt. Quamuis autem animus excelſus contemnere hæc debet; tamen extra culpam non eſt, qui literas rerum diuinarum miniſtras, improborum maledicentiæ obiicit, quum modeſto ſilentio ab hoc periculo tutas præſtare illas poſſit. Ego, mi Lydi, ſacra illa tangere non audeo, ne traducere ea videar, ſi plus aut minus dixiſſe videar. Nam in vtram partem peccem, ſatis habebunt veritatis hoſtes, quo eorum prouocetur proteruia. Itaque à tam periculoſa alea nos continemus, qui ne in ludicris quidem illarum Tartarearum animarum virulentiam effugere potuimus. Lipſius vero noſter, vt meliore ingenio, ita fato ſtudia ſua colit: &, vt ſpero, breui totum Senecam luculento Commentario exornatum dabit. Quid enim niſi luculentum ab eo exſpectare debemus? Neque dubito, quin locum illum, quem ex XXXVI. epiſtola producis, ad deliram Pythagoreorum opinionem relaturus ſit, qui ſcientiam, reminiſcentiam, & ignorantiam, obliuionem eſſe dicebant. Sæpius enim nos vixiſſe, & ſæpius victuros, & quod diſcimus, ſciuiſſe, ſed vt per obliuionem ea amiſſa ignorare, ita per reminiſcentiam ex fuga retracta diſcere. Denique illorum & Platonicorum eſt, πᾶσα ἐπιστήμη, ἀνάμνησις· πᾶσα ἄγνοια, λήθη. Agnoſcis illa: NISI OBLITOS REDVCERET. Venio ad alteram epiſtolæ tuæ partem; de lingua Arabica· cuius apparatus quidem ſatis locuples à probiſſimo eruditiſſimoque viro relictus eſt. Sed haud ſcio, an ita exaſciatum opus reliquerit, vt ſummam manum non requirat.

quirat.

quirat. Lexicon ab eo conſtructum eſt; opulentum quidem, ſed quod à noſtro & copia, & ordine, & perſpicuitate longe ſuperetur: quamuis biennium integrum noſtro ille vſus ſit, totidemque verbis, quibus nos Arabicas explicamus voces, ille explicatas dederit. Verum, vt dixi, noſtrum multis partibus, ni fallor, melius eſt. In quo pluſquam vigintiduo verborum millia: ex quibus thematum, quas radices vocant, pluſquam quatuordecim millia. Hunc Theſaurum ex omnibus, quos multos habemus, Arabicis auctoribus collegimus. Et tamen cum hac copia quam inopes ſimus, nos non fugit. Neque enim propterea vllam abſolutam eius linguæ ſcientiam promittere audemus, qui tot auctores triuimus, tot millia verborum congeſſimus. Multi enim hodie ſunt ſcioli, qui ex vna Pauli Epiſtola, aut vno Euangelio, peritiſſimos ſe Arabiſmi iactant, vt ipſos quoque Arabas docere velint. Neque tamen negare poſſumus, quin maiorem eius linguæ cognitionem, quam Latinus vllus homo vt Orientales nos vocant, adepti ſimus. Alioqui ſtipitem me eſſe oportet, ſi qui tot millia verborum teneam, nullam eius linguæ peritiam haberem. Neque vlli id perſuadere poſſem, quin εἴρων aut σκωπτόλης habear. Sed de his meliore otio fuſius. Ego interea non ceſſo. mihi tamen non ſatisfacio. & quomodo alii ſatisfacere me poſtulem? De lingua Vandalica quod adiecisti, an ingentia Eliæ Hutteri Biblia vidiſti? Ego quidem non vidi. Ibi, niſi fallor, quod quæris reperies. Mihi nondum tam felici eſſe contigit, vt illa viderem. Vale, mi Lydi. IV. Eidus Nouembris Iuliani. Anno Christi Dionyſi . . . no . . . clo

Ioc. Sibrandum collegam tuum, virum eruditiſſimum, niſi graue eſt, à me ſaluta.

EPISTOLA CCLXXVI.

DANIELI HEINSIO *ſuo, admodum adoleſcenti.*

Nunc accepi tuas literas, mi Daniel, & in ipſo articulo ad eas reſpondi. Quibus ſcito nihil mihi gratius accidere potuiſſe: quod te memorem & noſtri & ſtudiorum noſtrorum eſſe video. quorum altero amicitiæ te noſtræ rationem habere; altero Bibliothecæ noſtræ penuriam explere te ſignificas. Itaque ſi Indicem librorum Nanſii haberem, facilius quos ex auctione illa mihi comparares indicare tibi poſſem. Quod quia fruſtra opto, quum ignorem libros, melius indicare tibi poſſum, aut fortaſſe melius tu, quinam mihi vſui futuri ſint, diuinaueris, qui nullos fere reliquos ex funere Bibliothecæ meæ habeo. Paucos tamen annotaui. De traiectione verſiculi, puto te rem tetigiſſe. Non dubito in loco Nonni lib. XLIII.

Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος. ἐχεκτεάνων ἢ μετάλλων
Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων,

Ἴβηρ eſſe Teutonicum *Iuer*, aut *Eiuer*, Germanicum, prorſus *βεκκεσέληνικόν*. qualia multa *κορυβαντικὰ* fanatici illius ſcriptoris. Quis ignorat, Κέλτας, Ἴβηρας, pro tota Occidentali ac Septentrionali Europæ plaga à veteribus illis vſurpari? Certe Ariſtoteles, Eratoſthenes, alii, Κελτῶν nomine Sarmatiam, totam Germaniam, Italiam, Iberiam, ſiue Hiſpaniam ipſam, comprehendunt, quibus Rhodanus & Padus idem viſus eſt. Nam Ῥοδανὸς ille apud inferos in Odyſſea, nihil aliud quam partium Occidentalium fluuius. in quibus partibus, ipſos inferos Homerus locat. Et quem Ῥοδανὸν vocabant quidam, eum Ἠριδανὸν, totidem fere literis, vocarunt alii. Neque aliud diſcrimen Padi & Rhodani tam longe diſſitorum quæſiuerunt. Quare in Ῥῆνος Ἴβηρ argutari, & de tam longinquis locis fidem à Nonno exigere,

quem

quem in Palæſtinæ tractibus in Euangelica Paraphraſi aliquando fugit ratio, inſcitia eſt. Sed λαλίστερος λέληθα γεγονώς. *Singula dum veri circumuectamur amore.* Vale, mi Daniel, & nos ama. Kalend. Auguſti Iuliani cIↃ IↃC XCIX. Scito, me olim τῷ δεῖνι, qui maximus librorum fucus fuit, Plotii Marii Sacerdotis Opus de Metris, cum Græcis, manu Cuiacii deſcriptum commodaſſe. Quod Opus poſtea ſe habere inficiatus eſt filius. Longum eſſet, mimum referre. Coram hæc melius. Ita mihi male gratia pro benefactis quotidie refertur. Iterum vale.

EPISTOLA CCLXXVII.

DANIELI HEINSIO S. *admodum adoleſcent.*

Diuturnæ abſentiæ tuæ cauſſam nullam ſuſpicabar aliam quam voluptatem nunquam ad nos reuertendi. Et quidem multas illi ſonticæ prætulerim, quæ te vel grabato affixit, vel domi in moleſto detinet otio. Atque vtinam quæuis eſſet alia præter illam quam in litteris allegas. Sed Deus, mi Daniel μόνος τῶν ψυχῶν ἰατρὸς τὸ σῶμα οὕτω τήκεσθαι οὐ περιόψεται. Si quid apud illum & vota & preces meæ valuerint, omnis tibi in integrum reſtituetur valetudo. Sed vide, ne tua cauſſa morbus ingraueſcat: ſi forte ἀτροφίᾳ corpuſculum emaciatum tu inſuper immoderatis maceras vigiliis. Quæ enim in epiſtola tua notas, tam nimiorum ſtudiorum tuorum quam præclari ingenii ſunt argumenta. Quæ ita animum meum expleuerunt, vt mirifica mihi omnia de te promittam, ſi vita ſuppetat. Egregia περὶ ἀοιδοῦ & ὑγχου in Heſychio, & nihil verius. Neque aliter de Nonni loco lib. XLVI: Præferoque coniecturæ meæ,

——τὸν Ἁρμονίη σέο μητρὶ
Παιδοκόμῳ κούφιζε γεγηθότι Κάδμος ἀγοστῷ.

Porrigebat matri Harmenia ad ſugendum mammam.

Sed tua coniectura, vt ſimplicior, ita melior & verior. Si adeſſes, poſſem tibi oſtendere immanes traiectiones verſuum in illo Poeta commiſſas. Prærerea vitia & ἀκυρολογίαν eius ſcriptoris, quatenus legendus & quantum amplectendus, oſtenderem. Immane volumen cenſoriarum notarum ſurgeret. Iuui tamen illum infinitis locis, quia etſi non eſt imitandus, legendus tamen eſt. Anacreontica tua Græca indicant quantus in hoc genere futurus ſis. Certe nihil in illis verſiculis tuis vidi, quod non & laudabile, & generoſæ camœnæ auram non ſpiret. Laudo itaque, & non ſolum nos amare, ſed & crebrius talibus munuſculis donare pergas. quod quidem commodo ſalutis tuæ fiat, cuius præcipue te curam habere volo. Vale. Lugduni Batauor. VIII. Calend. Maii Iuliani CIↃ IↃC.

EPISTOLA CCLXXVIII.

BALTHASARI LYDIO, S. Accepi Bernardum, mi Balthaſar: eoque nomine maximas gratias ago. De morte Patris tui ægre mihi eſt, tam ipſius quam tua cauſa. Nam vt te patris cariſſimi, ita me amici optimi vicem dolere par eſt. Facis tamen & Chriſtiane, quod patienter hanc iacturam fers: & prudenter, quod nullam in cogitationes tuas animi perturbationem adhibes. Animis enim ad omnem paratis euentum nihil noui accidere poteſt. Eia, mi Lydi, excipere omnes caſuum aſſultus aude, qui tamen nunquam tam acerbi eſſe poſſunt, vt cum hac vna quam feciſti, iactura comparari poſſint. Quod ſi hanc æquo animo fers, & illos patienter tolerabis. Sed hæc ſatis tibi. Oro te, ſi fieri poteſt, vt tomum primum Annalium Friſicorum, à docto illo Scholæ Rectore edito-

editorum, mihi cures. Nam ſecundum & tertium tantum in hac vrbe reperio. Nihil gratius mihi facere potes. Vale Lugd. Batauor. XI. Calend. Septembris Iuliani cIↃ IↃC I.

EPISTOLA CCLXXIX.

BALTHASARI LYDIO. Si tu gaudes, & ego tecum gaudeo. Erit mihi tecum hæc congratulatio κοινὴ, vt πάντα τὰ τῶν φίλων. Tibi enim contigit, quod paucis, vt bonam, bonis prognatam, diuitem formoſam ſis nactus. Quare vnum te beatiorum, iure potes dicere. De inuitatione gratiam habeo. Occupatiſſimus enim nunc ſum, vt vix neceſſitatibus priuatis operam dare poſſim. Quare excuſabis, non animum, (præſto enim eſt) ſed negotia, & occupationes meas, quæ me mei iuris eſſe non ſinunt. Interea vale, & nos ama. Lugd. Batauor. IV. Eid. April. cIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCLXXX.

IOHANNI LYDIO *ſuo S.* Lexicon vna cum tuis literis accepi: quibus ſtatim reſpondeo. Aio igitur, mi Lydi, mihi plane conſtare de eo, quod ſuſpicabar, Lexicon illud Latino-græcum recens opus eſſe, non vetus. Ita eſſe, vt putaui, comperior. Nihil enim aliud eſt, præter alterum Græco latinum inuerſum, totidem verbis. Itaque de hoc amplius ne labora. non eſt vnius aſſis. quando voles repetere, remittam; aut ei, qui illud mihi in manus tradidit, ſi ita tibi videtur, committam. Raphelengium autem aliis typographeis, quam ſuo, vti velle, noli credere. potius ille ſuum aliis mer-

caracteribus commodabit, quam vt alienis typographeis ad ſua excudenda vtatur. Præterea Euſebii Chronicon, Iohannis Commelini eſt, & iam Priuilegium Galliarum Regis eius nomine habet. Sed de illo typographo, cuius ad me ſpecimen miſiſti, poſtea videbo. Accipio conditionem. Erit fortaſſe, vbi eius opera nobis vſui ſit. Raphelengium de Scholiis Arcerii conueniam. Sed ſcis, quam à Græcis ille edendis refugiat. Non ignota cano: tu teſtis es. & tamen expiſcabor, quæ eius ſit voluntas. De obitu Vandermeulii noſtri noli dubitare, quin vulnus illud alte in animo meo hæreat. neque memini me maiori mœrore vllum funus proſecutum fuiſſe. Sed Epicedia noſtra recudere noli. Scis enim nulli magis mea diſplicere, quam mihi. Præterea ſi recudenda eſſent, emendatius hoc fieri debebat, quam hic factum eſt. Multis enim maculis fœdiſſimis typographicis oblita ſunt. Exemplar Photionis, quod vir eruditus Arcerius ex me quærit an habeam, ego quis ſit iſte auctor, nullus ſcio. Nam ne de nomine quidem mihi notus eſt. Quære iterum ex eo, quem hoc nomine intelligat. Nam potuiſti falli. Si quid eſt quod ille ex me requirat, quod quidem in mea poteſtate ſit ſine vlla mora impetrabit; vt omnia quæ penes me ſunt, ſine vlla exceptione. Tu enim teſtis es quam omnium mearum rerum liberalis ſim & largus: etiam apud quoſdam, qui alia re potius quam comitate mea digni erant. Patrem, fratrem, & D. Sibrandum à me ſaluta, cuius vtinam ruſticationem ego in meo prædio imitari poſſem. Nam valde ſollicitor à meis, vt meum ſenectutis meæ nidum reuiſam, quod tandem à me extundetur. Vale mi Lydi, & nos ama. VII. Kalend. Augusti Iuliani ↄIↄ Iↄc.

Epi-

EPISTOLA CCLXXXI.

IOHANNI LYDIO. Doluit mihi, mi Lydi, de tempeſtatibus veſtræ Friſiæ. Atque vtinam bonus exiſtat Triton, qui tranquillet eas. Nam periculoſum exitum ſpectant, niſi Deus omnia in melius. Atque vtinam! Photium tandem intellexi eſſe eum], qui Auguſtæ excuditur, & cuius iam excuſi tres quadrantes ab Hœſchelio. Vt corrigerem, accepi. Correxi, & remiſi. Proximis nundinis totum cum Indice accipiam. Tunc non meus, ſed publicus erit. Eſt ingens volumen. Nam Photionem vocari, mihi nouum erat, quum Photius vocetur. cuius & ingens Dictionarium à Thomſono accepi. & in eo ſum, vt remittam. Nam nihil eſt in eo, quod non alibi reperiam. itaque inutilis erat mihi. Scribe an recipere Lexicon tuum velis. Nam non moror. non eſt vnius aſſis. Sigma, quod quæris, aliter eſt Stibadium, vel Diſcubitorium, inſtar literæ C, quæ Græcis quoque eſt Sigma, in veteribus monimentis frequentiſſimum: pro modulo facultatum maius & minus. Nam & aliquando ſeptem, aliquando octo, aliquando amplius fiebat. Brodæus vir doctus hac in re non eſt Brodæus. Vale, mi Lydi. XIII. Calend. Septembr. Iuliani, eo ipſo die, quo tuas accepi. cIↃ IↃC.

EPISTOLA CCLXXXII.

IOHANNI LYDIO. Tuas literas mihi reddidit Heluetius ille Lauateri nepos. Sed te maturius ætore ſperabam. Nollem tamen ea properare te mercede, vt à prædonibus capiaris. Itaque tempus tibi ſpeculandum eſt, quo ab illa tempeſtate caueas, quæ tibi non à ventis, ſed à Dunkerkenſibus imminet. Si pictor ille

hic eſſet de quo ſcribis, equidem lubens ab eo pingi paterer, ſi quidem bonus ſit artifex. Deinde hunc mea ſola cauſſa huc venire nollem. non enim tanti ſum. Sed, quod dixi, ſi eum huc aut voluntas ſua, aut priuata negotia egerint, nihil eſt, quod malim, quam ab eo, & Patrem meum, & me pingi. Si tibi conſtitutum eſt cito redire, tecum adducere eum potes. Sed terreſtri itinere ad nos redi; & Neptunum iratum Dunkerkenſibus relinque. Vale, mi Lydi. Patrem tuum, eiuſque collegas Dn. Sibrandum, Druſium, Arcerium, & alios meo nomine ſaluta. Oro te, Procli in Platonem memineris. Vt & aliorum librorum, ſi quos nanciſci poteris, quos mihi deeſſe putabis. Iterum vale. xv. Calend. Maii Iuliani clↄ Iↄc l. Si totum Theodoretum Romæ impreſſum, & Oecumenium, nanciſci poteris, libens eum compararierim.

EPISTOLA CCLXXXIII.

IOHANNI LYDIO. Nunc accepi literas tuas, quibus reſpondere non diſtuli. Gratias tibi de tua in me voluntate ac ſedula opera ago, quam mihi in negotio librorum, quibus carere non poſſum, hactenus nauaſti. Opportune igitur me oppreſſerunt tuæ litteræ. Nam, vt dixi, paulo ante Lutetia Platonem cum Proclo acceperam. Itaque adhuc dico, illum Arcerii tibi retinere poteris: quem libenter mihi, abſque illo Pariſienſi fuiſſet, reſeruaſſem. De Allegoriis Heraclidæ Pontici rem gratiſſimam mihi feceris; atque vnice oro te, vt illum librum mihi cures: & ſi quos, qui in Bibliotheca mea deſiderantur, nanciſci poteris, mone, oro. non negligam reſpondere. Venio recens Haga. Faſciculum quendam domi reperi, in quo Plato ille inuolatus latebat.

Vale,

Vale, mi Lydi: & cito reſcribe. Lugduni Batauorum, III. Calend. Sextilis Iuliani cIↃ IↃC. Oblitus ſum de Bernardo. cura illum mihi. & fac vt quamprimum habeam.

EPISTOLA CCLXXXIV.

IOHANNI LYDIO. Accepi iam Platonem cum Proclo. Sed in iis quas nudius-tertius ad te dedi, ſignificaui tibi, eo ipſo die, quo tuas accepi, mihi iam aliud exemplar Luteti[illegible] miſſum. Quare illo tuo mihi opus non eſt. tu, vt dixiſti, tibi reſeruabis. Gratum tamen facies, ſi Bernardum, & Heraclidæ Pontici Allegorias, mihi, vt promiſiſti, curaueris. Vale Idib. Aug. cIↃ IↃC I. Gratiſſimum mihi fuerit, ſi Tatianum Græcum, cum Theophilo excuſum Baſileæ, aut volumen Orthodoxorum, in quo duo illi extant, parare mihi poſſis.

EPISTOLA CCLXXXV.

IOHANNI LYDIO. Vtinam per occupationes meas mihi intereſſe nuptiis tuis liceret! E[illegible] hominem plane non ſuum. Et ſolo animo contentus eſto, qui præſens ero ſemper. Poſtquam in omnibus difficultatibus, quas νεόγαμοι ſolent inuenire, [illegible] & ego hoc onere, quod Ætu a grauius [illegible] leuatus, tunc ſane ego te [illegible] uiſam. Vale. Deus tua omnia vort[illegible] Lugduni Batauor. Sabbatho [illegible] ſchat. cIↃ IↃC II.

EPISTOLA CCLXXXVI.

IOHANNI LYDIO. Gratiſſimus erit mihi liber Amana, ſi accipiam. Accipiam autem libenter, quum voles. Mitto tibi Papiam. De edendis Epiſtolis conſilium placet. Quin tibi auctor ſum, vt non ſolum maneas in propoſito, ſed etiam quamprimum verba in rem conferas. De Epiſtolis Lipſii non audeo. Nihil enim minus optat ille, quam vt illi, apud quos eſt, commercium literarum inter nos intercedere reſciſcant. Præterea, tametſi quas editurus es, non vidi, tamen certus ſum, Lipſianis & charactere & argumento diſcolores eſſe. Ex lippitudine, quod nunquam antea mihi contigit, laboro. Præterea occupatiſſimus ſum. Quum hac moleſtia defunctus fuero, quæ me tot menſes ingrata compede vinctum detinet, tunc, niſi auocationes intercedent, animi gratia, & tui viſendi, aliquot dies vigiliis meis ſuffurari potero. Valde opus eſt mihi Nicephori Patriarchæ Chronico Græco, vt cum manuſcripto conferam. Si penes te habes, oro te, illud mihi mitte: ſin minus, à quo vendendum accipere poſſim, indica. Vale XIII. Calend. Maii CIↃ IↃC II.

EPISTOLA CCLXXXVII.

IOHANNI LYDIO. Omnino interpretationem tuam laudarem, ſi Deus vel Chriſtus vocaretur ἄρχων κόσμου. Atqui ita Diabolus ſemper vocatur. Quare non video cur ſimplex & ab omnibus recepta expoſitio reiicienda ſit. Librum Amana accepiſſe me, ſignificaſſe, tibique gratias egiſſe me ea epiſtola memini, quam video te non accepiſſe. Atque iterum tibi gratias ago. Neque immemor & illius beneficii ero, & tui ſemper erga me propenſi ſtudii. Vale IV. Non. Maij CIↃ IↃC II.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXVIII.

IOHANNI LYDIO. Deum immortalem, quanto gaudio me literæ tuæ affecerunt! Silentium tuum mirabar: cauſſam ſuſpicabar, quam nimis veram ex literis tuis cognoui. Valetudo enim tua, cui timebam, præſertim in hac morborum & febrium cohorte, tibi facultatem, non animum ſcribendi ad me eripuit. Sed bene, quod & tuo magno bono, & non mediocri amicorum tuorum, præſertim meo gaudio, ereptus es: neque Deus Opt. Max. voluit, vt iacturam tantam faceremus. De filiolo, vicem potius tuam, quam illius doleo. Ille iam poſſidet gaudia, quæ nos ſperamus. Atque ideo tanto ille felicior te, quanto beatius eſt frui præſentibus quam futura ſperare. Ac non ſolum alio, qui huius defectum ſuppleat, munerabitur te Deus, ſed & plurium te patrem facere poteſt, vt ex illa copia inopiam hanc præſentem ſolari poſſis. Simul ac tuas accepi, ſtatim calamo arrepto reſpondi. Vale, mi Lydi, & nos ama. Lugduni Batauorum. Calend. Martii cIɔ Iɔc III.

EPISTOLA CCLXXXIX.

IOHANNI LYDIO. Literas tuas ita libenter legi, vt amicos ex longo itinere reduces amplecti ſolemus. Nam diuturnum tuum ſilentium instar peregrinationis cuiuſdam longinquæ mihi fuit. Neuter tamen noſtrum alterius oblitus eſt in hac literarum intermiſſione, per quam nulla vis facta amicitiæ. Doleo illam ſupellectilem Arcerii librariam me neſciente diſtractam, atque adeo me, priuſquam auctio fieret, eius ab amicis (etſi ſub manum factæ) admonitum non fuiſſe. Sed

quia

quia ſpes aliqua affulget ex profectione Vltraiectina, quam paras, fore vt tibi cuiuſdam opulentæ Bibliothecæ copia fiat, rem gratiſſimam mihi feceris, ſi Θεοδωρήτου quæ excuſa ſunt Romæ in quartò anno M D XLVIII. nanciſci poſſis. In quo volumine διάλογοι τρεῖς ſunt. Vt & περὶ αἱρέσεων. Dialogos quidem ex editione Germanica habeo: ſed Romano illo exemplari opus mihi eſſet; & Decreto Burchardi, & Lucifero, vno ex Patribus antiquis. Rem ſtatim nautæ ſoluam qui deferet. Oro te inprimis, ne inquirere pigeat. Prætereà librum Epiſtolarum Iapponicarum Ieſuiticarum, primum Neapoli, deinde Coloniæ ante annos plus minus XVI. excuſum, nanciſci non poſſum. in quorum fine eſt decretum Regis Iapponici, characteribus & lingua Iapponenſi. Non poſſum tibi dicere quantum gratiæ à me initurus ſis, quamque magno beneficio me obſtringes, ſi per te horum librorum mihi copia fiat. Præterea, ſi quid in illis Bibliothecis videbis, quod penes me non eſſe exiſtimas, & ſpes tibi fiat poſſe precio parari, oro te, neque operæ tuæ, neque ſacculo meo parcas. Nam quantum diligentiæ tu in inquirendo, tantum fidei ego in ſoluendo præſtabo. Meus Euſebius excuditur. ſed longinqua eſt via. Nam & lente proceditur, & longum opus eſt. Alcoranum Arabice habeo, quem ſcio te non optare. Vale. Lugduni Batauor. v. Calend. Decemb. cIↃ IↃC IV.

EPISTOLA CCXC.

IOHANNI LYDIO. Non nunc primum obligaſti me, optime amicorum; ſed &, ſi quando olim, nunc vero me in tuo ære habes. Ita ſincerum in me amorem tuum ex poſtremis tuis intellexi. Quare de illo exemplari Theo-

ri Theodoreti Romæ excuſo beaſti me. Scito autem, duo exigua Theodoreti volumina Romæ excuſa. Alterum in octauo, quod decem λόγυς περὶ προνοίας habet. Illud non deſidero. Alterum in quarto eſt editum: in quo tres Dialogi καὶ περὶ αἱρέσεων. Illud mihi perneceſſarium eſt; & ſi qua illud mihi ab illo Dordracenſi parare potes, ego ſtatim nummos refundam. Itaque oro te, vt illud tua opera mihi poſſidere liceat. Volumina, ſiue Epiſtolarum Ieſuiticarum tomos, Louanii excuſos, hactenus neſciui. De illis diligentius anquiram, & an mihi vſui futuri ſint, priuſquam illos mihi paro, videro. Ego, mi Lydi, adhuc pauper librorum ſum. quorum penuria ſæpe manum à bonis lucubrationibus abſtineo. Ab amicis vero vtendos petere, quum meo ære comparare poſſum, neque ciuile eſſe puto, neque ſane mihi expedit. Si Biblia Aldina haberem, diutius non paterer te deſiderium eorum ferre. ſed eſt rariſſimus liber. Strabonem Caſauboni nullo negotio reperies, quæ eſt omnium optima editio. Iterum tibi de Theodoreto, Decreto Burchardi, & Lucifero, aurem vellere non dubito. Ego mihi illam ὑπερμεγέθη Bibliothecam Patrum, Pariſiis ante paucos annos editam, comparaſſem: verum tot tantiſque quiſquiliis ſcatet, tot ineptorum auctorum impenſa farcta eſt, vt illa deformitas, me ab ea auerterit. Itaque ſelectos Patres ſeorſim excuſos malo mihi conquirere, quam cum illis σκύβαλα conuertere. Superiore menſe Sixtus Arcerius, medicus, Theodori F. de edendis Iamblichi libris, quorum Pater editionem adornabat, ad me ſcripſit; eoſque mihi ante triennium communicauerat. Ego illum vltro currentem adhortatus ſum. An facturus ſit, neſcio. certe & omnibus ſtudioſis, & mihi inprimis, rem grattiſſimam faciet. Cupio ſcire ex te, an vnquam Walafridum Strabonem, & Amalarium de diuinis Officiis videris. Illi opus quoque

mihi

mihi ſunt. Quoſcunque, mi Lydi, meo nomine parauēris, ſine mora eorum precium nautæ numerabo. Vale. Lugduni Batauor. III. Non. Decembr. CIƆ IƆC IV.

EPISTOLA CCXCI.

IOHANNI DRVSIO, S. Citius tuis reſpondere non potui: multa enim interuenerunt mihi, quibus præuertere oportuit. Sed tamen non putabis ſerò factum, quod per negotia maturius fieri non potuit. Tuos libros, quos iamdudum miſiſti mihi, ita probo, vt Germanos priorum, quos in Gallia legere memini, exiſtimem. Neque enim hos non laudare poſſum, qui illorum lectione captus ſum. Vellem plures ederes, non ſolum vt eundem nos percipiamus fructum, quem ex aliis percepimus; ſed & vt iſtis Alaſtoribus, qui tam liberali ſtudio obtrectantur, os occludas. Neque eſt, quod hos nauci facias. Nobiſcum bene agitur, ſi ita illos contemnamus, vt quotidie talia aut ſcribamus, aut legamus, quibus meliores ipſis euadamus, & quibus ipſis oculi doleant. Quare enim vituperant, niſi quia non intelligunt? Dolerem, ſi laudarent. Similes enim nos eis eſſe oporteret. Quod autem, me talia præſtare poſſe ſperas, ego, mi Druſi, ita mearum virium conſcius mihi ſum, vt hæc a te, & ab aliis, qui meliore ingenio ſunt, quam à me, edi patiar. Nimis enim multa edidimus, qui tamen nihil præſtitimus. Nam parum ea ſunt vtilitati publicæ; nimis obtrectationi nominis noſtri. Sulpitii Seueri elegantiſſimum Chronicon à vobis edi, Reipublicæ litterariæ gratulor: quem auctorem tunc magis amare cœpimus, quum nobiſcum de initio Darii Nothi ſentire perſpeximus. Librum Ieſu Sirach, ab ipſo Ieſu Græce editum, & de Hebraiſmo conuerſum,

ſum, non alii, quam ipſimet auctori credimus, qui hoc conſulto in procemio profitetur. Quod ſi Hieronymus Hebraice vidit, ex illo in Hebraicum conuerſum fuiſſe, cui magis rurſus, quam ipſi credidero? Canonem Hippolyti Epiſcopi tibi mitto; rem veterem nouam. Tu, nigra ue eſt, vt veterem, propter Hippolytum; vt nouam propter me leges. Vale, Kal. Octobr.

EPISTOLA CCXCII.

IOHANNI DRVSIO. Gratum eſt te non grauatum laborem de priore Machabæorum; gratius, quod precibus noſtris, vel potius amicitiæ noſtræ id dederis; cui non tantum, ſed & poſteritati dediſti, cuius maxime & inprimis ratio habenda. Si quid habes in poſteriorem librum, quamquam & ſequioris ſcriptoris, & poſterioris notæ, optime ambo illi libri cum tuis Scholiis prodibũt: ne quis fucus ambos poſtea edat ſi tu vnum tantum edideris, & hunc fructum Typographo præripiat. Raphelengii edituros ſe promittunt; quamquam operis deſtituuntur. Et ſi non tam cito, certo aliquando facient; & ego vna ἐργοδιώκτης ero. Quod in priore epiſtola de quibuſdam etymologiis ἐξονυχίζεις καὶ λεπτολογεῖς, ea nõ ſunt tanti. Nam eodem iure, quo tu nobis moues controuerſiam, & nos viciſſim tibi regeremus. Non ſunt digna, quorum habeatur ratio. Satis eſt chronologiam nos & hiſtoriam à tyrannide ſciolorum, à ſtupore Iudæorum Magiſtrorum, ab inſcitia deniq; huius & priorum ſæculorum, à liuore æmulorum ac Simiolorum vindicaſſe. Nõ curamus quicquid hoc examen muſcarum excitaturum eſt. Candidos homines, & eruditos, vt te alioſq; aliquos apprime nouimus, amamus, colimus, quibus quot noſtra, non portentis generis humani, lucubramus. Vale, mi Druſi, & nos ama. Lugduni Batauorum, VII. Kalend. Maias Iulianas cIↄ Iↄ XCVIII.

EPISTOLA CCXCIII.

IANO DRVSIO. Non poſſum diſſimulare, mi Druſi, dolorem, quem ex morte Philippi Ferdinandi ex Iudæo Chriſtiani capio: qui neque pro ætate mature, neque pro ſtudiis meis oportune nos dereliquit. Iam multa in Talmud magno cum fructu, neque minore voluptate, vna legeramus. Ex quo ille in morbum incidit, nihil Hebraicarum literarum attigi. vt ipſi mihi Hebraiſmus lugere videatur. Talmudica, vt eſt mos & inſtitutum Iudaicum, ſine ullis præceptionibus Grammaticis iam à pueris memoria didicerat. Quare à me ſæpenumero in Grammaticis caſtigabatur; neq; ipſe inuitus à nobis monebatur. Mira tamen eius, & quanta non niſi in hominem Iudæum, eumque à puero informatum, poteſt cadere, in Talmudicis exercitatio erat. Quæ certe fruſtra Chriſtiani noſtri conantur: qui nihil illarum literarum ſine præſidio hominis Iudæi, & Iudaice inſtituti, perfecte tenere poſſunt. Hoc ego & mihi ſemper perſuaſi, & verum eſſe, reipſa ſum expertus. Hoc ſerio affirmare poſſum, me ab eo didiciſſe, quod præter Iudæos nemo me docere poterat. Multas παροιμίας καὶ παροιμιώδη collegi, quæ tibi ad perpetuandum Commentarium verborum à te inceptum reſeruo. Quum vſus eorum tibi veniet, ea à me exſpecta, & me ama. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Kalend. Ianuarii Iuliani CIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA CCXCIV.

IANO DRVSIO. Non poſſum tibi narrare quanta me voluptate literæ tuæ, præſertim de Ἀγκγανὰ, affecerint. Nihil verius. Itaque hoc ponere in Omiſſis, poſt opus

pus tuum Apologeticum debes. Veritati enim vndecunque comparandum patrocinium; ac ne momentum quidem, quod ad eam tuendam faciat, negligendum. Certe valde laudo coniecturam tuam, imo potius aſſertionem. De erratis, vt dixi, poſt editionem conſuletur. Nam quid agas cum hoc genere hominum? Tibi res eſt cum pueris in editione tuorum, mihi cum tironibus in Euſebio meo. Vbi literam expunxi, eam in alium locum eiuſdem verbi traducunt. Quotidie luctandum mihi nõ ſolum cum labore & tædio, ſed etiam cum imperitia. Sed hæc deuoranda ſunt. Στρήνδυς ἐν ταλάρρις, eſt Στρεῦγες ἐν ταλάροις. Parodia eſt ex Timonis Sillis, qui μουσεῖον τῶν Ἀλεξανδρέων τάλαρον vocat. Qualum, quaſillum. cuiuſmodi, in quo gallinæ ponunt oua, aut incubant. quia gallinis incubantibus large cibus obſipari ſolet. Inde τὸ μουσεῖον poeta ille mordax τάλαρον vocauit, in quo Sophiſtæ, Grammatici, poetæ, & id genus homines, opimis honorariis, quæ à Ptolemæis percipiebant, alebantur. Ita ego, quia iſti & bene in ſuis farciuntur collegiis, & nunquam maledicentiores ſunt, quam vbi ſaturi ſcribunt, & verſus Timonis vſurpaui, illi hominum generi conuenientiſſimos, & eorum collegia ταλάρους vocaui, ne ab eius verſibus diſcederem. Tuum librum nudius tertius nobiliſſimus Dominus Legatus mihi reddidit. Itaque, vbi fuerit compactus, legam. Interea commendo tibi opuſculum noſtrum, vel potius tuum. In tuam gratiam enim elucubratum eſt. Vale. Lugduni Batauorum xii. Kalend. Ianuarii Iuliani cIↃ IↃc IV.

EPISTOLA CCXCV.

IOHANNI DRVSIO. Quoties mihi in mentem venit ſermonum, quos inter nos habuimus nuper, quum tu & Heinſius noſter me domi conueniſtis, non poſ-

ſatiſfacere, quin tuis occupationibus iraſcar, per quas factum, vt reditum tuum fruſtra expectauerim. Poſtridie enim eius diei mihi è Nundinis Tribæreſion Nicol Serarii allatum eſt. quod fuerat ſermonum noſtrorum vnicum argumentum, quum ex Catalogo nobis aliqua eius ſpes facta eſſet: quanquam magna & præclara minantes illi Catalogi non raro coruum deludunt hiantem: tum quia ſæpenumero libri promiſſi non ſtatim, ſed in ſequentes Nundinas, aliquando etiam poſt annum prodire ſolent: tum etiam quia pro ſpecioſis titulis centones, ſtercoreas diſquiſitiones Magicas, plauſtra farraginum, temulentarum Furiarum πολεμικὰ βακχεύματα accipimus.

Πολλοὶ γὰρ βόσκονται ἐν Εὐρώπῃ πολυφύλῳ
Βιβλιακοὶ χαρακῖται ἀπείρεστα δηριόωντες
Στρηνιῶδες ἐν ταλάροις.—

Sed bene eſt, quod per auctoris inexhauſtam diligentiam non licuit nobis diutius tam optatæ lucubrationis fructu carere. Quamuis non ſoleo, neque poſſum, libros niſi compactos legere, tamen, quæ mea fuit præter ſolitum impatientia, non potui à foliis, ita vt ſoluta erant, oculos abſtinere. Ergo in aditu illius ſacrarii rem incredibilem didici, paucis diebus tam longum opus abſolutum fuiſſe cauſſam componendi & edendi vnum Druſium allegari. Poſt nundinas autumnales conceptum, ante vernales natum. Obſtupui, fatebor enim, & de illis Patribus excidit mihi exclamare:

Οἷοι πέπνυνται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Quantum enim eſt Nouatorum, quos ipſe vocat, non potuiſſet biennio dedolare, quod ille duobus menſibus, aut fortaſſe paucioribus diebus exaſciatum dedit, vt nemo glocitantem gallinam audiuerit, quum illud ouum poneret. Tantum vero opus, tot ſcriptorum teſtimoniis inſtructum, tanta librorum impenſa farctum,

tam exiguo tempore abſolui potuiſſe, idque eo tantum nomine, vt pro vna vocula Hebraiſmi male à ſe interpretata ſupplicium de Druſio ſumeret, haud ſcio, an iſtis Nouatoribus perſuaderi poſſit. Non enim ſunt ταχυπειθεῖς. Itaque, mi Druſi, hoc tibi debent ſtudioſi, quod propter te ſolum ille liber & conceptus & in lucem editus eſt. quum tamen aliquis vafer Nouator ſuſpicari poſſet à longo tempore prouiſam fuiſſe illam argumentorum copiam: neminem ſine pennis volare poſſe: tantum ædificium ſine tempore non potuiſſe exædificari: forte fortuna te Catulum interueniſſe, qui illud Capitolium dedicares. Sed bona verba. Patrum non eſt mentiri, præſertim vbi in Nouatores declamandum eſt. Eſt enim hominum genus modeſtiſſimum, innocentiſſimum, ac minime συκοφαντικόν. quod me tacente dicta & ſcripta eorum teſtantur. Tanto igitur miraculo ebrius pergo: & quia in ſolo pronao vnius miraculi aura adeo afflatus fui, non dubitaui, quin etiam in opiſthodomo viderem, quod magis mentem meam afficeret. Non me fefellit opinio. Mirificum problema vltro oculis incurrit, *An Druſius ſit hæreticus.* Minimo minus auctori iraſci cœpi, qui libro nomen fecit Trihæreſion, non Tetrahæreſion. Quid verbis opus eſt? patientiæ meæ vim feci. Vlterius feror. Quum nihil præter miracula à fronte & à tergo viderem, ſyllogiſmum, neſcio in qua figura cæpi conficere, Si principium, ſi finis talia, ergo & medium quoque plenum miraculorum eſſe. Reſeratis adytis, quantum folia ſoluta patiebantur, huc illuc oculis ac mente vagans, vt Æneas aeris in campis, video Heroas, Melanchthonem, Wolfium, Gelenium, Munſterum, alios, hæreticorum appellatione, beneficii loco an honoris cauſſa, à Serario affectos. Cauſſam comminiſci non potui, niſi forte ea ſit, & ea profecto eſt. quod ex illis alii Hebraice, alii Græce doctiſſimi fuerunt: præcla-

re de poſteritate meriturum Serarium, ſi hac terribili & ſacra appellatione eos numero doctorum eximat, qui tantum nomen in litteris meruerunt. Scaliger vero, quem homuncionem & Thraſonem quidam Martinus Delrio ex eo piſtrino vocat; homo neſcio, an bellua, an potius lutum ſtercore maceratum; ille, inquam, Scaliger dum nimis curioſis oculis omnia aucupatur,

Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis.

Nō putabam vnquam me hoc debiturum Serario, quod me comitem illis addiderit, quos ille non odiſſet, niſi prius ipſis inuidiſſet. Hinc illæ lacrimæ. Satis iuſta cauſa odii eſt apud patres, ſi aliquis aliquid ſcire videatur. Te, qui pluſquam XXV. annos litteras Hebraicas docuiſti, quem nemo, niſi aut ſtipes, aut malignus ſit, eius linguæ optimum interpretem eſſe negare audeat, te, inquam, ſuis luminibus officere indignatur, & quum vix primis Hebraiſmi rudimentis tinctus ſit, quod quidem ipſius ſcripta oſtendunt, in vno verbulo ſe à te iure caſtigatum impatienter ferens, tantum abeſt, vt culpam deprecetur, vt vltro expoſtulatum veniat. Hæc ſunt compendia Rhetorices illius Scholæ: quicquid in buccam venerit, qua iure, qua iniuria defendere. Non te diutius detinebo. Dicam quid fecerim. Non vacauit mihi omnia eius percurrunt. Melius horas meas collocare poſſum: & præterea habes tu quoque quod hic agas. imo tuum eſt negotium. Quæ tantum ſubciſiuo poſt cœnam tempore aliud pene agens ſublegere potui, ea in capitula quædam conieci, ne aut impune nos reprehenderit, (quæ æquo animo ferremus, ſi non morbo animi & inſtituto illius familiæ, ſed vero amore hoc faceret) aut tot errores inultos ferat. Quantum enim peccauerit, ſi ab ipſo confeſſionem non expreſſero, ſat eſt, ſi eruditis probauero. Equidem hactenus ab omni contentioſo genere ſcripti alienus fui. nunc alius eſſe

cæpi

çæpi. Certum eſt, quoties claſſicum canent, me calumnias non diſſimulaturum. Si conuiciis tantum agitur, aut ea diſſimulabimus, aut modeſto reſponſo eludemus. Nouatores ſumus: ipſi ſunto Veteratores, neque profecto aliter à me vocabuntur. Hæretici ſumus: ipſi Zelotæ dicuntor: ἥλῳ τὸν ἧλον, πάτταλῳ τὸν πάτταλον. Literas, rem ſanctiſſimam, malignitatis miniſtras habere noſtrum non eſt: &, ſi noſtra intereſſe putaremus, ipſi hoc iam occuparunt, & ſui iuris fecerunt. Sed quid facias? λέγειν μὲν αἰσχρὸν, καὶ σιωπῆσαι βαρύ. Nulla iniuria me affecit, neque ſi affeciſſet, ad me pertinere putarem, non magis, quam quæ illius familiæ Dæmoniacus Delrio, retrimentum inſcitiæ, & ſterquilinium calumniarum, meretricia & pluſquam zelotica impudentia in nos euomuit, quæcunque ſcilicet liuor & ζηλοτυπία illi Aſino dictauit. Ad illius inſaniam caſtigandam carnifice opus eſt, non reſponſo. Ita boni & modeſti illi Patres, bene quotidie de ſanctiſſimo illo cognomento merentur, quod ſibi vindicarunt. in quo locum non habet illud, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει. Occaſiones maledicendi captant. Neminem eminentium virtutum ſine contumelia appellant. Vt canes loca mundiora veſtigant, vbi immingant, ita iſti non temere in vllum genus hominum maledicam linguam ſoluunt, aut virulentum ſtilum ſtringunt, niſi in quibus aliquid inuidioſum eſſe ſuſpicantur. Nam alios non morantur. Hæc ego olim ridens potius, quam indignans. poſtremo imperaui mihi illis reſpondere, & ab hoc homine incipere. Tuas partes tibi non præripio. quæ ad te ſpectant, tuum eſt illa curare. Tuus enim campus eſt. Quid dicam aut quomodo diſputationem meam inſtitutam, equidem neſcio. Hoc tantum ſcio, illum in iis, in quibus nos perſtringit, parum candidum, in Græcis puerum, in Hebrai-

cis infantem, in hiſtoria harum hæreſeon nullius iudicii, in appellandis viris longe illo melioribus nullius pudoris eſſe. Quicquid ex hac diſputatione orietur, tibi decreui mittere. Multa enim eiuſmodi à nobis habent amici, etiam quædam, quæ à me profecta eſſe fortaſſe non meminerim, ſi oſtendant mihi. Quo in loco apud te futura ſint, non magnopere laboro. Sat eſt, ſi ſemel legeris. Vale. Lugduni Batauor. VII. Eid. IunI Iuliani CIↃ IↃCIV.

EPISTOLA CCXCVI.

IANO DRVSIO. De Serario putabam modum epiſtolæ non exceſſurum. Profectus in altum, maius pelagus mihi nauigandum expertus ſum. εἰς ὄγκον enim iuſti libelli excreuit. Deſcribendum optimo iuueni Sebaſtiano Damano familiari tuo dedi. Is tibi ſtatim mittet. Ego multa eiuſmodi amicis meis mittere ſoleo: quæ edere, aut non, arbitrii eorum facio; & vtrum faciant, pili non æſtimo. Quidam quædam ediderunt quæ ne edita quidem ad me miſerunt; neque me certiorem facere, quicquam penſi habuerunt. Tibi idem, per me quidem licet. Si edas, non nociturum tibi, neque nihil exiſtimationi tuæ profuturum ſpero. Si igitur ita decreuiſti, mone lectorem, talia me, quæ amicis mitto, abdicare ſolere, & eorum iuris facere; ſimul enim manibus meis emiſſa ſunt, nô putare mea eſſe amplius. Hoc ſane vel ex animi ſententia iurare potes. Nam ita eſt, vt dico. Certe expedit, & ea, quæ in libello hoc non vulgaria tractaui, & inſcitiam Serarii, non ignorari. Tuum eſt, quid eligas, ſtatuere. Mihi ſatis eſt, ſi tibi meum in te amorem probauero. Vale. Lugduni Batauorum. CIↃ IↃC IV. Velim ex te ſcire, niſi graue eſt, quis ille [illegible] ſit,

qui

Digitized by Google

qui Lipſii noſtri Politica traducit. Quid velit illo ſcripto, numquam coniicere potui. Si Seſarii partium fuiſſet, aliquod Elenchi mei caput occupare poterat. Sed ἄλις ξερυός.

EPISTOLA CCXCVII.

IANO DRVSIO. En tibi Elenchum noſtrum. Quem ſi tanti facis, vt edere non dubites, edatur: ita tamen vt homines intelligant, multa me eiuſmodi amicis mittere ſolere; quæ quum à me amiſi, tum non mea amplius ſed amicorum exiſtimare: ideo eorum eſſe arbitrii, vt vel edant vel ſuppriman. Libro tuo ſubiungatur. Accentus omnes à Latinis meis abdicaui. Vide, amabo, vt id religioſe obſeruetur. Numeri librorum, capitumque, literis ſemper numeralibus. commata ſola ciphris concipiuntor. Plane ita vt deſcripta ſunt, hæc edi volo. Libellum tuum περὶ τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος ſtatim totum deuoraui. Et voluptas quem ex eius lectione percipiebam, & fructus, non ſinebant me prius deponere de manu eum, quam ad finem perueniſſem. Certe luculentum eſt opuſculum. Et putaſne, ſolum te, rem cum illis habuiſſe, qui IEHOVA legunt, qui non dubitant Iouem inde dictum? Ego ſane cum his laruis quoque colluctatus ſum. Sed opuſcula illa tua, quæ per exiguitatem perire poſſunt, auctor tibi ſum, vt in vnum corpus à te coniiciantur. Neque dubita, quin rem gratiſſimam omnibus & Hebraiſmi & tui ſtudioſis facturus ſis. Certe maximam à nobis gratiam inibis. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Eidus Quintilis Iuliani cIɔ Iɔc IV.

EPISTOLA CCXCVIII.

IANO DRVSIO. Te Elenchum meum accepiſſe, ſero tandem ex tuis intellexi: ſed periiſſe eas nollem, quas poſtea Damano dedi. Plurimi enim mea intereſt te

eas accepiſſe, vt ex illis & ea emendes, & quæ in ſchedion cõieceram adiicias. Quare ſi non accepiſti, certiorem velim me facias. Tamen, quia non vulgari genere eas Sebaſtiano commendaueram, non dubito, quin eas iam acceperis. Oro te igitur, niſi graue eſt, vt ex illius ſchedii præſcripto ea & emendes, & quæ ibi continentur adiicias. De Duſtai eſt ſomnium Iudaicum. Nihil enim de Samaritis quod excedat ſæculum Herodis Iudæi ſciunt. imo ne id quidem, quod ſciunt, perſpicue ac certo ſciunt. Quomodo vlla vetuſtatis Samaritarum ad eos cognitio peruenire potuit, qui ſuas origines ignorant omnino? Ille Doſitheos, qui αἱρέσεως apud Samaritanos autor fuit, quo tempore vixerit, nobis incompertum eſt. Scimus tamen non adeo vetuſtum eſſe. Deinde Duſtai mere Iudaicum eſt nomen, Δοσίθεος Græcum. Tu ſcis Iudæos integra nomina Græca concipere ſolere. Itaq; ille eſſet דוסיתיוס, vt בייתוס, Βόηθος vt אנטיגנוס. Sed nihil vetat eam Iudæorum de Sennacheribo ponere fabulam: quamuis conſtat omnis memoriæ ac vetuſtatis imperitiſſimos Iudæos eſſe. Illinc de Sennacheribo certum pronunciare vt poſſint, quibus nec vlla belli Iudaici ſub Veſpaſiano, niſi quantum ex Pſeudogorione hiſtrione haurire potuerunt, conſeruata eſt memoria? Non debes tamen fabulam hanc præterire, ſed cum caſtigatione eius meminiſſe. Quare ſi Elenchum noſtrum edere iam decreuiſti, idem à te, quod alteris meis, contendam, vt Apologeticus præcedat, ſequatur Elenchus. Et vt ſciat Lector, amicos meos plura à me eius exempli habere, quæ non animo edendi, ſed amoris cauſa, illis communicaui. Quod ſi edantur, amicorum eſt editio, non mea. Quia iuris eorum ita opuſcula mea feci, vt mea dici amplius non poſſint. Vale. Lugduni Batauorum. Idibus Sextilis Iuliani cIↃ IↃc IV.

EPISTOLA CCXCIX.

IANO DRVSIO. Tibi omnes meas redditas fuiſſe, tam gratum mihi, quam me tuas accepiſſe. Cura igitur, amabo, mi Druſi, vt libellus noſter emendate prodeat. Tam enim tua intereſt, quam mea. qui veritati, quam aduerſus impoſtores tuemur, bene conſultum volumus. Quum primum vacabit, & aliorum Loiolitarum alueolos excutiam. Nam certum eſt, me huic ἐρισχῷ, vel potius φιλαλήθει ſtudio operam daturum, ſi impudentiſſima mendacia tum aperire tum & confutare poſſumus. Mea cauſſa, quos tibi commendaui, humaniſſime & comiſſime à te exceptos, non parua cauſa eſt, cur mihi gratuler; ſed & iuſtiſſima eſt, cur tibi gratias agam. Vtinam experiare, quam tua cauſſa velim omnia. Certe vbi locus dabitur, non mihi deero vt tantum tibi beneficium reponam. Vale. Lugduni Batauorum, III. Eid. Septemb. Iuliani cIↄ Iↄc IV.

EPISTOLA CCC.

IOHANNI DRVSIO. Nunc literas tuas cum tertio folio Elenchi mei, & epiſtola tua accepi: cuius apices nunquam aſſequi potui, ita, tam propter atramenti vitium, quam ſcriptionem, δυσανάγνωστοι ſunt. Itaque oro te, quum ad me ſcribes, vt filio prius literas tuas καλλιγραφῆσαι tradas. Valde enim mihi dolet, me non poſſe ad iſtas tuas reſpondere. Eiuſque à te veniam peto. An poſtremas meas, quibus ſignificabam tibi, tuas me accepiſſe, cum duobus primoribus Elenchi foliis, acceperis, ſcire ex te aueo. In illis valde coniecturam tuam περὶ κἰναγωγανκίων, probabam: quo nihil verius. Ideoque, vt in calcem libri tui animaduerſionem eam reiiceres,

res, & tunc tibi auctor fui; atque adeo nunc idem dico. Si quid in Elencho meo corrigendum putas, ego omnium tibi poteſtatem facio. Vale. Raptim propter temporis anguſtias. hora octaua promeridiana. VII. Kalend. Ianuarii Iuliani CIↃ IↃXCIV.

IOSEPHI SCALIGERI

EPISTOLARVM

LIBER QVARTVS.

EPISTOLA CCCI.

IANO DRVSIO. Literis tuis occupatiſſimus reſpondeo: quas vna cum quinto folio & epiſtola filii tui Hebraica accepi. Quam non minoris, quam beneuolum eius in me animum facio. In præſentia nihil aliud propter occupationes meas reſpondere poſſum, niſi, nuper me à Domino Buzenvallio librum tuum Apologeticum quem diu apud ſe retinuerat, accepiſſe. Placet admodum. Sed è dignitate tua fuiſſet, ſi Graeculum illum ita, vt commeritus eſt, accepiſſes. Qui tam petulanter in te ſtolidos animi impetus effudit, eodem genere tractandus erat. Hoc vnum reprehendo, aut potius caſtigatum velim, quod clementior in eum fuiſti, quam dignus fuit. Noli dubitare, quin tu & ego aliquid virulenti ſcripti à nebulone accepturi ſimus. Præclare egerimus, ſi ſemel coloribus ſuis pictum, negligamus. Nihil enim habet, quod iuſte reſpondeat. Extremum hoc

ſub-

ſubſidium habebit, συκοφαντίαν; vnicum ſocietatis munimentum. Vale. Lugduni Batauor. XIV. Kal. Februarii cIↄ Iↄc IV.

EPISTOLA CCCII.

IOHANNI DRVSIO. Nudius-tertius quaternionem L accepi. D, & F non vidi. neque magnum operæ pretium eſt, ſi reliqua eodem modo excuſa ſunt. Nam quæ vidi, ſatis commode excuſa videntur. Errata, quæ notaui, non tanti ſunt, vt morari nos debeant. Itaque ſupremam manum meam expectare noli. Sat eſt, ſi tuam adhibueris. Malo librum integrum videre, quam membratim. Non dubito reſponſum paratum nobis eſſe. ſed nihil niſi Loiolitice, contumeliis, ac ſycophantiis agetur. παλαμάσθω quicquid velit: numquam efficiet, vt illa inſcitiæ ſtigmata à nobis inuſta, deleantur. Niſi me animus fallit, Elenchus noſter, quamuis paucos, doctos tamen, & Hebraiſmi ſtudioſos lectores habebit. & nobis vnus & aliter ſatis ſunt. Iam vltimis meis monebam te, opus non eſſe te alios quaterniones mittere. Malo, vt dixi, integrum librum videre. Vale. Lugduni Batauorum. XV. Kalend. Martii Iuliani cIↄ Iↄc V.

EPISTOLA CCCIII.

IOHANNI DRVSIO. Audio te ad nebulonis illius Minerual reſpondiſſe. Ita aiunt: & quidem gaudeo, ſiquidem vera prædicant. Ego indignum cenſui librum, quem legerem. Satis ſupplicii & mihi, & omnibus illius diſſimilibus, Elencho meo dedit. Nunc Apoſtatam Scioppium ſubornarunt, qui mihi ſtatus controuerſiam moueat;

moueat : qui fabulam de Burdonio à bipedum nequiſſimo Guilandino confictam refricet. Bene pro virtutibus accipientur ſaxo. Idem nebulo, contumelia non contentus, quam mihi ſe feciſſe putat, librum in virum incomparabilem Caſaubonum edit. Mimi καζασεοφλω expectamus. Interea hunc iuuenem commendo tibi, qui non aliter, quam te doctore, Hebraiſmi imbui præceptis poſtulat. Recte iudicat. & propterea æquum eſt, vt non ſolum, quod à me poſtulauit, eum commendem tibi: ſed & vt tu eum tam commendatione mea, quam illius merito, in tuis habeas. Vale. Lugduni Batauor. x. Kal. Iun. Iuliani ꝺIↄ Iↄc vi.

EPISTOLA CCCIV.

IANO DRVSIO. Literas tuas, vna cum libello tuo ad Serarium accepi. Ego ſanè neque fungum illum, neque vllum ſociorum eius reſponſione dignari poſſum. Amphitheatrum ſuum iterum recuderunt. In quo ego, præter alios, & Pater meus, in arena illa traducimur. Non poſſum ſatis impudentiam illorum canum mirari, quibus nihil parabilius eſt, quam mentiri. Conuincas illos, animos a crimine ſumunt. Scribebam hæc ad te poſt cœnam, magnis temporis anguſtiis, quod doctus iſte & honeſtus iuuenis cum cras ſummo mane ad vos cogitet, ſine commendatitiis ad vos demitti noluerit. Amore Hebraiſmi flagrat. Maximos in Helleniſmo progreſſus fecit. Si tantos fecerit in Hebraiſmo, eſt quod glorieris, neq; tibi contigiſſe doctiorem diſcipulum, neque digniorem fuiſſe, quem tibi commendarem. Scribo ad te in ſumma feſtinatione. Iam enim ἀλεκτοροφωνία ad ſomnum nos inuitat. Et ſane admodum eſt ſerum diei. Vale. Lugduni Batau. Nonis Auguſti; Natali meo LXVII. ꝺIↄ Iↄc VI.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCV.

IOH. DRVSIO. Diu eſt, quum Heinſius recepit, recte ſe tibi hiſtoriam Thuani curaturum, quam ego illi tradidi. Neq; dubito, quin eam acceperis. Aliud exemplar, quod Vbboni mitteretur, adiunxeram. Si tuto illi perferendum curaueris, magnam à me gratiam inieris. In Sulpitium nihil equidem habeo; neq; illi illuſtrando vnquam animum adieci: quandoquidem meliora à nobis dare poſſemus, quam ille poſteritati dedit. Dignus ſane, qui vel eo nomine legatur, quod ſupra ſæculi ſui captum loquitur Latine. Fuit homo Nitiobrix, ex Aquitania, popularis meus, quum Phœbadium Epiſcopum ſuum vocet. Epiſcopus autem is Aginni Nitiobrigum erat. Caroli Sigonii Commentarium te in illum ſcriptorem vidiſſe, minime dubito. Si plura & meliora habes, ſtudioſis candidus imperti. Sulpitius Seuerus, non contra Seuerus Sulpitius, ex veteri vſu Latine loquendi dicendum fuerit. neque aliter loqui velim. An tamen ita vocandus ſit, quum eo ſæculo magna mutatio vt rerum, ita ſermonis Latini facta fuerit, in medio relinquo. Vale. Lugduni Batauorum. XVI. Kalend. Februarii Iuliani cIↃ IↃc VII.

EPISTOLA CCCVI.

EVERARDO VORSTIO *ſuo S.* De Epiſtolis Hippocratis quod ex me quæris, antiquas eas ſcio eſſe, vt Democriti, Solonis, Thaletis, Pittaci, Mitylenæi, quæ apud Laertium leguntur. Sed quia omnes illas, quæ illis Philoſophis à Laertio attribuuntur, multis argumentis confictas à Græcis, quibus nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare poſſum, ideo cur & de

iſti Hippocrateis dubitem, iuſtiſſima cauſſa eſt. Et certe, ſi animi neruos intendere velim, facile non eſſe Hippocratis vincam. Vnicuique iudicium ſuum relinquimus: tutius tamen eſt de eo dubitare, quod facilius eſt confutare quam aſſere. Vale. Lugd. Batauorum.

EPISTOLA CCCVII.

GERARDO IOANNI VOSSIO S. Literas tuas quum eſſem occupatiſſimus accepi. Tamen eæ occupationes tantum in me imperium habere non potuerunt, vt meam ab illis cogitationem auocarent. Itaque eſt quod mihi gratuler, quum amico eoque probo & erudito me auctum eſſe videam. Acceſſit ad hanc felicitatem, inſperatum lucrum libri: quem quum fruſtra hic quæſierim, tum & quia præter opinionem mihi accidit, tum & quia à te profectus eſt, vere eo nomine ἕρμαιον vocare poſſum. Scripſeram quidem Io. Lydio noſtro, pro ea, quæ inter nos vetus interceſſit familiaritas, vt vndecumque illum mihi compararet, quem quum nactus eſſet, precium numerare me paratum eſſe. Idque & nunc profiteor æquum eſſe, vt quanti indicare placuerit, tantum tibi ſoluam: neque enim æquum eſt, me, qui nullo beneficio te promeruerim, oneri tibi eſſe. Quod libenter te eo me donare ais; ego vero, mi Voſſi, tam magnitudine muneris, quam comitate tua ſtupefactus, quo me vertam neſcio. Pudet impudentem eſſe: pudet vtilitatem tantam auerſari. Eo mihi igitur confugiendum, vt aut pretium refundam, aut, ſi me in ære tuo eſſe cogis, vt quamquam munere alio, hoc tuum compenſare ſtatuam, nunquam interim ab hac ingenua confeſſione faceſſam, quin in tuo nexu ſemper ſim, qui me primus liberalitate pro-

Digitized by Google

prouocaſti Plura ſcripſiſſem, niſi Illuſtriſſ. Domino Mauritio, qui quum hæc ſcriberem, quaſdam Regis cuiuſdam Mahumetani literas Arabicas interpretandas ad me miſit, operam nunc darem. Tu meas occupationes excuſabis. Alias enim pluribus tecum agam. Vale. Lugduni Batauorum. Die Natali Chriſti cIɔ Iɔ c IV.

EPISTOLA CCCVIII.

SETHO CALVISIO *ſuo S.* Omnes boni, qui animum ad ſcribendum applicant, nullum alium laborum ſuorum fructum ſperare debent, quam vt ab eorum ſcriptis lector melior aut doctior diſcedat: ſi qua laus inde ad eos perueniat, eam deputare in lucro. Hodie paucos videas qui non maiorem ambitionis ſuæ quam publicæ vtilitatis rationem habeant. Nos autem præclare nobiſcum agi ſemper exiſtimauimus, ſi ſcripta noſtra ita lectorem afficiant, vt illi maior inde fructus, quam nobis celebritas compararetur: gloriam plerunq; non merito, ſed caſu contingere; perinde vt malis hiſtrionibus plauditur, boni exſibilantur. Quum viderem eo rem rediiſſe, vt neq; ſcribendi, neq; velitandi vlla finis eſſet, præſertim in Chronologia, quæ vt anima eſt Hiſtoriæ, ita nobiliſſimum ſcriptionis argumentum eſt, cœpi huius ſeculi vicem dolere, quum in tanta literarum luce nemo hactenus rationem inire potuerit, qua iſtę lites καὶ σκιαμαχίαι componerentur, & qua iuſta aliqua, facilis, ac vincibilis methodus reperiretur, quæ aut æquioribus ingeniis ſatisfaceret, aut pertinaciæ iugulum peteret. Cœpi experiri quid in ea re poſſem: vt ſi conatibus noſtris euentus deeſſet, non deeſſet tamen aliquis, qui aut propoſitum probaret, aut voluntatem imitaretur. Denique opus de emendatione temporum emiſimus: in quo ſi quis nos meliore

methodo quam qui ante nos id tractarunt, alius fuiſſe negauerit, meliorem certe eo omnium attuliſſe, quam qui poſt nos ſcripſerunt, etiam inuitus concedet. quamuis hos æmulationis, illos obtrectandi ſtudium ſycophantas probauerit. Quid enim aliud profeſſi ſunt, quam inique ſe ferre, aliquem extitiſſe, qui docere ipſos poſſet, quod neſciunt, aut dedocere quod perperam didicerunt? Hinc illæ lacrymæ: hinc ad obtrectandum potius quam ad ingenuã confeſſionem ſe conuerterunt. Quidam eorum per arrogantiam [illegible], nonnulli per inſcitiam non capere, alii per malitiam carpere. Quantum examina muſcarum excitauimus. Itaque ſemper [illegible] Nullæ Francofurtenſes nundinæ ſine Chronologicis [illegible] prouentu. Optimus eorum habetur, qui aliquem dentis ictum in nos diſtrinxerit. Etiam quidam Thomas Lydiat Angli iudicio omnem operam in libris de emendatione temporum luſimus, ut ſi qua illi fides, ne ſemel quidem verum dicere nobis contigerit. Itaque merito de infelicitate noſtra querimur, qui tanto ſeculo placere non ſtuduerimus. Sed de illo hic diſſerendi locus non eſt. Hoc vnum dico, nunquam tam portentoſum [illegible] poſt hominum memoriam produxiſſe. Nos quidem ſummo Dei beneficio, operam noſtram multo [illegible] collocatam ſumus, quam illis Prophetis viſum. Sed quod nullus adhuc induſtriæ noſtræ fructus ad quemquam eorum peruenerit, iuſtus dolor à me expreſſit, vt non quidem cauſſæ meæ diffiderem, cuius bonitatis conſcius eram, ſed me tam ingrati ſeculi pœniteret, cui tanto proſuiſſe voluerim. quin & eo infelicitatis nos redigi, vt ea, quæ ſolidis demonſtrationibus munita ſunt, [illegible], [illegible]iolorum, ſcarabæorum, [illegible] quaſi, [illegible] conuellerentur. Sed maxima vis eſt veritatis. Quantum improborum eſt, ſatis non eſt ad eam lædendam. Vnus probus ſat eſt ad eam ab omnibus [illegible] vindicandam.

Quod

Quod quidem contigiſſe nunc magis lætor, quum tu, vir optime & doctiſſime, poſtquam omnes rationes noſtras perfectè aſſecutus es, & illis tanquam firmiſſimis fundamentis opus tuum omni laude maius conſtituiſti, primus omnium oculos cœlo attollere, primuſque de hoc præclaro ſtudio optime mereri auſus es, quum hactenus alii phreneticis ac fatuitis commentis ſuis plus fidei, quam manifeſtis ac neceſſariis demonſtrationibus habuerint. Itaque tam eximio labore id conſecutus es, vt quia primus hanc gloriam arripuiſti ſolus eam poſſideas, neque quiſquam tibi præripere eam poſſit. Sed & mihi præteritorum ſtudiorum fructus præclare conſtat. quod quum ego nihil impenſius optarem, quam tam Chronologicam eo deduci, vt hariolorum iniuriæ ac tyrannidi opportuna amplius non eſſet, ac eodem tempore tot canes argumenta noſtra ac rationes allatrarent: vnus tandem ea amplexus ſit, qui inſtar omnium eſſe poſſit. Itaque ſeno triumpho. eoque magis, quod lætitia mea cum publica vtilitate coniuncta eſt. Nemo enim beneficii tui meminerit, quin & vigiliarum mearum meminerit. Viuet igitur, viuet opus hoc, ſacrarium temporum, ſcrinium æternitatis, perpetuorum Faſtorum conditorium. Iam deſitum eſt in Chronologia nugari. Nihil in eo ineptum, nihil futile. Omnia plana, perſpicua, ita inter ſe apta, vt vltima à primis pendeant, media vtriſque hæreant. Omnia denique inter ſe reſpondent, & paria cum rationibus noſtris faciunt. Optabam equidem, tale opus à quodam inſtitui, ſed nunquam ſperare auſus ſum. Alterum ſuadebat conſcientia operæ bene poſitæ, ab altero improbitas ſeculi deterrebat. Vicit veritas tandem, & ne fruſtra operaremus, effecit. Illius vero præſtantiſſimi ædificii ichnographiam quandam in Canonibus noſtris Iſagogicis videbis, qui vna cum Euſebio noſtro prodierunt [illegible]

Vides multa nunquam hactenus publicata [illegible] potens: non pauca etiam, quæ rationes noſtras longe probabilioribus argumentis firmant, excerpes, vt ſi ſecundam editionem adornes, elegantiſſimis acceſſionibus eam inſtruere poſſis. Noli enim dubitare, quin hæc merx [illegible] extrudatur, ac prope diem ſecundæ editionis neceſſitas incumbat tibi. Eum guſtum tui operis omnibus doctis dedimus, quos quidem nouerimus, vt nihil magis illis doleat, quam vnicum tantum exemplar, quod tu illi miſiſti, in illis regionibus extare. Nullæ ſunt bibliopolæ tabernæ, quæ non excuſſerunt illi, ſi ſunt, vt librum tuum inuenirent. Sed non inuenisse tam moleſtum fuit illis, quam longinquum ad proximas nundinas expectare. Quia vero ſemel iam tu primus rectam viam [illegible], certo te tot iſthic imitatores habiturum, [illegible] congerunt. Iam enim ſignum e [illegible] datum. Et iam multi in curriculo hoc [illegible] [illegible]. Gratias tibi de exemplari tuo [illegible]. Erit, vbi parem referam, ſi me non fallunt Typographi. Vale. Lugduni Batauorum. III. Nonas Decembris Iulianas CIↃ IↃC V.

EPISTOLA CCCIX

SETHO CALVISIO. Iam ſummis viris de præſtantia Chronologiæ tuæ ita motum [illegible], vt nemo ex illis ad me ſcripſerit (ſcribunt autem non raro) quin ſummis laudibus efferant. At ſcis quibus viris: qui familiam in litteris ducunt. Qui vnum, ac cum illis ego, a te petunt, vt ſcriptorum quorundam minorum gentium mentione, qualis eſt Natalis Comes, homo futiliſſimus, abſtineas. Dolet enim magnis viris, illos pannos tuæ pur-

puræ

putæ aſſui. Tu hæc in ſecunda editione curabis, quam certo ſcio te propediem adornaturum, poſtquam omnes ad parandum ſibi opus tuum eadem cauſa, qua alios, inuitabit, Fructus ſcilicet, qui ex eo percipietur, & noſtra, & eorum, qui primi legerunt, commendatio. Certe hæc tua ſumma laus eſt, quod primus omnium bonum Chronicon ſcripſiſti. Sed ſcito, quemadmodum naſcente Chriſtianiſmo, hæreſes aliæ pernicioſæ, aliæ ridiculæ ſubortæ ſunt; ita hodie, veritate temporum iubar ſuum explicante ſuboleſcere hæreſes, à quibus non minus cauendum, quam à peſtifero veneno. Sunt enim, qui ſe puros fontes Sacræ Scripturæ in ſua Chronologumena deriuare gloriantur, reliquos profanos vocant. Nos eos καθαρούς, Prophetas, & aliud neſcio quid, vocamus. qui propterea literas exoticas cum ſacris coniungere non poſſunt, quia illas ignorant. Patriarcha iſtorum prophetarum Matthæus Beroaldus fuit, bonus quidem vir & pius, ſed qui temerario exemplo prius, hiſtoriã, tam ſacram quam exoticam, interpolare auſus eſt. Quum hæc ad te ſcriberem, in manibus ſtramentitiam cuiuſdam ex piſtrino horum Prophetarum Chronologicam Orationem habebam, quæ eodem tempore & riſum & nauſeam ſimul mihi mouit. Mittentur auctori quæ in illam animaduertimus. Tu curare debes, ne venenum Beroaldinum longius ſerpat. Ego ſane hanc quoque prouinciam ſtrenue adminiſtrabo. Ex Euſebio meo hauries, quæ ſecundam editionem tuam exornabunt. Vale.

Lugduni Batauorum. v. Eid. Iunii Iuliani cIↄ Iↄc vi.

EPISTOLA CCCX

SETHO CALVISIO. Quod tibi ſcribam, noui nihil habeo. Nolui tamen committere, quin monerem te, iam pridem ad poſtremas tuas me reſpondiſſe. Præterea curaui, vt vnum Euſebii mei exemplar tibi mitteretur. Infinitis erratis typographicis ignoſces. Si ſcires qualis cum typographis res mihi fuerit, mirareris maiorem errorum ſegetem non eſſe. Oro te, ne prius legas, quam ea, quæ corrigenda & addenda præcipimus, legeris. Altera editio melior & auctior erit. Interea hoc Canone contenti eſſe debemus. Tu alteram quoque editionem luculenti tui Chronici multis acceſſionibus ex hoc noſtro labore locupletare potes. Multa enim ex ſitu eruimus, quæ hoc ſæculum fugerant. Plura præterea in Canonibus diximus, quæ doctrinam hanc illuſtrant, cuius ego auctor, tu excultor es. Quæ demonſtrationibus nituntur, ea conuelli ſine magno veri detrimento non poſſunt. Et certe multi, quos aut æmulatio aut inſcitia a lectione ſcriptorum noſtrorum auertebat, ii vel inuiti, vel volentes, victas manus dant. Tu primus viam aperuiſti: tibi ea tuenda eſt. Qui ſine exoticis literis ſacram Chronologiam ſe aſſequi poſſe ſperant, quomodo eos acceperim, ex Prolegomenis in Canones intelligere poteris. Et ſane Reipublicæ literariæ intereſt eiuſmodi Tenebrionibus bellum inexpiabile ab eruditis indici. Sed de his ſatis perorauimus. Literas tuas expecto. Vale. Lugduni Batauorum III. Eidus Auguſti Iuliani CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA CCCXI.

SETHO CALVISIO. Ex literis Gruteri noſtri, quas nunc accepi, exemplar Euſebij mei tibi, ita vt præceperam, redditum non fuiſſe, grauiter tuli. Quare nunc cum Commelinianis, qui fidem ſuam non exſoluerunt, expoſtulo. Itaque ſine dubio accipies. Vnum te moneo, nullum librum tam infeliciter excuſum fuiſſe. Res enim mihi cum ignauiſſimis, & imperitiſſimis typographis fuit. quorum negligentia commiſſum, vt plura menda in ea editione quam verba ſint, multa præpoſtere poſita, multa traiecta: denique tædet pigetque. Vnde nouam adornare cogor, in quo quidem totus ſum. Nam flagitium eſt in opere tanti momenti tot vibices exſtare. Accepi quæ in Propheticam orationem Chronologi edidiſti, quæ valde mihi placuerant. Ego ſtrictim quædam in eandem rem notaui. Edentur propediem. Si ita, vt meritus eſt, auctorem accepiſſem, luculentum opus profecto fuiſſet. Satis habui inſcitiam indicare, qui traducere potui. Sed præter inſcitiam, etiam intolerabilem ſuperbiam in eo animaduerti. Tantum abeſt vt culpam agnoſcat à te monitus, vt animos à crimine ſumat. Ita ſcribunt, qui illum norunt. Iuro Deum immortalem, nunquam me tantam imperitiam bonarum literarum cum tanta ſuperbia coniunctam vidiſſe. Non poſſum tibi dolorem meum de negligentia Commelinianorum, qui Euſebium tibi non reddiderunt diſſimulare. Sed curabo vt habeas. Vale. Lugduni Batauorum Eidib. Dec. Iul. CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA CCCXII.

SETHO CALVISIO. Nondum M. Iohannem Rhenanum vidi, qui nobis tuas attulit. [illegible] lis, Oxonium [illegible], hodie [illegible], & si quid ad te vellem, si meas literas ad te perlaturum, quod statim in animo haberet in Germaniam redire. Ego vero mi Calviſi, non tuo ſolum nomine, qui eum mihi commendaſti, ſed & illius merito, quem bonis literis operam navaſſe cum ſcribis, omnia illi mea prolixe [illegible]. Vt enim me nō piget, humanitate eorum, qui cum tuis li[illegible]torum commendatione ad me veniunt, ita non permittet illos meam in ſe benevolentiam experiri. Sed ecce, dum hæc ſcribo, interuenit tandem ille, & præſente eo hanc epiſtolam abſolui. Dedi illi, vt iam promiſi, omnia, quæ quidem in mea poteſtate ſunt. Porro meminit te nuper ſcripſiſſe, habere te iam paratum quod in nouum Clauium ſcripſiſti. *Profecto* Pontifex non potuit magis & alienam à commodo Reipublicæ, & minus rationibus cœleſtibus conſentaneam anni formam edere, quam hanc, in qua nulla pars à reprehenſione immunis eſſe poteſt. Si bene perſpectæ tibi meæ rationes ſunt, quod quidem non dubito, eadem plane iudicabis. Quare & tuam diligentiam hæc opera poſtulat. Scribe igitur, & bene de hoc præſtantiſſimo ſtudio mereri aude. Eſt vir candidiſſimus & doctiſſimus, iuris vtriuſq; doctor, nomine [illegible], qui publice in Roſtochiana Academia Chronologiam ſummo cum auditorum fructu & gloria ſua [illegible]. Is per omnia rationes noſtras ſequitur. Et profecto in multis partibus Europæ, qui tam infeſti [illegible] noſtris erant, iam reſipiſcere incipiunt, & formulæ publicæ contentiones ſuas abdicare, aut de [illegible]

[illegible]

remittere non detrectarent, niſi quia hoc natura comparatum eſt, vt à propoſito deſiſtere pudeat. Sed quia ratio eos non potuit, ſaltem tempus ad meliorem ſenſum traducet. Ego propediem ſecundam editionem Euſebij adorno. Nam mei Canones ita typographorum negligentia deformati ſunt, vt illos non agnoſcam. Cupio te valere. Lugduni Batauor. XI. Kal. Octob. Iuliani CIↃIↃCVII.

EPISTOLA CCCXIII.

SETHO CALVISIO. Velim ſcire quid moliaris. Nam otioſum te non eſſe, certo ſcio. Scis ineptos homines veræ Chronologiæ mœnia ſubruere facta coniuratione, conari, qui nullis ſubſidiis inſtructi ad tam arduum opus ſeſe conferunt. Atque adeo imitatores & fautores ſuos habent. Niſi quis melius à literis paratus, quam illi, tam temerariis cœptis obuiam iuerit, altiores radices hoc malum aget. Qui autem hanc prouinciam adminiſtrare poſſit, tu vnus, aut in paucis es. Itaque quum ego omnibus, qui, quid ſit demonſtratio, ſciunt, viam ad bene de hoc negocio merendum muniuerim, tuum eſt, & eorum, qui tui ſimiles ſunt, hominum barbarorum compeſcere licentiam: quorum maior pars per inſcitiam peccat, ſed omnes per improbitatem diſſimulant. Atque adeo ne vlla in parte victas manus veritati dare videantur, ipſam vltro oppugnatum eunt. Eo genere hominum nullam pernicioſiorem peſtem habent literæ. Si qui autem ſunt (multos ſuboriri quotidie intelligo) qui Annios Viterbienſes, & Beroaldi ſom-

nis & eiuſmodi deliriis, verum reuocare velint, ne illis concedendum eſt: neque cõmittendum, vt per ſocordiam noſtram ficum fieri veritati ſinamus. Tu vero mi Sethe, in illam curam incumbe, cui vires animi & corporis ſuppetunt, quæ ambobus iam in nobis effœta ſunt, quod ad iuuanda hæc ſtudia nihil præter voluntatẽ ſupereſt, quæ tametſi bona eſt, tamen ſuis præſidiis deſtituta, ſine quibus omnis opera irrita eſt, nihil momenti ad hæc [illegible]re poteſt. Hoc te monere volui, vt ad omnia paratus ſis & ineptiſſimorum hominum conatibus nefandiſſimis occurras. Meum Euſebium recoquo, quem breui prelo committam. Quam fœdis mendis illum operæ typographicæ deformarint, quo genere illum excruciarint, tabulas deprauarint, ordinem notarum mutarint, iam ex lectione operis ſcire potuiſti. Luculentiorem itaque & meliorem, & multis partibus locupletiorem dabimus. Vale Lugduni Batauorum. VI. Kal. poſteriores Martii Iuliani CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCXIV.

SETHO CALVISIO. Epiſtolam tuam elegantiſſimam, & bona fruge refertiſſimam, ad Hierophantam Beroaldinum accepi, quam ſumma cum voluptate legi. Vidiſti vero eam, quam inſanum illud caput in me vomuit, quæ riſu potius quam ſtomacho proſequenda eſt. Multi grauiſſimi viri temeritatem eius deteſtati ſunt, quidam etiam in illis ſerio illum obiurgarunt. Quo ſilentium indixit ſibi: metu grauioris potius reſponſi, quam pudore aut pœnitentia ſceleris ſui; quem poſt tot demonſtrationes agnoſcere non potuit. Nihil vnquam tam miratus ſum, quam quid cum tantopere [illegible]

[illegible]

dari. Nam inimici veritate in aliquo pretio eſt, adeo vt in- [illegible] ſententia eius in me iuſta eſſe iudicetur; reſponſum autem noſtrum iniquum & iniurium. Theſes, quas de Chronologia ad me miſiſti, tanti hic habentur à doctis, vt quum vnicum tantum illud exemplar hic ſit, nunc id per manus illorum obambulet. Et certe iam homines cœlo oculos attollere, & generoſum aliquid ſpirare incipiunt. Nam omnes boni, exemplo tuo inſiſtentes, Chronologica ex iiſdem præceptis, & tuis veſtigiis, inſtituunt. Propediem Satyram Heinſii, & Confutationem fabulæ de Burdonio, accipies. His enim nundinis prodibunt. Vale. Lugd. Batauor. Prid. Eid. Iulii Iuliani cIɔ Iɔc VIII. Multa ſunt, de quibus tecum agam proxime. Nunc mihi non vacat.

Epistola CCCXV.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO ſuo S. Quod nullas à te acceperim literas, id occupationib. tuis grauiſſimis potius tribuo, quam vt mihi perſuadeam me tibi excidiſſe. Quod vero nunc acceperim, id lucro appono; quia nanciſci quod nõ ſperamus, beneficiũ potius quam officiũ interpretamur. Hoc in tuis literis expertus ſum, quæ eo gratiores mihi fuerunt, quo minus eas expectabam. Sed ea cum merito & gaudio meo, magnus cumulus acceſſit, libellus, qui illis comes additus erat, quem non prius è manibus emiſi, quam totum deuoraſſem. Mirabar enim prius acumen, leporem, elegantiam opuſculi, [illegible] vicem eius, in quem ea fabula cuditur, bene de literis meritum [illegible] noſtrum, ſed ſui & ſuarum partium [illegible] admiratorib. iuſtiſſimam [illegible] neam,

nem, quæ niſi & boni [illegible] cauſa & neceſſitate [illegible] retur, ab inimicis potius quam ab amicis profecta videri poſſet. Equidem vates non ſum: neque tamen aliter de auctore pronuntiare poſſum, quam alium eſſe non poſſe, quam in quem omnes dotes ingenii & pietatis competant, quibus mihi conſtat te præditum eſſe. Si fallor, non nunc primum, neque primus a [illegible] argumentis in errorem deductus ſum. Scio, & quotidie prædico ac teſtor, in veſtra Germania non deeſſe ingenia extra [illegible] leam poſita, quæ ſcribendo aliarum nationum homines prouocare poſſint; ſed pauciſſimos eſſe qui illud acumen habeant, quo ille liber perfuſus eſt, ſi dixero, neminem veſtratium iniuriam fecero. Et profecto neque Gallia noſtra, neque Italia, quam cum Germania [illegible] quoque dicere poſſum, meliorem, quid meliorem? talem fœtum edere poſſet. Quiſquis eſt auctor, ſi amicus noſter, non alius fuerit præter te, ſi ignotus mihi, habeat me in poſterum in ſuis; & nouum ſui laudatorem & amatorem accipiat. Sed doctiſſimus ille vir, futiliſſimi argumenti præco, conquieſcere non potuit; neque ſatis putauit illa fœtura leuitatis ſe traductum, niſi paribus vanitatis opus ſuperiori adderet. in quo certare ſecum de vaniloquentia videtur. Vnum exemplar huc allatum ab amico vtendum accepi: ad quod percurrendum maiore patientia quam [illegible] homine Gallo opus eſt. Percurri tamen, & quamuis nauigatione tam moleſta [illegible], tamen hanc voluptatem cæpi, quod quæ ille magnifica exiſtimat, ea maiorem mihi cachinnum excuſſerunt. Qui in prius opus ſcripſit, habet hic quæ denuo agat: & quamquam in priore [illegible] de auctore iudicium [illegible] eſt, in poſteriore lucubratione [illegible] partem ſcriptionis ipſum argumentum ſibi vindicat [illegible] ſeges eſt, in cuius meſſe ſatis deſudandum [illegible] priuſquam ad ſpicilegia peruentum fuerit. Miſeret

Digitized by Google

ret me hominis, quem vnice amo & miror. Sed ille hoc animo [illegible]. Habeat, quandoquidem hoc morbo laborat. Meus Euſebius rem habet cum nebulonibus, qui lentitudine ſua efficiunt quotidie, vt in hac ætate non audeam ſperare abſolutum videre. Sed tamen vrgeo [illegible], & quod poſſum, ſi ab illis non impetro, exprimo tamen. Vale. Lugduni Batauor. VIII. Kalend. Iunii Iuliani cIↃ IↃC V.

EPISTOLA CCCXVI.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO.

Non vulgari voluptate me affecerunt literæ tuæ, quas Hippolytus noſter, qui eas mihi attulit. Tanti mihi eſt hominem vidiſſe, quem omni laude maiorem arbitror. Eum ego & hic vidi, & Hagæ conueni; vbi eum adhuc hærere diu præter expectationem multorum video. Adeo lentum eſt negotium, quod ibi agitatur: de quo non dubito quin ille ad te ſcripſerit. Sane res eodem loco eſt, quo antequam vllus Legatus huc veniret, fuit. Quo euadet, neſcio. Hoc vnum ſcio, hunc annum aliquod monſtrum pariturum. Ita res ad magnam mutationem ſpectare videntur, quæ non ad vnum angulum Europæ, ſed ad totam Europam prope pertinebit. Ego rempublicam non tracto: ſed video, quæ fortaſſe peritiores fugiunt, qui mentem iam dimiſerunt. Neque quicquam magis optem, quam me decipi. Cornelii ſcriptum nondum vidi: & quia a cauillatore eſt, & inſcitis argumentum proſequitur, eo patientius careo. Mirum eſt, quum omne ſeculum ſtultos proferat, inſigniores hodie ex litterarum ſtudiis prodire; neque vnde plures emergere. Et certe ſolam ſtultitiam in litteris regnum obtinere,

nere, ſatendum erat, ſi moneo[illegible] & [illegible] inde prodirent. Quicquid animus ſcriptoris [illegible] natur, hoc verum putat. Quemadmodum, ne longe exē-plis petam, in Codice veſtro apparet: quo Italum [illegible] hominem, qui quidem [illegible] deſcribendi [illegible], nullum puto vivere. Non de Lybia amplius [illegible] pa-rere, ſed de veſtra Germania dicetur. Nunc [illegible] diſſimum & [illegible] Scaliger[illegible], non [illegible] [illegible], ſed Schoppianum [illegible] com-mittitur. Mirabere [illegible], qui in [illegible] ſti. & potuit ſola eruditione ſua tibi notus eſſe. Vale, vir Ampliſſime, Lugduni Batavorum. v. Kalend. Martias Iu-lian. cIɔ Iɔ c viii.

EPISTOLA CCCXVII.

GEORGIO LINGELSHEMIO. Ad [illegible], Vir Clariſſime, [illegible] oportebat, reſpondere [illegible] dolore meo, quam culpa, quo unquam [illegible] quin apud iudices [illegible] ipſam exſol-ui poſſim. Quæ tamen [illegible] liceat [illegible] me deprecari poſſim. [illegible] qui tot [illegible] defenſiones, quot [illegible] me diſtineri contigit. [illegible] pra eſt, quæ [illegible] [illegible] rem commentationem abripuit; [illegible] doni[illegible] libelli meditatio. Quamvis [illegible] hominis [illegible] habeam, [illegible] [illegible] mendacii confutandi, [illegible] habet, & illi tenebrioni reſpondendi, [illegible] reſpon-ſo eſſe debetur; tamen [illegible] par-tim [illegible] noſtrum [illegible] propoſitum.

Quam

Quum ſ eorum preces declinare non poſſem, illorum verò auctoritate moueret, vtriſq; ſatisfeci; vt & quod iſti volebant reſponderim; & quod illi nolebant, non meo ſed alieno nomine id fecerim. Quamuis autem tantò labore confutatur mendacium, quam excogitatum ſpiſſum tamen & operoſum incurri negotium, dum refellendæ illi fabulæ magis, quam tuendæ veritati, ſtudeo. cui qui apud bonos honeſtoſque ſua conſtet dignitas, de ea dubitare videtur, qui nimis exquiſitis argumentis probare eam aut defendere conetur. Dum in his nugis meliores horas perdo, multum temporis imprudenti effluxit. Ita vt non ſenſerim, mihi, poſtquam hoc æs alienum diſſolui, aliorum nominum ſolutionem expediendam eſſe. Officium enim ſcribendi multis perſoluere teneor; tibi inprimis, vir ampliſſime. Quod quidē prætermiſſum magis, quam neglectum vterq; noſtrum queri poſſit; ego, quia id tibi debeo; tu, quia idē me exigere potes. Sed integra amicitia licuerit ſemel peccaſſe. nam culpam fateri non pudebit: quanquam longæ occupationes iuſtam dant excuſationem. Vt ignoſcendum mihi ſit, quem ingratus ille labor tamdiu detinuerit: cuius tamen me non pœnitet, quum poſt multa ſecula nullum mendacium validius oppugnatum, nullum felicius, quam Burdonianum hoc commentum, expugnatum ſit. Huius Confutatio, vna cum Hon[illegible] Satyra, multis partibus & auctiore & feſtiuiore, quam prior eſt, excuditur, vt volumen iuſtum complere poſſit. Fabulæ iſtius non auctoribus ſolum ſed & plauſoribus per nos amplius licet, niſi potius ſuſpendium cogitent. In quibus fabulam in amphitheatrum auctores ducunt, qui illud ex vieto ſiue calce conſtruxerant. Eorum numerum augere, ſi Cyclops vellet, poterat; niſi ab iſtis vibicib. melioris religionis inſtrumentum vindicaret. Præterea quamuis velous quod ab Ebreis ho no-

ſtro

ſpeculi [illegible] eſt, coiret. tamen [illegible] manet. [illegible] que ſatis [illegible] dedit. Heinſius noſter ad [illegible] Grotii in Zelandiam nuptias [illegible] profectus eſt. Grotius, ante menſem, quam in Zelandiam [illegible] ſe contuliſſet, ſponſalia celebrarat. Iam Heinſium [illegible] tus, ni fallor, manet: vt qui illuc liber [illegible], non [illegible] grata aliqua compede vinctus [illegible]. Hippolytum tuum, vel potius noſtrum, ante paucos [illegible] miſi. Omnes Legati illi ſimiles agricolis [illegible], qui [illegible] ſqualoribus annuis pluuiæ [illegible]. Nunc [illegible] ſpes vlla pluuiæ ex Hiſpania. & niſi fallor, [illegible] euentu huius negotiationis Hiſpanus quam Legatus ipſe. Conſtat qui omnium, quæ in [illegible], [illegible] vltro & de pace primus verba faceret, & conditiones quibus multum de iure Regio [illegible], [illegible] auſus eſt, auctoritatem deſiget. Neſcio quid, quod [illegible] quam, ac inſtiterat, accidit [illegible] in animis [illegible] aut impedimenta incurrit, quæ nos [illegible] poteſt. Ideo ſpei [illegible]. Vt [illegible] etiam priorum conditionum [illegible], quam [illegible] dinis promittat. Omnium gentium Europæ [illegible] bus incundis, & [illegible] in Hiſpanis ex [illegible] perierint. Hiſpanis [illegible] eſt [illegible] Galli [illegible] neque [illegible] tam [illegible] ille [illegible] & illac [illegible] (ſi quidem bellum [illegible] nullam [illegible]) non aliam [illegible] habiturum, [illegible] quæ conjecturam meam mouebant, [illegible] eſt [illegible], neque patribus ipſis [illegible] nam autem Italorum iudicia, qui [illegible] inter [illegible] colluſionem dicebant, [illegible] non poteſt, [illegible] nihil [illegible] honeſtum [illegible] [illegible] habituros [illegible]

conm

Digitized by Google

certe vel primas vel omnes. Vale. Lugduni Batauorum v. Kal. Quintilis Iuliani ⅭIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCXVIII.

CAROLO & PETRO LABBÆIS, *fratribus*, S. O iucundiſſimas literas veſtras, quas nunc accepi! Incipiebam, neque mentiar, *iraſci* vobis, quod nihil literarum à vobis ad me perferretur. Nam qui veſtras mihi attulit, prius mihi quas ad me ſcribebant Puteani, reddidit: veſtras autem per ſupinitatem & negligentiam in fundo *ſarcinarum* reliquerat. Itaque parata iam Epiſtola erat, qua vobiſcum hanc iniuriam expoſtulabam. Iam acceptis literis veſtris placatus ſum. Quid enim commerui, cur à vobis aut negligi aut obliuioni tradi debeam? Sed bene eſt, quod tum, quum meas literas complicaturus eſſem, veſtræ in ipſo articulo mihi redditæ ſunt. Gaudio itaque exultaui, & gaudium meum mirifica ex lectione veſtrarum literarum excepit lætitia: primum quod incolumes Lutetiam rediiſſe vos ex illis *perſpexi*; tum quod horas in Cantabrigienſi mora non perdidiſtis. Atque vtinam diutius vobis congreſſu Thomſonis frui per eius valetudinem licuiſſet! Tantum enim temporis vobis ex bene gerendæ periiſſe puto, quantum ille cum morbo luctatus eſt. Acceperam quoque antea quas ad me ex Anglia miſiſtis. Quare gratias ago vobis, ſenis veſtrum amantiſſimi memoriam apud vos non periiſſe. Quin vero qui ad me veſtras detulit, prius mihi duo volumina Hebraica ſine veſtris literis tradidit. Diu ſolicitum me res habuit, quum neſcirem plane vnde illa ad me peruenirent. Tandem ex literis veſtris, à vobis eſſe intellexi. Gratiſſimum ergo mihi ſtudium veſtrum, qui tam ſedulo conquiratis, quæ mihi iucunda eſſe intelligitis. Sed

Digitized by Google

quare pretium non addidiſtis, vt illi, qui illos mihi tradi-dit, perſoluerem? Itaque, ſi me amatis, quamprimum quantum mihi pro illis ſoluendum ſit, ſcribite. Sum e-nim quam inuitus æs alienum faciam. Scitis meam in de-bitis luendis ſollicitudinem. Quoties vobis retuli, lectu-lum meum omni debito ſolutum me excipere? Itaque me diutius habere in ære veſtro nolite. Amicos vos vo-lo, non creditores. Librarii Pariſienſes (vt mihi ſignifi-cabant Puteani) reliquum de catalogo a nobis confe-cto miſſuros ſe minabantur. Sed plane illudunt nobis. Equidem vt illorum negligentiam vlciſcar, nihil, priuſ-quam mihi ſolidum catalogum curauerint, ſcribere de-creui. Tenuitatem Bibliothecolæ meæ ſcitis, quæ tamen pretio ſummas Bibliothecas, quum illis numero longe inferior ſit, æquat. Gloſſarium vobis commendo. Sed ca-uete, priuſquam res ad vmbilicum perducta fuerit, ver-bum aut ſuſpicionē de toto negotio hoc emittatis. Quan-to ornamento hoc inceptum vobis futurum ſit, ſcitis, ſi quantæ vtilitati illa editio ſit, non ignoratis. Sed quod tu, Carole, περὶ τοῦ πλουμβαρίου ſollicitus es, ignorare non ſcio plumarium, non πλουμβάριον, ſed πλουμάριον eſſe. Scis autem quam multa perperam a Græculis Latina reddan-tur, quæ tamen ideo negligenda non ſunt. Nam quam-uis plumarius non eſt πλουμβάριος, tamen πλουμάριος eſt aliquid, quia ſi non eſſet, à gloſſographis poſitum non fuiſſet. Sed de hoc amplius deliberandum, quemadmo-dum & de ænigmate, de quo videro. Sed tu, Petre, nul-lam mihi de libello Indico Malaiticæ linguæ, vna cum dictionario illius ſermonis, mouiſti. Verum miſiſſe, ni-hil. Sed quid conqueror non miſſum? Oro, atque adeo ef-flagito, vt ad me quamprimum mittatur. Fac igitur, & vi-de, vt optime pictæ ſint literæ; earum enim cauſa præci-pue mitti mihi volo. Si mihi crebriores mittatis, tunc credam ſenis grauem non periiſſe. Ego quidem officium,

literæ

literarum non deleram. Valete. Patrem veſtrum, virum ornatiſſimum, meis verbis ſalutate. Lugduni Batauor. VI. Calend. Nouembris Iuliani cIɔ Iɔc I.

Poſtquam hæc ſcripſi, librorum Hebraicorum, quos curare mihi velim, in mentem mihi venit. In iis eſt Ioſeph ſeu Gorion, in Italia aut Graconiæ editus. Nam editionem Munſteri Baſilienſem prorſus tenemus. Colbo, in Italia impreſſum. Concordantiæ Hebraicæ Bibliorum, Venetiis. Magnifacerem hos primus omnium nanciſci. Cæterorum deſiderium æquius feram. Abortiua quædam, & in iis Marcahi commentariolum in orationem Dominicam, vidi. Deus bone quam pædagogicum librum! Vidi & commentarium in Perſium, in quo [illegible] omnino [illegible]. Et ſi vellemus, ſcabiem illius perfricaremus. Sed non eſt tanti. Ego nihil quod in eo laudandum ſit video. Multi legunt, & tamen non eſt infelicius, inamœnius, incommodius ingenium. Sunt qui illum ſapere arbitrantur. Fruantur iudicio ſuo. Videtis quam raro plebeiis iſtis iudiciis credatur, quæ has ſordes admirantur. Sed valeant illa, cum iis quorum rationem habent. Iterum valete.

EPISTOLA CCCXIX.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Quanta me voluptate veſtræ literæ affecerint; poſſem & nunc vobis probare, niſi vltimis meis quas ad vos dedi, id abunde teſtatus eſſem: quas an acceperitis, volo me certiorem faciatis, tum vt conquieſcam quum intellexero vos eas accepiſſe, tum vt veſtra opera, quo in ſtatu res veſtræ ſint & ſtudia, intelligam. De Gloſſario veterum vobis autem vello: Poteſtis illi fructuoſæ operæ ſine vllo incommodo ſtudiorum veſtrorum operam dare, ſi quidem temporis aliquam partem de melioribus curis veſtris illi rei ſeponatis. Cauendum vobis diligenter, ne ſuſpicionem vllam

negotii eius, donec totum opus ad finem perduxeritis, emanare ſinatis. Inprimis per amicitiam noſtram vos obteſtor, vt mihi illud Alphabetum Indicum, quod ex Anglia nacti eſtis, & hiſtoriolam illius regionis, ab eodem Anglo conſcriptam mittatis, neque diu me deſiderio illius opuſculi tabeſcere velitis. Literas veſtras auide expecto. Multum me beabitis, ſi frequentiores accipiam. Patrem veſtrum, virum ornatiſſimum, verbis meis ſalutate. Valete. Lugduni Batauorum, VI. Eid. Decemb. Iuliani.

EPISTOLA CCCXX.

CAROLO & PETRO LABBÆIS. Quid cauſæ dicam, cariſſimi, quod nullas à vobis literas accepi, qui binas ad vos dedi? Silentii veſtri diuturni cauſam quam aliam præter occupationes veſtras putem eſſe? in quibus tamen tempus aliquod ſcribendo excipere poteſtis, vt ſaltem ſi non longiores, tamen aliquas à vobis accipiam. Quæro, quo in ſtatu labor à vobis inſtitutus, ſit, Gloſſarium dico. quod incepiſſe arduum, deſerere ignauum, abſoluere glorioſum. Itaque ſi qua mala mora tam fructuoſo operi obiecta eſt, omnino expugnanda eſt, & ad penſum redeundum. Sine vllo ſtudiorum veſtrorum detrimento, quotidie aliquid de illo delibare poteſtis. Ex paruarum enim rerum collectione, progreſſu temporis magnus tandem fit aceruus. quemadmodum ex paruis momentis, magna nihil pene ſentientibus fit acceſſio. Ceterum literarum deſiderium ferre diutius non poſſum. Si in vobis officium ſcribendi ceſſat, crebris vos expoſtulationibus, vt nullus latebræ aut excuſationi locus relinquatur, vlciſcar. Neque ſolum literarum à vobis exigo officium, ſed & ſi quid dignum cognitu interuenit, eius vt participes nos faciatis. ſeria, ioca, bona, mala ſcribatis. Nam ea vera literarum familiarium ſeges eſt. quæ nul-

Digitized by Google

nullius laboris ſcribenti, recipienti autem ſummæ voluptati eſt. Meus Euſebius, poſtquam Notas, quæ difficultatibus multis exercitum me habent, abſoluero, multis partibus auctior prodibit. Valete, & ornatiſſimum atque ampliſſimum patrem veſtrum à me ſalutare. Lugduni Batauorum XVII. Calend. Ianuarii Iuliani cIɔ Iɔc II.

EPISTOLA CCCXXI.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Binas quas ad vos dedi, an acceperitis, dubito; & vt dubitem, faciunt tuæ, quas poſtremas accepi, Carole. Fac quamprimum ſciam, vtrum vobis illæ redditæ ſint; tum & an conſilium de Gloſſario abieceritis, aut potius, (quod vnice deſidero) ſtrenue negotium hoc vrgeatis. Nihil eſt quod magis è re veſtra, magis è publica, literarum ſit. Si quid momenti preces noſtræ habent, illas quoque alacritati illi veſtræ adiungo, quam vos ſuſcipiendo huic labori olim impendebatis, & quam deſtituere nunc vobis integrum non eſt. In prioribus quas ad vos ſcripſi, rogabam vt illius Iſagoges linguæ Indicæ, vna cum interpretatione Anglica copia nobis fieret. Cur ego tanto, tam expectato bono, præſertim, cuius mihi ſpem feciſtis, careo? Per amicitiam vos oro, ne mihi fructum hunc, cuius ferre deſiderium non poſſum diutius, inuideatis. Si me amatis, neque illo me fraudabitis, neque committetis, vt non crebras à vobis accipiam. Valete. &, niſi graue eſt, ornatiſſimum & ampliſſimum patrem veſtrum meis verbis ſalutate. Lugduni Batauor. IV. Nonas Aprilis Iuliani cIɔ Iɔc II.

EPISTOLA CCCXXII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Hauete, meum cariſſimum par fratrum. Veſtræ vna cum Indiculo vo-

[illegible] Indicarum [illegible] ; quod [illegible] vobis ego gratias. Sed literæ nõ Indicæ ſed Turcicæ ſunt, cuiuſmodi à nautis noſtris multæ ex Moluccis huc delatæ ſunt. Quamuis enim ; [illegible] Mohammedani, qui hæc loca inualuerunt, Mauri [illegible] non pauci tamen ex dynaſtis illis Turcæ ſunt. Gloſſarium Græcobarbarum non eſt [illegible] aſſis. A [illegible] linguæ Græcæ homine Latino, [illegible] auorum noſtrorum [illegible] eſt. Remittam vobis, vbi e[illegible] ſit commodum. [illegible] co. Quid in veſtro effeceritis, expecto. quod & cum fructu legetur, & cum admiratione excipietur, ſi [illegible] de conſilio veſtro, priuſquam opus emiſeritis, non [illegible] luerit. Hæc vobis, occupatiſſimus ſcribebam. Quum per [illegible] has licebit prolixe vos accipiam. neque patiar longiores vos à me deſiderare. Valete, & ornatiſſimum amplisſimumque Patrem veſtrum meo nomine ſalutate. Lugduni Batauor. VII. Cal. Maias Iulianas CIƆ IƆC II.

EPISTOLA CCCXXIII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Iam diu eſt, amici, poſtquam accepiſſe me Alphabetum Indicum vobis ſignificaui. In quo ſpes mea fefellit me. Nam, vt recte iudicatis, literæ ſunt Turcicæ, non Indicæ. Tamen & labor veſter & animus erga me veſter, grata mihi ſunt. Multi in Malauar, in Moluccis, in Iaua, cæteriſque Inſulis, Turcæ dynaſtæ ſunt. Quare literis Arabicis vtuntur, quamuis ſermo ſit Indicus. Et aliquot eorum diplomata lingua Turcica, charactere Arabico vidi ; qui [illegible] Mohammedanis communis eſt. Sed ex literis quas ad me ſcribis, Carole, meas literas ad vos nõ perueniſſe cognoui. Itaque perfidiam hominum, qui nihil [illegible] quæ [illegible] ſtiſſime promittunt, præſtant, ſatis [illegible] non poſſum ; quia nobis tamen tanta pertinacia literas [illegible]

Digitized by Google

vt, niſi dentur, ſibi fieri iniuriam existiment. non alio ſcilicet animo officium ſcribendi à nobis exprimunt, quam vt non reddant noſtras. Gratias, Carole, de libello Albigenſium ago. Diu eum vltro quæſiui. Itaque hoc me munuſculo beaſti. Chanierus quædam de Albigenſibus ſub prælo habuit. Sed præſtare omnia quæ de illorum geſtis pollicebatur, deſtitutus ſcriptoribus illorum temporum non potuit. De Gloſſario Græco-latino quod ad me miſiſtis, poſtremis literis, eſſe hominis Latini, memoria proauorum noſtrorum naſcente in occidentis partibus cum primum Helleniſmo, nuper ad vos ſcripſi. Itaque vnius aſſis non eſt. Quum primum potero remittam. Sed cauete quicquam in Gloſſarium veſtrum ex eo contribuatis. Itaque in incepto veſtro pergite. Nunquam operæ tam bene nauatæ vos pœnitebit. Valete, chariſſimi. Lugduni Batauorum, III. Calend. Iuni Iuliani cIↄ Iↄc II. Ornatiſſimum patrem veſtrum meis verbis, niſi graue eſt, ſalutate.

Epiſtola CCCXXIV.

Carolo & Petro Labbæis. Quantũ ex poſtremis tuis, Karole, colligere poſſum, neq; omnes meæ vobis redditæ ſunt, neq; ego omnes veſtras accepi. Equidem binas à te eodẽ tempore accepi. quæ quia recentiſſimæ ſunt, ideo poſtremas omnium eſſe arbitror. Meas omnes ad vos peruenisse plurimi noſtra intererat. mea quidem, vt perſpectã haberetis diligentiam meam: veſtra, vt, de quæſitis, à me vobis ſatisfieret. Sed quãti referebat vos eas accepiſſe, tantum doleo vobis redditas non eſſe. Iamdudum non ſemel vobis ſignificaui me Indicẽ Alphabetum accepiſſe, & quid mei de eo iudicii eſſet, non prætermiſi. Literæ enim ſunt Turcicæ, vt tu, Karole, non ſolum recte indicaſti, ſed & luculẽter expreſſiſti: vt mihi videaris

Arabice aut Turcice ſcire. Quod ſi charactere Indico conceptum fuiſſet, magnus inde ad me & ad alios fructus redundaſſet. Beaſtis me tamen, ô chariſſimum par fratrum, quod tam amanter quicquid huius habebatis, nobiſcum communicatum eſſe voluiſtis: eoque nomine maximas vobis gratias ago. De Gloſſario Græco-barbaro quod ad me miſiſtis, vna opera vtriſque literis reſpondeo, eum librum non eſſe pauci. Scriptum enim eſt inter initia Helleniſmi, memoria patrum aut auorum, naſcentibus iam tum primum literis Græcis in Italia & Gallia. Cuiuſmodi eſt Gloſſarium illud quod veteribus Lexicis adiunctum eſt; ex interpretationibus Gazæ & Hermolai Barbari aliorumque doctorum virorum collectum. Ille liber nulli vſui vobis eſſe poteſt. & ſi aliqua gratia apud vos valeo, auctor ſum, ne vnquam oculos in illum coniiciatis. Mittam autem vobis, quum nactus fuero, cui recte dem. Gratum eſt, Karole, deſudare te in tuo ſtudio, neque defatigari. Gloſſarium dico, iam à vobis inſtitutum, quod ſi ad pedem elaboraueritis, quanta gloria hinc ad vos, quantus ad omnes fructus emanabit! Nolite dubitare. Ego magnam ſpem cõcipio de veſtro palmario, quod ab omnibus ſtudioſis debetur vobis, ab eruditis deferetur. Gratulor autem vobis de Variis Lectionibus, quas beneficio Nicol. Rigaltii nacti eſtis. illa enim acceſsio dupliciter commẽdari meretur, & quod vobis animos addet ad pergendum, & quod inſtituto operi nõ mediocre ornamentum erit. Quod vero quædam occurrunt in illis, quæ nuſpiam leguntur, ea potius rara, quam deprauata eſſe cenſenda ſunt: quale illud, *Adionica*. ῥάβδος σφενδαμνίνη. Nam non ſolum rarum eſt, imo inauditum, τὸ *adionica*, ſed etiam latet quædam antiquitatis cognitio ex τοῦ ῥάβδος σφενδάμνινος. Vt enim ignoro quis veterum [illegible] arborem *adionam*, vnde *adionicum* formatum ſit, dixerit: ita cui vſui acerna virga fuerit, fateor me neſcire, nec

multa

multa eiuſmodi extant in illis Gloſſariis, quorum ratio tantiſper ignorabatur, donec occurrant apud aliquem ſcriptorem aut expreſſa aut deprauata, quemadmodum iam non ſemel accidit. Quod ſi ex vulgari editione, in qua præpoſtero ordine voces ſæpe poſitæ ſunt, quotidie tantos fructus percipimus, quantum emolumenti ſperandum ex illa, quam adornatis, in quo omnia ordini ſuo reſtituta erunt, cum emendationibus & acceſſione non vulgari. Itaque vtrique noſtrum licet gloriari; mihi, quod primus auctor vobis fui, animoſque ad opus illud inſtituendum feci; vobis, quod neque magnitudo operis, & inexhauſtus labor, à propoſito vos deterruit, neque difficultas multarum rerum, quæ paſſim occurrunt, ſtudium minuere, aut ardorem retundere potuit. Pergite ergo. Quum poſt vos tam longe carceres reliqueritis, metam non attingere, neque honeſtum eſt, neque tam arduo inſtituto conueniens. Sed vos hortari, eſt de alacritate veſtra dubitare. Nolo diffidere indoli veſtræ, quæ iam olim mihi perſpecta eſt: neque induſtriæ, cuius ſpecimen in literis veſtris facitis. Hoc tantum oro, vt quantum in vobis erit, non antea inceptum opus dimittatis, quam ad exitum perducatis. Valete: & Patrem veſtrum, virum ampliſſimum, nomine meo ſalutate. Lugduni Batauorum. VI. Kal. Auguſti Iuliani CIↃ IↃC II. Gratias ago de Decreto in Pœnitentiarios; qui vtinam ita exularent ab omni Aquitania, vt à veſtra vrbe. Sed Senatus Burdigalenſis vult videri ſapere ſupra Pariſienſem.

EPISTOLA CCCXXV.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Quum eſſem nuper Hagæ, veſtræ literæ mihi redditæ ſunt. Quid cauſæ eſſe putem, quod meas non acceperitis, comminiſci non queo; niſi quod hoc eſt fatum meum, vt occupatior ſim

ego ſcribendis literis, quam vos accipiendis. Et quamuis magno temporis diſpendio maximam partem vitæ ſcribendis Epiſtolis teram, tamen nihil aliud quam expoſtulationes ab amicis accipio, quibus vnam tantum excuſationem adferre poſſum, non teneri eo quod extra meam culpam accidit. Scripſi, & literas non acceperunt. Iure expoſtulaſtis. & præclare mecum agitur, ſi de incuria, quæ vobis ſit, expoſtulatis, non de ea quam vobis [illegible] quæ nulla eſt. Chronicon Cuiacii, & alios libellos, me accepiſſe iamdudum teſtatus ſum illis literis, quas non magis doletis nullas accepiſſe, quam ego queror periiſſe. Superioribus diebus ad vos iterum literas dedi Puteanis. Illæ recte curabuntur, certo ſcio. Illæ Gloſſæ Placidi non magni momenti ſunt, de quibus mecum agis poſtremis tuis, Carole. Poterunt tamen ſine fraude ad calcem magni lexici ſubiici: ſed ſelectiores, non omnes. In Gloſſarii autem Græco-latini, & Latino-græci ciuitatem non ſunt admittendi ſcriptores proletarii, ſed claſſici. Ego à vobis tandiu hoc penſum exigam, donec diligentia veſtra flagitationi meæ omnem viam intercludat. Valete. Lugduni Batauorum. III. Nonas Ianuarii Iuliani CIƆ IƆC III.

EPISTOLA CCCXXVI.

CAROLO & PETRO LABBÆIS. Quam me ſolicitum habuerit ſilentium veſtrum, ex illis, quas pridie[illegible] ad vos nudius-tertius dedi, perſpicere potuiſtis. Eodem tempore, quas pridie Nonas Iunii ad me ſcripſiſtis accepi, & vbi illæ hæſerint, & quod ſpatium illas moratum ſit in itinere, ſatis mirari non poſſum. Decimo enim menſe poſtquam datæ ſunt, ad me peruenerunt, vt pri[illegible] illas parturiiſſe videmini. Tantum enim temporis geſtando vtero mulieri datum eſt. Adiunctum erat Hipponacteum

Digitized by Google

nactum præconium ἐκ τῆς ἐπαινετῆς ἐμφιλοσοφῶν. Sed il-
lud ego iampridem acceptum Rupellæ excuſſum legeram.
Gratias tamen ago diligentiæ veſtræ ſimul, & ſtudio erga
me. Videtur enim tunc à vobis deſcriptum, quando non-
dum prælo commiſſum erat. Obſeruationes in Iſidorum
oblectarunt ſimul & iuuerunt me atq; vtinam eiuſmodi
epulis me ſæpius exciperetis: conuiuam paratum ſemper
haberetis. quod etiam de Gloſſis Cyrilli dictum velim.
Ex quibus poteritis meliora ſeligere ad opus veſtrum
inſtruendum: quod quos progreſſus fecerit, & quid de
eo nobis ſperandum ſit, oro vos certiorem me faciatis.
Quantum enim laudis eſt in incepto, tantum culpæ eſt
in omiſſione. Sed, ſi bene noui gnauitatem veſtram, me-
liora ſpero de hoc negotio. neque fruſtra me hoc mihi de
vobis perſuaſiſſe, vos dabitis operam; & ego non diffi-
dam ſedulitati veſtræ, quotidieque aliquid vos illi operi
accudere credo. Liber Turcicus quoque vos mihi reddi-
tus eſt: cuius ſermonis ignarus ſum. Sed tamen habebo
illum ἐν κειμηλίοις propter vos, neque ingratus hoſpes re-
liquis noſtris Orientalibus erit. Valete. Lugduni Bata-
uorum. Dominica ante Paſcha. cIↃ IↃc III.

EPISTOLA CCCXXVII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Ego vobis omnem
querelæ cauſſam præcidere volui, neque committe-
re, vt de ceſſatione mea expoſtulare poſſetis. Sat enim a-
nimo meo acceptum eſt, vobis teſtatum relinquere,
quanti ego literas faciam veſtras, quantamq; mihi negli-
gentiam conſciſcerem, ſi quantum mihi liceat, ad vos
creberrimè non ſcriberem, quod quotidie facio. & ve-
reor ne quædam literę meæ interciderint, vt vobis negli-
gentior videri poſſim; non quod vobis non ſcripſerim,
ſed quia meas non acceperitis. Quum igitur ad me
ſcri-

quorum pretium non addidiſtis, vt illi, qui illos mihi tradidit, perſoluerem? Itaque, ſi me amatis, quamprimum, quantum mihi pro illis ſoluendum ſit, ſcribite. Scitis enim quam inuitus æs alienum faciam. Scitis meam in debitis luendis ſollicitudinem. Quoties vobis teruii, lectulum meum omni debito ſolutum me excipere? Itaque me diutius habere in ære veſtro nolite. Amicos enim volo, non creditores. Librarii Pariſienſes (vt mihi ſignificabant Puteani) reliquum de catalogo à nobis confecto miſſuros ſe minabantur. Sed plane illudunt nobis. Equidem vt illorum negligentiam vlciſcar, nihil, priuſquam mihi ſolidum catalogum curauerint, ſoluere decreui. Tenuitatem Bibliothecula meæ ſcitis: quæ tamen pretio ſummas Bibliothecas, quarum illis numero longe inferior ſit, æquat. Gloſſarium vobis commendo. Sed cauete, priuſquam res ad vmbilicum perducta fuerit, verbum aut ſuſpicionē de toto negotio hoc emittatis. Quanto ornamento hoc inceptum vobis futurum ſit, ſcitis, ſi quantæ vtilitati ſtudioſis erit, non ignoratis. Sed quod tu, Carole, περὶ τοῦ πιλοβάτου ſciſcitaris; tam ignoro, quam ſcio plumarium, non πιλοβάτην, ſed ποικιλτὴν eſſe. Scitis autem quam multa perperam a Græculis Latina redduntur, quæ tamen ideo negligenda non ſunt. Nam quamuis plumarius non eſt πιλοβάτης, tamen πιλοβάτης eſt aliquid. quod ſi non eſſet, à gloſſographis poſitum non fuiſſet. Sed de hoc amplius deliberandum; quemadmodum & de ænigmate, de quo videro. Sed tu, Petre, ſaliuam mihi de libello Indico Malauaricæ linguæ, vna cum dictionario illius ſermonis, mouiſti. Vtinam miſiſſes mihi! Sed quid conqueror non miſſum? Oro, atque adeo efflagito, vt ad me quamprimum mittatur. Fac igitur, & vide, vt optime pictæ ſint literæ; earum enim cauſa præcipue mitti mihi volo. Si mihi crebriores mittatis, tunc credam Senis gratiam non periſſe. Ego quidem officium literæ.

Digitized by Google

literarum non feceram. Valete. Patrem veſtrum, virum optimum illum meis verbis ſalutate. Lugduni Batauor. vi. Calend. Nouembr. Iuliani cIↃ IↃc I.

Poſtquam hæc ſcripſi, librorum Hebraicorum, quos curioſius mihi videris, in mentem mihi venit. In iis eſt Ioſeph Ben Gorion, in Italiam Gracobiæ editus. Nam editum eum Munſteri Baſilienſem prorſus reiicimus. Cosbon Italiam ... Concordantiæ Hebraicæ Bibliorum. Venetæ. Magnificetem hos primus omnium nancisci. Cæterum deſideramus a quibus legam. Abortiua quædam, & in iis Marcelli commentariolum in orationem Dominicam, vidi. Deus bone quam pædagogicū librum! Vidi & commentarium in Perſium, in quo ... ſi vellemus, ſcabiem illius perfricaremus. Sed parcendum tamen. Ego nihil quod in eo laudandum ſit video. Multa legit, & tamen non eſt infelicius, inamœnius, incomptius ingenium. Sunt qui illum ſapere arbitrantur. Fruantur iudicio ſuo. Videtis quam tuto plebeiis iſtis iudiciis credatur, quæ has ſordes admirantur. Sed valeant illa, cum iis quorum rationem habent. Iterum valete.

EPISTOLA CCCXIX.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Quanta me voluptate veſtræ literæ affecerint, poſſem & nunc vobis probare, niſi vltimis meis quas ad vos dedi, id abunde teſtatus eſſem: quas an acceperitis, volo me certiorē faciatis, tum vt conquieſcam quum intellexero vos eas accepiſſe: tum vt vna opera, quo in ſtatu res veſtræ ſint & ſtudia, intelligam. De Gloſſario iterum vobis aurem vello. Poteſtis illi fructuoſæ operæ ſine vllo incommodo ſtudiorum veſtrorum operam dare, ſi quidem temporis aliquam partem de melioribus curis veſtris illi rei ſeponatis. Cauendum vobis diligenter, ne ſuſpicionem vllam

negotii eius, donec totum opus ad finem perduxeritis, [illegible] finaritis. Inprimis per amicitiam noſtram vos obteſtor, vt mihi illud Alphabetum Indicum, quod ex Anglia nacti eſtis, & hiſtoriolam illius regionis, ab eodem Anglo conſcriptam mittatis: neque diu me deſiderio illius opuſculi tabeſcere velitis. Literas veſtras valde expecto. Multum me beabitis, ſi frequentiores accepero. Patrem veſtrum, virum optimum, [illegible] meis ſalutate. Valete. Lugduni Batauorum, vi. Eid. Decemb. Iuliani.

EPISTOLA CCCXX.

CAROLO & PETRO LABBEIS. Quid cauſæ dicam, cariſſimi, quod nullas à vobis literas accepi, qui binas ad vos dedi? Silentii veſtri diuturni cauſam quæro aliam præter occupationes veſtras [illegible] tamen tempus aliquod ſcribendo eripere poteſtis: vt ſaltem ſi non longiores, tamen aliquas à vobis accipiam. Quæro, quo in ſtatu labor à vobis inſtitutus ſit: Gloſſarium dico. quod incepiſſe arduum, deſinere ignauum, abſoluere glorioſum. Itaque ſi qua mala mora tam fructuoſo operi obiecta eſt, omnino expugnanda eſt, & ad [illegible]. Sine vllo ſtudiorum veſtrorum detrimento, quotidie aliquid de illo delibare poteſtis. Ex paruarum enim rerum collectione, progreſſu temporis magnus tandem fit aceruus. quemadmodum [illegible], magna nihil pene ſentientibus [illegible] acceſſit. Cæterum literarum deſiderium ferre diutius non poſſum. Si in vobis officium ſcribendi ceſſat, crebris vos expoſtulationibus, vt nullus latebræ aut excuſationi locus relinquatur, vlciſcar. Neque ſolum literarum à vobis expecto officium, ſed & ſi quid dignum cognitu inter vos euenit, eius vt participes nos faciatis [illegible], bona, mala ſcribatis. Nam ea vera literarum familiarium leges eſt, quæ nihil-

nullius laboris ſcribenti, recipienti autem ſummæ voluptati eſt. Meus Euſebius, poſtquam Notas, quæ difficultatibus multis exercitum me habent, abſoluero, multis partibus rediuiuus prodibit. Valete. & ornatiſſimum atque ampliſſimum patrem veſtrum à me ſalutate. Lugduni Batauorum XVII. Calend. Ianuarii Iuliani CIↃ IↃC II.

EPISTOLA CCCXXI.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Binas quas ad vos dedi, an acceperitis, dubito: & vt dubitem, faciunt tuæ, quas poſtremas accepi, Carole. Fac quamprimum ſciam, vtrum vobis illæ redditæ ſint; tum & an conſilium de Gloſſario abieceritis, aut potius, (quod vnice deſidero) ſtrenue negotium hoc vrgeatis. Nihil eſt quod magis è re veſtra, magis è publica, literarum ſit. Si quid momenti preces noſtræ habent, illas quoque alacritati illi veſtræ adiungo, quam vos ſuſcipiendo huic labori olim impendebatis, & quam deſtituere nunc vobis integrum non eſt. In prioribus quas ad vos ſcripſi, rogabam vt illius Iſagoges linguæ Indicæ, vna cum interpretatione Anglica copia nobis fieret. Cur ego tanto, tam expectato bono, præſertim, cuius mihi ſpem feciſtis, careo? Per amicitiam vos oro, ne mihi fructum hunc, cuius ferre deſiderium non poſſum diutius, inuideatis. Si me amatis, neque illo me fraudabitis, neque committetis, vt non crebras à vobis accipiam. Valete. &, niſi graue eſt, ornatiſſimum & ampliſſimum patrem veſtrum meis verbis ſalutate. Lugduni Batauor. IV. Nonas Aprilis Iuliani CIↃ IↃC II.

EPISTOLA CCCXXII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Hoc eſt, meum cariſſimum par fratrum. Veſtræ vna cum Indiculo vo-

cum Indicarum mihi redditæ ſunt: quo nomine magnas vobis ago gratias. Sed literæ nõ Indicæ ſed Turcicæ ſunt, cuiuſmodi à nautis noſtris multæ ex Moluccis huc deferuntur. Quamuis enim plurimi Muhammedani, qui hæc loca inualerant, Mauri ſunt; non pauci tamen ex dynaſtis illis Turcæ ſunt. Gloſſarium Græcolatinum non eſt vobis aſſis. A tirone linguæ Græcæ, homine Latino, memoria auorum noſtrorum ſcriptum eſt. Remittam vobis, vbi erit commodum. Eius autem vſu omnino vobis [illegible]. Quid in veſtro effeceritis, expecto. quod & cum fructu legetur, & cum admiratione excipietur, ſi [illegible] de conſilio veſtro, priuſquam opus emittatur, non obo[illegible]uerit. Hæc vobis, occupatiſſimus ſcribebam. Quum per curas has licebit prolixe vos accipiam. neque patiar longiores vos à me deſiderare. Valete, & ornatiſſimum ampliſſimumque Patrem veſtrum meo nomine ſalutate. Lugduni Batauor. VII. Cal. Maias Iulianas cIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCXXIII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Iam diu eſt, amici, poſtquam accepiſſe me Alphabetum Indicum vobis ſignificaui. In quo ſpes mea fefellit me. Nam, vt recte iudicatis, literæ ſunt Turcicæ, non Indicæ. Tamen & labor veſter & animus erga me veſter, grata mihi ſunt. Multi in Malauar, in Moluccis, in Iaua, cæteriſque Inſulis, Turcæ dynaſtæ ſunt. Quare literis Arabicis vtuntur, quamuis ſermo ſit Indicus. Et aliquot eorum diplomata lingua Turcica, charactere Arabico vidi: qui omnibus Muhammedanis communis eſt. Sed ex literis quas ad me ſcribis, Carole, meas literas ad vos nõ perueniſſe cognoui: itaque perfidiam hominum, qui nihil eorum quæ ſanctiſſime promittunt, præſtant, ſatis mirari non poſſum: qui vobis tamen tanta pertinacia [illegible]

vt, niſi dentur, ſibi fieri iniuriam exiſtiment, non alio ſcilicet animo officium ſcribendi à nobis exprimant, quam vt non reddant noſtras. Gratias, Carole, de libello Albigenſium ago. Diu iſtum quæſiui. Itaque hoc me munuſculo beaſti. Chamierius quædam de Albigenſibus ſub prælo habuit. Sed præſtare omnia quæ de illorum geſtis pollicebatur, deſtitutus ſcriptoribus illorum temporum non potuit. De Gloſſario Græco-latino quod ad me miſiſtis, poſtremis literis, eſſe hominis Latini, memoria proauorum noſtrorum naſcente in occidentis partibus tum primum Helleniſmo, nuper ad vos ſcripſi. Itaque vnius aſſis non eſt. Quum primum potero remittam. Sed cauete quicquam in Gloſſarium veſtrum ex eo contribuatis. Itaque in incepto veſtro pergite. Nunquam operæ tam bene nauatæ vos pœnitebit. Valete, chariſſimi. Lugduni Batauorum. III. Calend. IunI IulianI cIↄ Iↄc II. Ornatiſſimum patrem veſtrum meis verbis, niſi graue eſt, ſalutate.

EPISTOLA CCCXXIV.

CAROLO & PETRO LABBÆIS. Quantũ ex poſtremis tuis, Karole, colligere poſſum, neq; omnes meæ vobis redditæ ſunt, neq; ego omnes veſtras accepi. Equidem binas à te eodẽ tempore accepi, quæ quia recentiſſimæ ſunt, ideo poſtremas omnium eſſe arbitror. Meas omnes ad vos perueniſſe plurimi noſtra intererat. mea quidem, vt perſpectã haberetis diligentiam meam: veſtra, vt, de quæſitis, à me vobis ſatisfieret. Sed quõ referebat vos eas accepiſſe, tantum doleo vobis redditas non eſſe. Iamdudum non ſemel vobis ſignificaui me Indiciũ Alphabetum accepiſſe, & quid mei de eo iudicii eſſet, non prætermiſi. Literæ enim ſunt *Turcicæ*, vt tu, *Karole*, non ſolum rectè iudicaſti, ſed & luculentèr expreſſiſti, vt mihi videaris

Arabice aut Turcice ſcire. Quod ſi charactere Indico exceptum fuiſſet, magnus inde ad me & ad alios fructus redundaſſet. Beaſtis me tamen, ô chariſſimum par fratrum, quod tam amanter quicquid harum habebatis, nobiſcum communicatum eſſe voluiſtis: eoque nomine maximas vobis gratias ago. De Gloſſario Græco-latino quod ad me miſiſtis, vna opera vtriſque literis reſpondi, eum librum non eſſe nauci. Scriptum enim eſt à tirone Helleniſmi, memoria patrum aut auorum, naſcentibus iam tum primum literis Græcis in Italia & Gallia. eiuſdemmodi eſt Gloſſarium illud quod veteribus Lexicis adiunctum eſt, ex interpretationibus Gazæ & Hermolai Barbari aliorumque doctorum virorum collectum. Ille liber nulli vſui vobis eſſe poteſt. & ſi aliqua gratia apud vos valeo, auctor ſum, ne vnquam oculos in illum coniiciatis. Mittam autem vobis, quum nactus fuero, cui recte dem. Gratum eſt, Karole, deſudare te in tuo ſtudio, neque defatigari. Gloſſarium dico, iam à vobis inſtitutum. quod ſi ad pedem elaboraueritis, quanta gloria hinc ad vos, quantus ad omnes fructus emanabit! Nolite dubitare. Ego magnam ſpem côcipio de veſtro palmario, quod ab omnibus ſtudioſis debetur vobis, ab eruditis defertur. Gratulor autem vobis de Variis Lectionibus, quas beneficio Nicol. Rigaltii nacti eſtis. illa enim acceſſio dupliciter commêdari meretur, & quod vobis animos auget ad pergendum, & quod inſtituto operi nō mediocre ornamentum erit. Quod vero quædam occurrunt in illis, quæ nuſpiam leguntur, ea potius rara, quam deprauata eſſe cenſenda ſunt, quale illud, *Adionica*, ῥάβδος σφενδάμνινος. Nam non ſolum rarum eſt, imo inauditum, *Adionica*, ſed etiam latet quædam antiquitatis cognitio in ῥάβδος σφενδάμνινος. Vt enim ignoro quis veterum aceream arborem *adionam*, vnde *adionicum* ſolummodo ſit, dixerit, agrimica cui vſui acerna virga fuerit, fateor me neſcire. ac

multa

multa eiuſmodi extant in illis Gloſſariis, quorum ratio tantiſper ignorabitur, donec occurrant apud aliquem ſcriptorem aut expreſſa aut deprauata, quemadmodum iam non ſemel accidit. Quod ſi ex vulgari editione, in qua præpoſtero ordine voces ſæpe poſitæ ſunt, quotidie tantos fructus percipimus, quantum emolumenti ſperandum ex illa, quam adornatis, in quo omnia ordini ſuo reſtituta erunt, cum emendationibus & acceſſione non vulgari. Itaque vtrique noſtrum licet gloriari: mihi, quod primus auctor vobis fui, animoſque ad opus illud inſtituendum feci; vobis, quod neque magnitudo operis, & inexhauſtus labor, à propoſito vos deterruit, neque difficultas multarum rerum, quæ paſſim occurrunt, ſtudium minuere, aut ardorem retundere potuit. Pergite ergo. Quum poſt vos tam longe carceres reliqueritis, metam non attingere, neque honeſtum eſt, neque tam arduo inſtituto conueniens. Sed vos hortari, eſt de alacritate veſtra dubitare. Nolo diffidere indoli veſtræ, quæ iam olim mihi perſpecta eſt; neque induſtriæ, cuius ſpecimen in literis veſtris facitis. Hoc tantum oro, vt quantum in vobis erit, non antea inceptum opus dimittatis, quam ad exitum perducatis. Valete: & Patrem veſtrum, virum ampliſſimum, nomine meo ſalutate. Lugduni Batauorum. vi. Kal. Auguſti Iuliani cIↃ IↃc II. Gratias ago de Decreto in Pœnitentiarios; qui vtinam ita exularent ab omni Aquitania, vt à veſtra vrbe. Sed Senatus Burdigalenſis vult videri ſapere ſupra Pariſienſem.

EPISTOLA CCCXXV.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Quum eſſem nuper Hagæ, veſtræ literæ mihi redditæ ſunt. Quid cauſæ eſſe putem, quod meas non acceperitis, comminiſci non queo; niſi quod hoc eſt fatum meum, vt occupatior ſim

Digitized by Google

multum præconium τῆς ἐπιτομῆς τῆς ἐκφράσεως. Sed illud ego iampridem recens ex Rupellæ excuſum legeram. Gratias tamen ago diligentiæ veſtræ ſimul, & ſtudio erga me. Videtur enim tunc à vobis deſcriptum, quando nondum prælo commiſſum erat. Obſeruationes in Iſidorum oblectarunt ſimul & iuuerunt me. atq; vtinam eiuſmodi epulis me ſæpius exciperetis! conuiuium paratum ſemper haberetis. quod etiam de Gloſſis Cyrilli dictum velim. Ex quibus poteſtis meliora ſeligere ad opus veſtrum inſtruendum: quod quos progreſſus fecerit, & quid de eo nobis ſperandum ſit, oro vos certiorem me faciatis. Quantum enim laudis eſt in incepto, tantum culpæ eſt in omiſſione. Sed, ſi bene noui gnauitatem veſtram, meliora ſpero de hoc negotio. neque fruſtra me hoc mihi de vobis perſuaſiſſe, vos dabitis operam; & ego non diffidam ſedulitati veſtræ, quotidieque aliquid vos illi operi accudere credo. Liber Turcicus quoque vna mihi redditus eſt: cuius ſermonis ignarus ſum. Sed tamen habebo illum ἐν κειμηλίοις propter vos, neque ingratus hoſpes reliquis noſtris Orientalibus erit. Valete. Lugduni Batauorum. Dominica ante Paſcha. CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCXXVII.

CAROLO & PETRO LABBAEIS. Ego vobis omnem querelæ cauſſam præcidere volui, neque committere, vt de ceſſatione mea expoſtulare poſſetis. Sat enim animo meo acceptum eſt, vobis teſtatum relinquere, quanti ego literas faciam veſtras, quantumq; mihi negligentiam conſciſcerem, ſi quantum mihi liceat, ad vos creberrime non ſcriberem. quod & quidem facio. & vereor ne quædam literæ meæ interciderint, vt vobis negligentior videri poſſim; non quod vobis non ſcripſerim, ſed quia meas non acceperitis. Quum igitur ad me ſcri-

ſcribetis, inprimis facitote, vt ſciam quo in ſtatu opus veſtrum ſit, quod vobis toties iam commendaui. Nam niſi vitium aliquod interuenerit, aut mora, vix eſt, vt non prope affectum ſit. Ego ex veteri Latino Med. bilingui interprete hæc vobis ſelegi: [illegible] *ſeruura.* [illegible] *ſtupeſit.* [illegible]νιον, *linteum.* [illegible] *penicillum.* [illegible] *longe.* [illegible] πλάγια *latera.* ὄρχεις *teſticuli.* [illegible] *geſtatur.* Διαχινῆσαι *geſtari.* γλυκὺ *natiua.* [illegible] *pultes.* τὸ μύρ*ον* *egonium,* μήτηρ [illegible] [illegible] *noctua.* [illegible] *tabidum.* [illegible] *patella.* [illegible] ἡ τροφὸς *mamma.* [illegible] *ſponda.* [illegible] *lupina.* ἡ μήτηρ *locatura.* [illegible] *flocceſus.* [illegible] *lana.* Διαχινεῖν *ſella vel baſterna geſtari.* [illegible].* *cydo* *. Quædam extant in editis. Sed hæc non negligenda. Oro vos, niſi moleſtum eſt, quærite ex bono & docto adoleſcente municipe veſtro, qui Claudianum edidit, vnde illam Cereris peregrinationem habeat. Nam mihi inſpecta eſt. Proinde eximite hunc ſcrupulum mihi. Patrem veſtrum, virum ampliſſimum, à me ſalutate. Valete. Lugduni Batauorum. VII. Eid. Martii cIↄ Iↄc III.

EPISTOLA CCCXXVIII.

CAROLO LABBAEO *ſuo* S. Incredibili lætitia me affecerunt literæ tuæ, poſtquam ex illis intellexi, te ſupremam manum Gloſſario tuo impoſuiſſe. Quid enim mihi iucundius poteſt eſſe, quam, me, illud opus, cuius concinnandi tibi auctor, hortator atque impulſor fui, ad extremum perductum eſſe, intelligere, id eoque nobis & omnibus bonarum literarum ſtudioſis maximam vtilitatem, tibi vero immortalem gloriam comparaturum iri? Teſtor tibi, capere me gaudium non poſſe, &, vt verum tibi fatear, non tantum tibi, vt magni operis patratori, ſed & vt deſperati laboris victori gratulor. Verebar enim ne

moli

Digitized by Google

moli ſuccumberes. Quod quanto maiorem veniam merebatur, ſi ſequutus [illegible] ediſſe[illegible], tanto maiore dignus es gloria, qui tam periculoſa alea defunctus es. Iſte labor iter tibi ſternet ad maiora audendum: & quidem cum ea fiducia, quam augere ſolet nobis vſus & rerum experientia. Quod vero tuum opus mihi dicare decreuiſti, (non te celabo) non ſolum me indignum eo honore, ſed etiam parem inuidiæ me non fore ſentio, quam mihi excitabit nimius amor tuus, ac cultus, atque obſeruantia, quam κακόζηλοι homines ex affectu potius ſuo, quam ex tuo metientur. Oro te, ſumme amicorum, noli tanta onerare me inuidia, quam effugere non poſſim, ſi ſingulare tuum in me ſtudium intra anguſtiores fines non coerceatur. Hoc honore dignus eſt quidam ex proceribus illis, qui præſidio tibi aliquando futuri ſunt, qui te ope aut gratia iuuare, atque ad aliquod honorum culmen euehere poſſint. Multos eiuſmodi in Gallia inuenies. Aliquot tibi edere poſſem. Tu, qui illic es, plures, quam ego, noſti, vnde deligere poſſis, cui tantum vigiliarum tuarum monumentum dicare poſſis. Si Ampliſſimo viro Aug. Thuano dicaueris, & homini maximum honorem habebis, & tibi maximum amicum parabis, & mihi perinde gratum feceris, ac ſi ſub nomine meo liber ederetur. Magnitudo honoris, quo me afficis, & quo me indignum ſentio, facit vt illud decus cum pudore detrectem, & tamen nihilominus obſtrictus tibi ſim. Sed quantum ſuſtinendo tantæ gloriæ on[illegible] tantum referendæ gratiæ impotentem me eſſe fateor. Seu diſſuaſeris, ſeu non, ſemper in [illegible] ſententia maneo. Aut nouum [illegible] ſolum [illegible] ſpecimen, quod ſatis eſt ad me obligandum, ne aliunde quæras [illegible], quibus magis vna ibi [illegible] poſſis. Si fieri poteſt, oro te, vt illud opus ingratitudinis & [illegible] perſonæ nomine appareat. Tibi nouum amicum comparabis, me veteris

Digitized by Google

tuum veterem oblectabis. Vale. Lugd. in Batauonum Kal. Decemb. Iuliani cIↃ IↃc xii.

EPISTOLA CCCXXIX

CAROLO LABBAEO. Quum tuae mihi redditae fuerunt, adeo districtius eram [illegible] epistolis [illegible], vt ne ad cibum quidem capiendum [illegible]. [illegible] tamen hanc [illegible] [illegible] commodis [illegible], quum intelligeam te in [illegible] commendatione apud proceres Scotiae egere. Accepi preces tuas, sed modico mutatas. Non enim in parte [illegible] opportunum [illegible] commendatione ad Principem Scotiae aditu patet [illegible] Domino Thuano, manu ad ipsum deductum, quod sine tanto expeditius est, quam [illegible] quod per me non [illegible] bat, quando [illegible]. Commendaticias igitur ad Thuanum scripsi, quas tu ipse reddes, ille, vt [illegible] ad [illegible] deducet. [illegible] tanti viri commendatione [illegible] euenit, tunc ego [illegible]. [illegible] hac via longe optima [illegible] officii causa [illegible]. [illegible] annos libros, unum solum [illegible] Pictonas [illegible]. Tu quae [illegible] grauitatis. De tuo opere [illegible] dicendi, ad Thuanum scripsi. Gaudebit [illegible] quae [illegible] studio et Principi Scotiae commendabit. [illegible] semel [illegible] [illegible] ad [illegible]. [illegible] [illegible]. Vale. Lugduni Batauorum [illegible]

[illegible] Calend.

Digitized by Google

Calend. Maii Iulian. cIɔ Iɔc xv. Auctor tibi ſum, vt doctos homines tui ordinis amicos habeas, eoſq; omni officiorum genere proſequaris: in primis Nic. Rigaltium, ex cuius congreſſu quotidiano aliquid ſemper diſcere poteris. Eum, ſi graue eſt, meis verbis ſaluta.

EPISTOLA CCCXXX.

CAROLO LABBAEO. Prioribus literis tuis reſpondi, quas vna cum iſtis accipies. Quid ad illas adiungam, equidem neſcio. Nihil enim noui habebam. Papyropolæ abunde ſcribo. Vtinam tam poſſem iuuare, quam aut ego cupio, aut ille de re publica eſt meritus. Occupationes meæ non ſinunt me hanc illi operam dare. Quum hac catenata negotia ſolutus fuero, experiar quid eius gratia poſſim. Nihil enim vnquam negabo illis, qui omnes labores ſuos ad publicam vtilitatem conferunt. Gratum eſt mihi quod te in [illegible] forenſia con[illegible]. Qui iſti palæſtræ operam non dederant, fruſtra ſe ad Rempublicam gerendam conferunt. Vt poetæ fingunt vltimam Spem poſt omnes Deos terras reliquiſſe, ita hoc genus hominum doctorum ſoli poſt exilium literarum ſuperſunt: & quum illi defecerint, tunc ſumma barbaries terris incubabit. Iam res in præcipiti eſt. Propediem ruinam totius humanitatis ac bonorum ſtudiorum impendere video. Interea noli deeſſe tibi. Diſertis viris (quorum iſte locus feraciſſimus eſt) te applica: illos cole, & tibi & tuis [illegible]. Quum ad te ſcriberem, & occupatiſſimus eram, & typographo [illegible] iratus propter incuriam eius, & errorum ſegetem, quos in ſua editione ſparſit: quorum quum multos ſuſtulit, plures ab eo propagantur. De [illegible] Arnaldi Pontaci, Epiſcopi Vaſatenſis, quid iudicem [illegible], ex eius notis liquet, quarum nuper partem accepi. Doctus vir eſt.

eſt. Sed alia via graſſatur ac ego, neque vnquam vna concurremus. Exemplar luculentiſſimum a [illegible] viro clariſſimo ante annos DCCCC LXXVII. [illegible] ptum habeo. Petauiani codicis exemplum [illegible] Dn. Gilotius ſuppeditauit mihi XIII. [illegible] viſus. Quæ non [illegible] omnia enim deprauatiſſima ſunt. Aliud eſt inſtitutum meum, quod quidem in [illegible] editione ipſa intelligi non poſſit. Vale. Lugduni Batauorum CIↃ IↃC IV. Calend. Maii Iulian.

EPISTOLA CCCXXXI.

CAROLO LABBAEO. Quas [illegible] literas [illegible], non admodum recentes ſunt, nunc reſpondeo. Scriptæ enim ſunt ad diem VII. Calend. Iunii. Sed tamen non admodum magna vetuſtas eſt, ſi quidem ventum [illegible] ſpectamus. Iam enim menſes duos [illegible] Septentriones [illegible] aut Euri, per quos nobis ad vos, non vobis huc ſcribendi facultas datur. Ex libris quos ad me miſiſti [illegible] præter Legatum Othomanni & Centurias Collegii Sorbonici accepi: quorum quidem [illegible] per illum alterum [illegible] ſequatur, [illegible] quando Sorbona produxit coram Senatu [illegible] impudentes. Si vera eſt, quod [illegible] Vellem [illegible] Sorbonæ Senatus [illegible]. Nam mihi mira res videtur. Epiſtolam de [illegible] probare. Fabulam puto. Nemo de [illegible] reſpondere poteſt, niſi [illegible] poſſit. Eccere vbi illam Epiſtolam [illegible] viſa eſt [illegible]. De [illegible] quæſtio quid reſpondeam non habeo. [illegible] (neque [illegible]) [illegible] Caſaubonum [illegible] omnia [illegible]. Lexicon Latino-Arabicum [illegible]

longiore

longiorum ipſi, qui poſſident, tantum abeſt, vt ab alio, quam à ſe edi velint, vt vix vnius horæ vſuram impetrare me ab illis poſſe ſperem. Præterea, eſt in aliis partibus mutilum, & ſine notis edi non debet: & neſcio an vllus ſit, qui eas notas probe, atque vt res poſtulat, conficere poſſit. Iam tempus, vt tuum opus prodeat. Iterum te ampliſſimo Thuano illis literis, quas nunc ad eum do, commendo. Rurſus in iis, quas ad me ſcribit, operam daturum ſe pollicetur, vt fruſtra ſibi commendatus à me non videare. Puto, omnes libros, quos ad me miſiſſe ſcribis, apud Latium in Angliâ eſſe. Is vxorem ibi ducit, atque ea gratia pater eius in Angliam traiecit. Eum nouum ſponſum hic exſpecto, neque ante illos libros me accepturum ſpero. Effigiem meam longe meliorem & elegantiorem quam eæ ſunt, quas hic vidiſti, tibi curaui. Daniel Hagienſis pictor fecit. Non erat quod ſumptus à te factos Ionæ allegares. Ego, quamquam omnium pauperrimus, hoc tibi donaſſem. Frequentiores ad nos ſcribe. Felicem Galliam, quæ Patres Loiolitas in integrum reſtituit. Vale. Lugduni Batauorum, IIII. Eidus Iuni Iuliani CIƆ IƆC IV.

EPISTOLA CCCXXXII.

CAROLO LABBAEO. Omnes literas tuas vna cum libellis Gallicis & Præfationibus in Gloſſaria, accepi. Omnium nomine tibi gratias ago. Libellus Sauaronis de ſodalitatibus lepido vtitur argumento. Nam ibi nihil reperio præter epulones & choreas. De Præfationibus ſatis erit dicendi locus & tempus, antequam tua Gloſſaria lucem videant. Nam video te non minus anguſtiis rei typographicæ laborare, quam nos. Neq; propterea melius agetur tecum, poſtquam typographum na-

ctus fueris. Nihil enim eſt moleſtia illa, quæ in quærendo typographo idoneo interuenit, præſtilis; quas moras, intermiſſiones, compotationes dabunt. Nullum enim genus opificum intractabilius, proteruius, temulentius. Huius tædii quotidie periculum in meo Euſebio facio, qui quatuordecim ab hinc menſibus excuſus, adhuc in carceribus eſt. Ætas hominis opus eſt vt metas contingat. Itaq; antequam tua Gloſſaria has moras eluctentur, ſatis temporis, vt dixi, habebimus: tu addendi, & corrigendi, ego monendi. Quod de meo diuturno ſilentio quereris, ſi literarum mearum deſiderio facis, ignoſco; ſin tibi lentus videor, & occupationes meæ & difficultates in hominibus idoneis inueniendis, quibus literas meas recte dem, ignoras. Nam certum eſt me tabellariis publicis nullas dare, qui nõ niſi poſt multum temporis, poſtquam datæ ſunt, reddunt, & poſtquam ad manus eorum, quibus ſcribuntur, peruenerint, immane pretium extorquent. Quare moneo te, ſi quid habes, quod ad nos curatum velis, ſiue literarum ſiue libellorum, id vt tecum apud te ſerues, donec amicum aut notum repereris, cui tuto illa des; neque tuas literas illis publicis nunciis, ſiue potius vulturibus, tradas. Satis mihi explorata eſt amicitia tua. De hoc nunquam dubitaui. Tu vero, ſi ſerius quam poſtulas, à me literas accipis, aut in bonam partem accipe, ſi viuo; aut excuſa, ſi mortuus fuero. Nam quandiu viuam, non committam, vt à me officium ſcribendi exigas. modo ſcias illud non celeritate, ſed opportunitate metiendum eſſe. De tua ad nos profectione proximo vere inſtituenda, amo te. De Baudii & Wouverii querelis quo minus curem, maiores curæ faciunt, quæ me ad hæc leuiora animum traducere non ſinunt. Satis ſit tibi, ſi tuas literas nemini communicaui. Sed quod emanauit ad Wouverium, aliunde prodiit, & à nobis ſciri poterit. Verſus in Oſtendam ſtulti-

ſimi

mihi peſſimo omnium poetæ attribuuntur. Sunt enim Hugonis Grotii. Beabit nos filius Florentis Chriſtiani de editione Ariſtophanis. Sed à me ad eam iuuari neque poteſt; quia nihil à me in eum poetam lucubratum eſt: neque debet, quia nullius ope indiget, modo Scholia recte ediſcantur. Apage monachalem Grammaticum poetam, quem ad me miſiſti. Ad ſpurcos viros cum ſeruã. Saluta à me & parentem tuum & fratrem. Tu quoque vale. Lugduni Batauorum. VIII. Eid. Octobris Iuliani CIↃ IↃC IV. Quamuis te effigiem meam accepiſſe non ſcribis, non dubito tamen accepiſſe. Librum Bellonii de Auibus & alios fruſtra adhuc expecto. Puto coniectos in ſarcinas Raphelengii, quas ille fruſtra quoque expectat.

EPISTOLA CCCXXXIII.

CAROLO LABBAEO. Scripſi ad te nudius-tertius: ſed vereor, vt ille cui meas dedi, tam cito ad vos peruenire poſſit. Multæ enim illi moræ obiici poſſunt. In illis orabam te de conueniendo quodam, quocum mihi negocium eſt. Cauſſam Gallice in ſchedium conieci. Idem exemplum erat in aliis literis. Tamen iterandum fuit, quod ſerius illas literas ad te peruenturas ſuſpicor. Ita illud negocium tibi commendo, vt nihil mihi gratius, neque quod in præſentia magis effectum eſſe mea interſit, facere poſſis. Nihil de Euſebio Aquitanico accepi, neq; qui videtur, mihi adhuc videre contigit. Puto rara adhuc exempla Lutetiæ eſſe. Poteris nanciſci opera Raphelengii, poſtquam mercimonium ſortiere cœperit. Quod raro à nobis literas accipias, ſcito, à Septembri vſque, ſemper aduerſos ventos fuiſſe, ille quocum mihi negotiũ eſt, quadraginta dies, ventos vocando, viaticum

conſumpſit. Quare coactus pecuniam cum nauclero Rupellano conuenit, cuius nauis Rupellam nunc attigiſſe puto, & inde ad vos profecturum. Is in meo ære eſt, vt ex ſchedio videbis. & propterea vt fortunarum mearum te miſereat, ne in eius ἀγνωμοσύνῃ, cui hac anguſta opem tuli, meæ liberalitatis, aut potius ſtultitiæ, pœnas dem, mihi cautio eſt. Ideo oro te ne rem meam deſeras. De voce in Gloſſario quod quæris, ante 22. annos ego correxi *Vitæ καρποῦ θήκη*. id nomen eſt apud Marium Victorinum. *Vitta eſt ſcorea, Vitæ.* Multa hic dici & ex aliis produci poſſunt. Χρυσόβουλα aurea bulla, quæ ſigillum Imperatorum continebat. De Sidonii editione ſecunda gratiſſimum eſt. Meminiſti, quoties operam quam Sauaro in illo auctore illuſtrando poſuit, tibi commendarim. idem quotidie profiteor. Nemo alius præter eum id præſtitiſſet. Meus Euſebius iamdudum portum teneret, niſi multum viæ illi conficiendum ſupereſſet. Itaque & aliis & mihi, quos plurimum iuuerit, eſt, tædium moræ deuorandum eſt. Neminem tamen moræ pœnitebit. Vale. Lugduni Batauorum VII. Eid. Ianuarii CIƆ IƆC V.

EPISTOLA CCCXXXIV.

CAROLO LABBAEO. Faciam, vt de ſilentio meo queri non poſſis, ſiquidem per ventos liceat, qui illuc traiicientibus aduerſi ſunt, etiam quinque integros menſes illudunt in portu meliorem auram ſpectantibus, vt ad vos traiicere poſſint. Faciam, inquam, vt me tibi importunum potius, quam taciturnum probem. Atque adeo iam incipio ab illis literis, quas ei ſcribo, qui in meo ære eſt: ego autem in ære creditorum eius, qui iam me appellare incipiunt. Iam me tibi nimis familia-

rem

Digitized by Google

gem experieris, qui meas literas tam diu ſilere mecum expoſtulabas. Oro te igitur, vt illi meas tradas, cumque officii ſui moneas, ne me obnoxium ei generi hominum relinquat, quibuſcum aliquod negotium [illegible] commercedere religio eſt. Eſt ſane optimus iuuenis; cuius de probitate ſi dubitaſſem, nunquam eo perduci me ſiuiſſem, vt eius nomine id facere vellem, quod etiam pro iis qui nobis proximi ſunt, facere ſtultitia eſt. ἐγγύα πάρα δ' ἄτα. Tamen ego id feci, neque me pœnitet amico in re aduerſa opem tuliſſe: ſed ex benignitate mea, mihi male eſſe, hoc vero eſt quod maxime metuo. Tempus eſt vt quum meminerit beneficii mei, meminerit etiam officii ſui. Cura igitur negotium noſtrum, de quo ſuperioribus diebus in ſchedio Gallice ad te ſcripſeram. Apage illum Philodoxium, monachi alicuius ἀποπάτημα καὶ σκύβαλον. Miror potuiſſe te ſine ſtomacho illa legere. *Baſius*, φαλλὸς τὸ αἰδοῖον τῶν μιολόγων. lege, βιολόγων, hiſtrionum. Notum ex Ariſtophane, φαλλοὺς σκυτίνους hiſtriones ſibi applicare τοῦ γελοίου χάριν. Quare *Baſius* vel potius *Baſſius* vocetur, obſcurum non eſt. Eſt enim *Baſſus* παχύς. Et verbum ſapienti ſat eſt. *Habus* iamdudum mihi deploratum eſt. vt multa alia, quæ in illis optimis Gloſſariis leguntur. Φαλλὸς *Deus*, *Dæmon*. Ita verum fuerit, ſi αἰτι τοῦ Πελάσγου. Nam φαλλὸς, φάλλης, τρίφαλος, eſt Priapus. Impudentiam aretalogorum de Pyramide diruta aut deiecta non miror, qui portentoſiores ſycophantias illius generis hominum quotidie experior. Vale. Eid. Februarii Iuliani cIↃ IↃc v.

EPISTOLA CCCXXXV.

CAROLO LABBAEO. Nudius-ſextus ad te ſcripſi. Puto ad te literas meas peruenturas, quum ad me

Chronicon Epiſcopi Vaſatenſis, quod ſe dono illius ad me miſiſſe ſcribit Caſaubonus noſter. Scribebam tibi de iuuene illo appellando, cuius nomine præs ſum. Quæ moleſtia, ſi aliquid prudentiæ in me fuiſſet, defungi potuiſſem, niſi omnes fraudium metus excuſſiſſet mihi natura mea, quæ aliis potius quam mihi ipſi conſulere ſolet. Sed, oro te, vt hos flagitatores, quibuſcum res mihi eſt, eius cauſa à me amoliaris. Scripſi illi eas, quas ad te miſi, quarum nomine iterum illi velle aurem, vt me ex luto, in quo propter eum & ſtultitiam meam hæreo, eripiat. Rem & mihi gratiſſimam & ſummæ pietatis opus feceris, ſi per te ille officii ſui meminerit. Vale. Lugduni Batauorum. vi. Non. Martii Iulian. cIɔ Iɔc v.

EPISTOLA CCCXXXVI.

CAROLO LABBAEO. Chronicon Epiſcopi Vaſatenſis vna cum illo, quod à Puteanis mihi vtendum impetraſti, accepi. Illud ante xxx. annos mihi Claudius Puteanus eorum pater commodauerat, atque adeo in calce Latini Chronici Euſebiani, edi iamdudum curauimus. Si quid in editione peccatum ſit, id vt ex archetypo caſtigetur, curabitur. Ineptus fuit homo, & ſermonis vtriuſque imperitus, quiſquis fuit ille qui vertit. Sed Græca partim ab Africano, partim ab Euſebio; quædam etiam ab aliis erant. Omnino beaſſet nos, ſi & perite & fideliter vertiſſet. Cuiuſmodi tamen illa ſunt, non ſine fructu à nobis lecta ſunt. Te ita meorum ſatagere, vt opus non ſit monitore, gratiam habeo maximam, præſertim in cauſa boni iuuenis, qui in ære meo eſt, de cuius facultatibus magis quam de fide metuo. Inceſſit mihi miſericordia eius, quum in arctum à creditoribus ſuis eum cogi viderem. Ex ſummis difficultatibus eripi-

eum,

Digitized by Google

eum. Tanti beneficii memorem eſſe & ratio exigit, & neceſſitas iubet, quum poſt tres dies creditoribus ſolutionem huius æris condixerim. Oro te, vt iterum me in hac cauſa iuues. De Lexico iuris ἀπαγγελία. Puto me ſimile in manibus Petri Danielis vidiſſe, ni fallor, ex eodem illo exemplari deſcriptum. Βοοκόρσωμοι. Ære corrupti. forraſſe in illos, qui pecunia, non vi, virginem corruperint. Sed habes Apollinem, quem melius conſulueris, quam me. Quia aliud exemplar Georgii monachi extare in Bibliotheca ſcribis, ego quædam, quæ in eo quo vtor, deſiderantur, in breuiculum conieci, ſi forte integrior codex ille eſt, quam is, quem habeo. Valde enim mutilus eſt. Itaque non paruam à me gratiam inieris, ſi prius conſulto maximo viro amico noſtro, ea ex codice collegeris. Sed properato opus eſt: quemadmodum & in deſcribendo illo Chronico Olympiadum: quod per ius amicitiæ peto à te ne pigeat deſcribere. Nam optimum amicum noſtrum in ea re occupare, eſt commoda publica morari. Sed, vt dixi, celeritate opus eſt. Nam ea, quæ cum illis Olympiadibus excudere cum Euſebio paro, iam in procinctu ſunt. Itaque res moram non patitur. De inſcriptione vici leproſi (ita vocatur à Gregorio Turonenſi) gratum. Noli mirari de Coſoſo Deo. Non ſolum enim nationes, ſed & vrbes propria numina habent. Itaque in inſcriptionibus numina localia videas, quæ alibi non extant. Neque mirum, ſi fœmina dedicat. Vici enim & deas conſecrabant. Sed eſt aliud in fine, quod nunc per occupationes interpretari non poſſim. Iterum autem tibi vello De Chronico, non ſolum vt accipiam, ſed vt quamprimum. Patrem tuum & fratrem tuo ſalutato. Vale. Lugduni Batauor. vi. Cal. Aprilis Iulianis. clↄ Ioc v.

EPISTOLA CCCXXXVII.

CAROLO LABBAEO. Heri poſtremas tuas cum Satyrico Euphormionis, accepi. Nondum potui legere tam anguſto temporis ſpatio. Quia occaſionem hanc amittere neque debui neque potui, hæc pauca ſcribendi tempus ſuffuratus ſum. Scias auctorem Satyrici, ſi fieri poteſt. Ego poſſem aliquid de eo, quod iam ſublegere potui, pronuntiare. Abſtinebo tamen, donec totum deuorauero. Vberiores à me expecta. Mitto ad te librum Druſii; cuius appendix meus eſt. Boni conſule omnia. Gratias ago pro opera tua in cauſa debitoris mei. Scribo illi ſerio. Vide, amabo, quid reſpondebit. Niſi ſatisfaciat, paratus ſum lege agere. Tibi cauſæ inſtruendæ quæ opus ſunt mittam. Interea non male conſultum fore puto, ſi illi terrorem iuris obiicias. hoc eſt, vt moneas, ne me eo adigat, vt & ſe pœniteat impudentiæ ſuæ, & me nimiæ meæ mollitiei. Poſtremis meis tecum egi de Chronico illo Græco deſcribendo. Oro te ne hunc laborem mea cauſa defugias; neque hoc ſolum, ſed vt quamprimum ad me mittas. Vale. Lugduni Batauorum. cIɔ Iɔc v. Eid. April. Iuliani.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

CAROLO LABBAEO. Nuper meum ludicrum opuſculum in Serarium, vna cum libro Druſii, ad te miſi. Accepiſti iam, quantum ex interuallo, poſtquam illud dedi, coniicere poſſum. Interea poſtremas tuas, vna cum verſiculis Italicis & Latinis accepi. quæ omnia mihi ita accepta ſunt, vt animus tuus, quem prolixe in me explicas quotidie: vt nemo viuat hodie qui melius de me meruerit. O quas grates tibi pro magnitudine tuorum

in me

in me meritorum, præſertim in cauſa Cognei, referre poſſum! quam te non deſerere video. Itaque vt hominem, quod ſuapte ſponte non vult, id legibus & iure facere cogas, mandatum tibi interuenientibus actibus publicis obſignatum mitto. Experire ex formula, vt noſti. Nihil aliud addam, niſi vt ſtrenue hominem agites. Epigrammata Latina valde mihi placuerunt. Velim expiſcere, quis eorum auctor; vt & Satyrici Euphormiani: de quo aliter iudico. Sed de hoc alias. Meus Euſebius quotidie aliquem progreſſum facit, ſed vt ille *καθιστάμενος*, qui eſt in prouerbio. Quid faciam? Res mihi cum lentis, ineptibus, ac ebrioſis eſt. An tu genus hominum ignoras? Cauſam Cognei inprimis, & præterea Chronicon περὶ ςαδιονικῶν, commendo tibi. Vtinam iam haberem! Quum mittendum erit, cura, vt non mihi, ſed nobili Buzennalio dirigatur, idque de meliore nota vrge. Hoc modo & tutius & maturius accepero. Patrem & fratrem ſaluta. Vale, acceptiſſime rerum. Lugduni Batauorum. IV. Nonas Maji Iuliani cIↃ IↃC V.

EPISTOLA CCCXXXIX.

CAROLO LABBAEO. Stultus ſim, ſi ea repetam quæ nuper me tibi ſcripſiſſe memini; quibus imparem eſſe gratiæ tibi referendæ teſtatus ſum. Nam ſi tum virium imbecillitatem excuſaui; quanto iuſtius nunc id facere debeo, qui & tantum operæ te poſuiſſe in deſcribendo Chronico videam, & in cauſa debitoris mei vrgenda conſtantem eſſe intelligo. Duorum me pudet, laboris tantum creaſſe tibi me, & meritis tuis opprimi, quibus nullam parem gratiam referre poſſum. Scias vero multum me eo Chronico adiutũ, quod nihil aliud quam ἀποσπασμάτια τȣ̃ Ἀφρικανȣ̃ καὶ Εὐσεβίȣ. Non dubito

quam iam mandatum meum, vna cum ſyngrapha debitoris mei acceperis. Omnia interuenientibus actis publicis ciuiliter ſubſignata ſunt. Illuſtriſſima Domina Heroina, ſtatim vt Lutetiam venerit, ſe auunculum debitoris conuenturam, & cum eo acturam, vt res mihi ſoluatur, promiſit. Itaque monuit me, vt quum has acceperis, ſeſe ſtatim adeas, ſyngrapham adferas: quam illa quum auunculo oſtenderit, non dubitat, quin ab eo, vel libenter, vel inuito, ſolutionem exprimat. Itaque, quandoquidem frontem perfricui, contendere à te non verebor, vt ipſam Illuſtriſſimam Principem conuenias. Ipſa enim auide hoc expectat; ac gratiſſimam rem illi feceris, ſi ſtatim illi Syngrapham obtuleris. Itaq; plus fortaſſe hac via, quam iure experiundo, conſequemur. Neque tamen legum ſubſidia negligenda: vt duobus munimentis inſiſtendo, ab alterutro aliquid præſidii nanciſcamur. Omnino & ego fatuus, qui tam prolixe benignum me illi præbuerim: & ille impudens, qui amicitia mea in detrimentum fortunarum mearum abuſus ſit. Sed ego non nunc primum ſtultitiæ meæ pœnas luo. Sunt & alii qui de lenitate mea triumphant. De fragmento χρονικοῦ Ἱππολύτου Θηβαίου ſcias, pluris chartam quam ſcriptum eſſe. Scriptor ineptiſſimus eſt: & quo melius carere quam habere eſt. ἀρχιναύκληρον Zebedæum fuiſſe, non magis conſtabat illi, quam mihi. Ita dicitur, qui naui ſua, non per inſtitorem negociatur. Quaſi lacus Tiberiadis mare ſit mediterraneum, in quo tot negoriationes nauticæ exercentur. At proprii nauigii dominum, piſcatorem etiam pauperrimum eſſe poſſe, non magnæ molis eſt. Piſcatorium enim nauigium non tanti eſt: nullaque aliuſmodi nauigia in lacu Geneſareth, quam piſcatorum, aut ſunt aut fuerunt. Sed Græculi & Latini ſacrificuli quam multa eiuſmodi portenta commenti ſunt! Sed his locus non [illegible]. Ad inſcriptionem Vici leproſi quod addam, nihil habeo. ne-

que

que vllus viuit qui plura in eam rem poſſit. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Iunii Iuliani cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA CCCXL.

CAROLO LABBAEO. Non dubito quin iam inſtrumentum meum cum ſyngrapha debitoris mei acceperis, de quo bis ad te ſcripſi. Omnino caſtiganda eſt hominis ἀγνωμοσύνη, quem ego à compedibus creditorum liberaui, ægrum omni humanitatis & officiorum genere recreaui; & quæ ſumma mea eſt ſtultitia, pro quo ſpopondi, & æs alienum ſolui, qui mihi ignotior eſt quam alius quem natum neſcio. Illuſtriſſimus Princeps & lectiſſima Arauſionenſis heroina pollicita eſt, mihi omnino ſe ſolutionem ab auunculo eius expreſſuram. Hoc vnum ſe velle, vt quum primum illa Lutetiam aduenerit ſe adeas: ſyngrapham ei oſtendas: nullam moram fore, quin mihi res ſoluatur. Oro te igitur, vt quia pro ſingulari bonitate tua, & nullo in te merito meo, hanc cauſam ſuſcepiſti, nos iuuare pergas, Dominamque adeas; quæ ſumma cum humanitate, tam tua quam mea cauſa te excipiet. Te enim illi non vulgari genere commendaui. Valde Proſopopœia Pyramidis placuit, in qua nihil non acute dictum. Vtinam auctoris nomen ſcirem! Non ita nebulonis illius Dorleans liber à me exceptus: quo nihil inſipidius, nihil ſtultius, ieiunius, infantius, præter Amphitheatrum Ieſuitarum, legere me memini. vt vno eodemque tempore duæ fœturæ ſimillimæ à ſimillimorum ingeniorum & morum hominibus prodierint. Quanti ***** Euphormionem faciam, ex eo cognoſcere potes, quod vix ſex folia eius legere potuerim. Sed hæc non poſſunt, niſi coram exponi. Legem Solonis, vt à Leunclauio corrigitur, iamdudum ante x. annos in ſupra libri mei νόμων Ἀττικῶν annotaui. Libenter tuam ex codice

codice regio correctionem adhibui. Gratias iterum de Chronico ago: quod totum plane Euſebianum eſt. Omnia in illis, quas collegi, reliquiis deerant. Sed ambo, tres Olympiadas, quæ in chirographo tuo deſunt, ſiquidem properando à te omiſſæ ſunt, ſupple: ſin aliter, nihil laboro. Eæ ſunt ρλ, ρλα, ρλβ. Oro quamprimum hanc lacunam mihi expleas. Vale. Lugduni Batauorum. xv. Kalend. Quintilis Iuliani CIↃ IↃC V.

Si quid curatum mihi velis, Franchemundo Dominæ Principis Arauſionenſis à ſecretis dato. Quicquid denique ad Dominum Buzenuallium dirigas, tutius curabitur, quam ſi improbiſſimo hominum generi tabellariis publicis dederis. Iterum vale.

EPISTOLA CCCXLII.

CAROLO LABBÆO. Mea Publiana Græca quin acceperis, minime dubitare eius fides ſinit, cui vna cum literis meis tradita ſunt. Cupio tamen quamprimum me certiorem facias te accepiſſe. Omnia vt emendatiſſime edantur, quanquam ſcio te diligenter curaturum, vt tamen fiat, non poſſum facere, quin hoc à te ſummopere contendam. Velim & vt notulis hæc inſerantur ad verſiculum illum, *Adulter eſt vxoris amator acrior.* *Hunc verſiculum Xyſto Pythagorico, ab Hieronymo in Iouinianum attribui.* Verba eius ſunt: *Nihil autem intereſt, quam ex honeſta cauſa quis inſaniat.* *Vnde & Xyſtus in ſententiis, Adulter eſt, inquit, in ſuam vxorem amator ardentior.* Item in eodem libro Hieronymi ille verſus adducitur, *Difficile cuſtoditur, quod plures amant.* qui inter Publianos extat. Tu omnia pro tua prudentia ſuis locis inſere. Chirographum ingrati debitoris mei Illuſtriſſimæ Dominæ Principi Arauſionenſi miſi. Ab illa pete: quod te facturum ei in illis, quas

ad eam ſcribo, promitto. Si auctoritas eius neque ſolutionem neque pudorem vllum ab animo eius extorſerit, ad triarios res deducta eſt; hoc eſt, ad auxilium a legibus, quibus ex ſyngrapha ſua cogendus eſt. Neſcio quas gratias tibi pro tot tuis in me beneficiis perſoluam. Et beneficia tua quotidie augeri video, eoque minorem ſoluendi facultatem in me eſſe. Sed de his alias. Narro tibi, me alteram Commentariorum meorum Euſebianorum partem, alii typographo excudendam tradidiſſe. Ita partitis operis, maturabitur editio. Vt proximis Venalibus Nundinis ſpes ſit, lucifugam meum Euſebium e latebris, vel è dura potius cuſtodia hac erupturum, tandemque ignauorum typographorum clathros effracturum. Vale. Lugduni Batauorum. VIII. Calend. Septembris cIↄ Iↄc v.

In præſtantiſſimo τῶν Ἑλληνικῶν quod mihi miſiſti fragmento, tres Olympiades deſunt: a te an ab eo, qui exemplar deſcripſit, omiſſæ neſcio. Eæ ſunt ρλ´, ρπδ´, ρπε´. Primam ex Diodoro ſuppleui. Reliquas duas deſidero. Tuum eſt conſulere exemplar, & hanc mihi lacunam explere. Iterum vale.

EPISTOLA CCCXLIV.

CAROLO LABBAEO. Quod toties teſtatus ſum, idem nunc profiteor, me imparem eſſe magnitudini tuorum in me meritorum, præſertim in cauſa nebulonis illius debitoris mei: à quo ſi non ſolutionem expreſſero, ſaltem tua opera hoc conſequar, vt & ſceleſtus & ingratus apud omnes traducatur. Non poſſum diſſimulare, me nullius rei in vita mea tam pœnitere, quam beneficii tam male collati. neque iactura me mouet, ſed pudor, qui homini ignoto, & quod caput eſt, de cu-

ius

ius improbitate iam ſubolueratmihi, tam benignus fui. Adde, quod quum ſcirem me rem ineptam facere, qui ignoto pecuniam crederem, tamen neſcio qua mollitie animi, aut imbecillitate frontis, victas manus dedi, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ· Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Miſi Illuſtriſſimæ Principi Arauſionenſi chirographum nebulonis; quod puto inutile fore, quandoquidem iam lis conteſtata eſt. Parui tamen tibi. Iam puto te Sententias Publianas accepiſſe. Alteris literis, quas puto poſtremas eſſe, monebam te de quibuſdam verſiculis, quos Hieronymus in Iouinianum, non Publio Syro, ſed Xyſto Pythagorico attribuit, idque vt in Notis ſuo loco apponatur, magnopere à te contendo. Vt & illa:

Animo virum pudicæ, non oculo eligunt.

Hæc ex Euripide:

Πρῶτον μὲν γε τοῦδ' ὑπάρχειν δεῖ, κἂν ἄμορφος ᾖ πόσις
Χρὴ δοκεῖν εὔμορφον εἶναι τῇ γε νοῦν κεκτημένῃ.
Οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνον ἐστὶν, ἀλλὰ νοῦς.

Pecunia vna regimen eſt rerum omnium.

Ex Euripide:

Χρήματα γάρ ἐστιν ἃ βροτοῖς ἔχει κράτη.

Appone locis ſuis. Leges Atticas, de quibus agis mecum, numquam in animo habui edere, vt nec multa alia, quæ in priuatos vſus meos collegi. Theophanem Græcum habeo, qui ſcriptor nunc in Germania, & quidem Ingolſtadii, niſi fallor, excuditur. Marcus Velſerus anno de hiſce me monuit. Vt Publiana noſtra & reliqua emendatiſſime edantur, ſi per tuas occupationes licet, in te ſolum ſpem poſui. Sed, quod poſtremis te monebam, oro, atque obteſtor te, vt ea, quæ ex Martiali Græcè conuerti, edantur. Nam, de Martiali ſi ſcripſeris, ne neglexiſſem iam conclamatum ſit, memento. Quid de hac re facere inſtitueris, quamprimum ſignifica. Exemplari, quod vnicum Catullo ne noſtro miſſum eſt, vti poteris, quod ſolum ob-

ſtiti

ſtinationis eius clathros perfregit. Noli dubitare, quin æditiuo illa acceptiſſima futura ſit. Loca ex Gregorio Turonenſi, partim noui, partim ignoro. Ex indice præterea a te omiſſa ſunt, neque in vllius hominis poteſtate eſt, omnia interpretari. Vnuſquiſque ſuæ patriæ quædam agnoſcere poterit potius, quam alienus quiuis. De quibuſdam fortaſſe alias ſcribam. Patrem & fratrem tuum ſaluta. Vale. Non. Septemb. [illegible]

EPISTOLA CCCXLIV.

CAROLO LABBÆO. Catonem meum, quanquam multis mendis ſitum, accepi. Sed accuratius in Martiali noſtro agendum: quem oro, vt cum illis de quibus ſcripſi conditionibus edas: vt nihil alieni immiſceatur. Publiana noſtra integra adiunges: quæ te accepiſſe ex poſtremis tuis cognoui. Eodem modulo chartæ quo Cato edenda ſunt, vt vna compingi poſſint. Notulas Publianas veteres cum paucis recentioribus, quas ad te nuper miſi, adhibebis. Ad Martialem multa valde bona amico noſtro dederam: quæ editionem Martialis & meliorem & acceptiorem feciſſent. Sed eorum nihil ſuccurrit. Cauſam conſilii de editione Martialis depoſiti, neque ego, neque qui illo familiariter vtuntur, quamuis ſedulo exquiſiti ſumus, ſcire potuimus. Sed ſtat ſententia nunquam proditurum, qui tamen tribus aut quatuor tantum foliis a fine aberat; elegantiſſimis typis excuſus: vt vel ſola elegantia formarum emptores allicere poſſet. Nunc tibi Græcas notas quaſdam mitto, quas ad calcem Martialis adiecturus eram. Plura nunc non ſuccurrunt. Debitor meus cum auunculo colludit. Si enim literas quas illi auunculus, in quibus curæ eius bona ſunt ſcribebat, interceptas prohibiſſet, neceſſario auunculus damnatus fuiſſet. Quia igitur

Omnia

Omnia ſunt ingrata, nihil, feciſſe benignè, eſt,

ſaltem quod vltimum nobis ex iure relinquitur refugium, id ne culpa noſtra amittamus. Sed vereor, ne ſemel in patriam profectus vnquam pedem ad nos referas. Sunt tamen mihi Pictauis non pauci, qui te delitescentem è latebris eruere poſſint. Quia ſemel benignitas & comitas tua patuit, de illa deſperare ad exitum vsque fabulæ nec poſſum, neque debeo. Quicquid certi de motibus Aquitanicis reſciueris, quamprimum certiorem me facias. Eorum ducem, primarium noſtrarum partium eſſe, non tam eius cauſſa, quam noſtrarum partium, permoleſtum eſt. Grata ſunt omnia, [illegible] quæ miſiſti: cuiuſmodi multa parere hoc ſæculum, quod tot monſtra parturit, mirum non eſt. Patrem & fratrem tuum à nobis ſaluta. Vale, mi [illegible]. Lugduni Batauor. xii. Cal. Octobris Iulian. cIↄ Iↄ xc v.

Meos Iambos edi nolo. *Alios enim ſcripſi olim,* quos reperire nequeo: neque ea gratia ſcripſi, vt ederentur, ſed vt tempus fallerem, quum inſomnia, pridem familiaris mihi, noctu vigilem me exerceret.

EPISTOLA CCCXLV.

CAROLO LABBAEO. Neque tu fruſtra querebaris me literas tuas non accepiſſe, neque ego te nihil ad me ſcribere. Quas enim noſtras vna dies côpoſuit: in quibus ego omnes tuas, vna cum verſiculis & Epiſtola Sirmondi & Pauli Pontificis accepi. itaque de hac te quietum eſſe. Sed quis carminis heroici in Margaritam Valeſiam autor eſt? velim, niſi graue eſt, hominem nobis indices. Optimum eſt carmen: quo impenſius auctoris nomen ſcire aueo. De Gorlæo autem eius mulieris colloquio ſuſpectum mihi eſt, & libenter ex te ſciuerim, vnde aliud habeas.

[illegible]. Nam & ſi is, quamquam [illegible]iſſimus, vaniſſimus, & [illegible]dentiſſimus Cercops eſt, tamen multa falſa de eo [illegible]. Ego pluſimi feceram hoc [illegible] eſſet, & ſi non [illegible] certius explorare, et [illegible] fidem ſecurus tradere poſſim. Neque minus E[illegible] Pontificia ſuſpecta eſt Latinam vitiare [illegible] ſtylo, verum me [illegible]. [illegible]. De Archiepiſcopis Archiepiſcopatu fruſtra es. Omnes Metropoles [illegible] Archiepiſcopatus ſunt. Quot prouinciæ ſub Præf. Præt. Galliarum erant, tot Archiepiſcopatus hodie ſuperſunt. Sed Arelate nunquam [illegible] fuit, vtpote quæ ſub Vienneſi eſſet. Sed in Decretis Gratiani legere me memini pallium Arelatenſi Epiſcopo miſſum. quæ Archiepiſcopalia ornamenta ſunt: ſed tantum ab Archiepiſcopatu, quantum Conſularia & Decurionalia ornamenta à Conſulatu & Decurionatu differunt. Eodem modo ſub Salomone Comite Britanniæ Armoricæ miſſu pallium Epiſcopo Dolenſi, in gratiam Comitis. Vnde per multos annos pro Archiepiſcopo ſe geſſit, qui Epiſcopus tantum erat. Pallium eſt circulus ex albido panno, quatuor, aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent faſciæ, ita vt quum circulus humeris Antiſtitis impoſitus fuerit, duæ illæ faſciolæ à pectore & à tergo dependeant. Quibus honoris cauſa illud geſtamen datur, nomen Archiepiſcopi, non vtique Archiepiſcopatum conſequuntur. Sæpenumero notitiam Epiſcopatuum et prouinciarum Galliarum vidi, in qua Arelatenſis Epiſcopus Vienneſi Archiepiſcopo ſuffraganeus dicitur. Ante annos [illegible] quum Aquis Sextiis eſſem, ibi hoſpes meus [illegible] Cui & Secundus nomen [illegible] ſcriptum oſtendebat: in quo adhuc Arelatenſis Præſul, non Archiepiſcopus, ſed Epiſcopus ſub Metropolita Vienneſi cenſebatur. Quandiu ſit, poſtquam eius attributum, [illegible]

[illegible] conceſſum, quatuorque ſuffraganei ad-ſcripti ſint, haud temere dixerim. Hoc vnum ſcio rem vetuſtam non eſſe. In XIV. Archiepiſcopatibus regni Galliæ duodecim ſunt tote ipſo Archiepiſcopi, vtpote [illegible] præſules: duo autem noui, Toloſa, & Arelate. Toloſa à Ioanne XXII. noua prouincia facta, attributis illi ſeptem ſuffraganeis, ne quid haberet, quod quæreretur Narbonenſis Archiepiſcopus, ex cuius prouincia ille Epiſcopatus expungebatur. Arelatenſis autem an vnquam inſtitutus fuerit, an per tacitum conſenſum in eo iure, quod ſibi vindicauit, ad hanc diem manſerit, neſcio; & vt dixi, res non eſt vetuſta. Itaque qui tibi [illegible] ex Decretalibus obiicient, eos hac exceptione [illegible] admonere potes. Si METROPOLITA eſt, verum eſt Contra falſum, ſi Arelate ante quadringentos annos & infra illud tempus, adhuc ſub Prouincia Narbonenſi erat, omnino nouum eſt Archiepiſcopatum. Miror doctos viros hoc non aduertiſſe. De Græcis Martialis noſtri iterum te conuenio. Nihil intereſt quam editionem ſecuturus ſim. Neque enim memini, & quid [illegible] rum refert. Vnum moneo, in primo [illegible] Epigrammate legere me, [illegible] me. Nam vulgata lectio [illegible] quæ [illegible] [illegible] Dire eſt, quem [illegible] de hac lectione [illegible]. Quæ vero [illegible] ad editionem Martialis [illegible] nis exornanda contuli, ne hilum quidem noſtrorum Græcorum editioni profuit. In Euſebio [illegible] procedunt. Quando proditurus ſit, [illegible]. Miſerum me, qui nebuloni tanto nummos meos credidi. Non tam dolet mihi illos è ſacculo meo exiiſſe, quam in tenebrionem collatos eſſe. Ad Heroinam [illegible] ſcribo. Si cum priuigna ſua Trimolia [illegible], aliquid ſpeculæ ſupereſt, poſſi huius nominis [illegible]

[illegible]

tionem exprimi. Tu amabo, quod potes, rem vrge. Lo-hinę [illegible] librum de tabula [illegible] me parturiunt. Et potius abortum faciet, quam [illegible] pariat. Viderimus poſtea ἐν χρόνῳ [illegible]. Vale. IV Kalen. Mart. ƆIↃ IↃ C VI. Scribe quid illo homine, qui [illegible] Regem voluit, factum ſit, an lauerit.

EPISTOLA CCCXLVI.

CAROLO LABBAEO. Ter quater interpretationem Iambi Laberiani a me exegiſti. quaſi per illam ſtaret, quo minus reliquorum Græcorum verſiculorum noſtrorum editioni opera dari poſſet. Quod ſi non verti, aut vertere non poſſum, ergo non prodibunt reliqua? Quoniam querelæ ſit locus, ac ne morari me editionem, quam impedire nolui, exiſtimes dicas, Laberianorum illorum Græcam interpretationem totidem verbis, non vtique totidem floſculis & Veneribus, redditam mitto. Sunt tamen Græca, nec Latinitatem redolent, tametſi a Latinis ne latum quidem vnguē diſceſſimus. Quod ſim quibuſdam me dormitaſſe putas, id verum non inficior. E ſomno enim verſus me facere, omnes amici ſciunt, hoc eſt, quum ſomnus, aut per ſenium meum, aut per curas animi relinquit me, quam ſit eſt homini dormire. Ne mireris igitur, ſi in verſibus illis adhuc dormio, quos vix experrectus, ita vt Latinos memoriter tenebam, expreſſi. Accipe igitur illos, & expoſtulare mecum amplius noli. De Arelatenſi Archiepiſcopatu vix tandem perſuaſiſſe me tibi gaudeo. Quod antiquitus Archiepiſcopatus eſſe non poſſet, cauſam aperui, quia tantum ciuitas, non metropolis, idque Viennenſi Metropoli

bura. Poſtquam vero Conſtantinus tyrannus ibi ſedem imperii collocare voluit, eamque alteram Romam vocari edicto ſanxit: ideo Arelatenſes Viennenſibus attributos eſſe puduit, vt hæc ambitio progreſſu temporis ad ipſos etiam Arelatenſes peruenerit Epiſcopos, qui aduerſus Viennenſem Antiſtitem prouinciæ primatum ſibi vindicare aut aliam ſaltem prouinciam, à Viennenſi ſeparatam, inſtituere conati ſunt, quod quidem ſero per pertinaciam obtinuerunt. Sed quando, proſus ignotum eſt mihi. Obtinuiſſe vero, vt etiam Archiepiſcopi vocarentur, ex eo patet, quod ſuffraganeos habent, quos ſine edicto Regum Franciæ, & ſanctione ſedis Romanæ impetrare non poſſent. Quando id adepti ſint, vt ignoramus, ita id ſero contigiſſe, idque barbaro ſæculo, non dubitamus. De contentionibus inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos ſuper hac ambitione multa produci poſſunt: vt & de pallio ipſi Arelatenſi à Romano Pontifice miſſo. quod eſt argumentum, Arelatenſem, nō Archiepiſcopum, ſed Archiepiſcopalibus ornamentis fuiſſe. Atqui ſcimus longe conſulem & hominem Conſularibus ornamentis differre. Denique omnis hæc ambitio ex ſanctione illius Conſtantini tyranni deriuata eſt. cuius conſtitutionem vide in Auſonianis noſtris. Amplitudo quoque vrbis, vt etiam Gallica Roma vocaretur, & multa alia, tum decrementa vrbis Viennenſis, illos ambitionis igniculos exſuſcitabant. Sed de his plura, quando voles. Maſſo Papirius in libello ſuo oſtendit ſe multum profeciſſe ex Auſonianis noſtris, quamuis ſerio diſſimulat. Nihil noui attulit, præterquam vbi delirat, vero Vcetenſi & Aletenſi Epiſcopatibus, quos ridicule nouos eſſe dicit. De Vcetenſe vide in Prolegom. lib. de emendatione Temporum; de Aletenſe conſtat ex Decreto Gratiani, vbi *Arelatenſis* perperam legitur. Sunt alia, quæ [illegible]. Vale. Lugd. Batau. Prid. Idus Aprilis Iuliani. [illegible]

Epi-

EPISTOLA CCCXLVII.

CAROLO LABBÆO. Omnes tuas accepi, tu non omnes meas, ſane nondum eas poſtremas, in quibus Laberiana Græca, quæ à me exigebas, inerant. An acceperis, ſignifica. Video deſperandam eſſe editionem eorum Epigrammatum, & poematiorum, tam certe, quam ſolutionem mali nominis illius. cuius nunquam mihi venit in mentem, quin de mea ſtultitia potius querar, quam de poematiorum illius iactura. Reſpondebitur Bardonib. & Bardonis, non à me, ſed à melioribus ingeniis; neque ſerio, ſed ioculo ſcripto. Monumēta maiorum meorum, vna cum Epiſtola cuiuſdam Veronenſis admodum ſenis, Verona accepi, qui in domeſtico miniſterio Patri meo aliquando fuit. Is me puerulum, vt ipſe ſcribit, in vlnis geſtauit. Eam epiſtolam [illegible] non habeo. Ter à noſtro Iſaacio literas ſine tuis accepi. Iratus per aliquot dies tibi fui. Vltima epiſtola tua me placauit. Tametſi Græca mea nunquam, vt quidem mihi perſuaſi, edentur, tamen habe & hoc Germanici, quod pones in fine capitis Εἰς κόρους.

Θρῆξ παῖς ἐφιόων κρυσταλλωθέντος ἐφ' Ἕβρου,
  Βεβριθότι δέμαϊ [illegible] θραῦσε πάγος ὕδατος.
Τοῦ δὲ κάτω μελέων [illegible] ἐρύσαντος
  Συρομένων, [illegible] κάρην.
Εὗρε δὲ [illegible] μήτηρ [illegible],
  [illegible]

Expecta quamprimum Euſebium meum. Meum enim iure merito vocare poſſum. Vale. Lugduni Batauor. a. d. x. Kalend. Iunii Iuliani CIƆ IƆ CVI. Patrem tuum, virum Ampliſſ. & fratrem à me ſaluta.

EPISTOLA CCCLV.

CAROLO LABBAEO. Tandem accipe Euſebium noſtrum. An tanti fuerit à tot tantiſq; vitiis expectari, vos videritis. Mihi ſane nihil grauius fuit, quam tam fruſtra tamdiu expectatum fuiſſe. Itaque temporis beneficium eſt, quod tandem prodit, non typographorum. Statim vt exemplaria accepi, nihil mihi prius fuit, quam vt ad vos mitterem: quum præſertim D. Thuanus tempus aliquod in compingendis tot retinuerit. Pauli: quamquam ſcio, nudum exemplar & ſolutum, illi tradi cui id dicatum eſt, non magis ex officio meo eſſe, quam eſt ex voluntate. Accepi Paſſeratii libellum; magis nobis vtilem, quam auctori glorioſum. Rari erunt, qui eo ſciant vti. Nos quanti ſit, ex eo æſtimare poſſumus, quod paucorum hominum eſt. & plures habebit, qui non capiant, quam qui eo capiantur. Ego ſane in cenſum bonorum eū dedico, Epigramma in iudicem lue fœda laborantem, ſine Grammatico non intellexiſſem. Riſi tantum, quam ſtupui de Ciuili. Quid, quod magis miremur, noſtra tulit ætas, quam XLIV. viuere annos hominem, poſtquam ſepultus eſt? Quam auide eam hiſtoriā legi! Quamdiu eſt, quod nullum ſcriptum me tam variè affecerit, commiſeratione, admiratione, voluptate! Non parum de me meruiſtis, qui hæc me ignorare non paſſus es. Memini de Arelatenſi Archiepiſcopatu, quod ex Zoſimo Papa ſcribebas. Quam epiſtolam ſcito commentitiam & ridiculam eſſe, vt & eiuſdem nomine duas nuper à Cæleſtino monacho editas in Bibliotheca Floriacenſi. Quis tam cæcus, vt non videat, quantum ſibi homines permiſerint, quibus plus otii, quam fidei ſuperfuit? Ego multa monaſteriorum, capitulorum, Epiſcopatuum Diplomata vidi, Regum,

Regum, Imperatorum, Ducum nomina, & ſcripturæ vetuſtatem præferentia: quæ vir vlli commentitia eſſe ſuboluit; nobis autem primo oculi coniectu nouitate falſitatis ſuæ nares percuſſerũt. Cuiuſmodi illud de donatione Alberici Epiſcopi, in fine operum Agobardi, Anno DCCCXXX. Kal. Decemb. Indictio erat IX, non VIII, a XXIV. Sept. Nondum enim indictione Romana Gallicana Eccleſia vtebatur. Epacta erat ſecunda non quartadecima. Erat annus XVII. non XIV. imperii Ludouici. Hæc ψευδεπίγραφα ideo Reges veros, & veras præferunt donationes, quia de illis conſtabat. De annis autem Regum & Epactis, ideo erratum, quia veris diplomatibus vel incendio, vel alia vi maiore amiſſis, inſtauranda fuerunt inſtrumenta, ne prædiis donatis fraudarentur monaſteria. Sed qui inſtrumenta commenti ſunt, Reges quidem nominare, & prædia donata deſignare potuerunt, quod memoria eorum tradita per manus eſſet; annum autem Regis, indictionem, & cætera id genus, certo referre, per imperitiam non potuerunt. Eruditorum enim eſt, non autem τῶν τυχόντων ea deſignare. Iam ſcire potuiſti quid hominis ſit ***. Nemo magis mihi idoneus viſus, qui in Loiolitarum collegia cooptetur. Et, niſi animus me fallit, in eas partes perducetur. Sex annis ſemel tantum vidi. Nuſquã ἀδιαλεκτικώτερον παιδαγωγισμοῦ abſolutiorem vidiſti. Vnum tutorem prudentiſſimum hominem, præter hunc non potuiſſe reperire, cuius fidei liberos in longinquas partes proficiſcentes committerem. Gratias ago, quod duplex Petri miniſterium, paſcendi & occidendi, me docueris. Verbum non amplius addam. Vale. Prid. Eid. Iulias cIↄ Iↄc I.

Nebulonem delatorem meum conſtat mihi annis XXV maiorem eſſe. Litteras, quas Petauio miſiſti, & alteras ad nobiliſſimam viduam Rupipozæam, diligenter curaui, etiam atq; etiam. Parentem, ſororem, fratrem à me ſalute.

EPISTOLA CCCXLIX.

CAROLO LABBÆO. Poſtremas tuas, vt puto, cum libello ceremoniarum baptiſmi liberorum Regiorum accepi. Inerat & Ἰουλίου Ἀφρικανοῦ fragmentum, quod ineptum eſt, & in illis tamen quiſquiliis micam auri inueni. Didici enim, τὴν [illegible] [illegible] eſſe. Vtinam mihi omnia, quæ ad rationem temporum faciunt, miſiſſes, quæ quidem ſparſa in illo Bibliothecæ Regiæ theſauro latent. Idcirco rogo te, ne quærere pigeat, ſi qua ſunt eiuſmodi. Secundam enim Euſebii editionem adorno, propter mendorum portenta, quæ infelici illi libro, à nebulonibus, qui typographiæ prima experimenta in eo fecerunt, illita. Nondum tuum librum vidi. Omnes alii habent. Amphitheatrum Honoris, auctius quidē, & maiori ex parte, contumeliis in me & Patrem meum, prodiit. Ego nondum vidi; neque ſane admodum curo. Qui Loiolitarum ſacra aderunt, & propemodum Loiolitæ ſunt, impudentiam nebulonum & portentum illud execrantur, atque in tertias vltimas deportandum eſſe ad nos ſcripſerunt. Sed certum eſt negligere hos ἀλάστορας. Vale. Lugduni Batauorum. Kalend. Nouembris Iuliani, Martinalibus veſtris. CIƆ IƆ CVI.

Vtinam ille Ἰούλιος ὁ Ἀφρικανὸς ille totus extaret in Bibliotheca! De quo ſcire aueo, an aliquid præterea eius habeant reliquum. Nam inter nugas multa eum habuiſſe ſeria, ex Photio cognoui. Iterum vale.

Epi-

EPISTOLA CCCL.

CAROLO LABBÆO. Literas tuas admodum recentes accepi. Datæ enim erant die v. Eid. Nouembris. quod valde miratus ſum, quum eas decimo die poſtquam ſcriptæ ſunt, acceperim. Verum & libellum tuum, quem ad me miſiſti, & alterarum literarum, quarum mentionem facis, idem fatum fuiſſet. quæ omnia vna cum libris ampliſſimi Thuani, adhuc deſidero. adeo, vt Elzeuirius, qui hæc in dies expectat, cauſam moræ non minus miretur quam ægre ferat. Sed accipere hæc arbitrii ventorum eſt, non noſtri; & fortaſſe quædam etiam eorum culpa fuerit, quibus hoc negotium mandatum eſt. Equidem quotidie experior, quanta ſit eorum, quib. literas noſtras tradimus, negligentia: quod in illis querimur, qui meas tibi non reddiderunt. In quibus ſtrictim locum Nouellæ Iuſtiniani interpretatus ſum: & μηλα, ex figura illa numiſmatis καυκία, à figura lancis vel pateræ ſeſſilis, dicta fuiſſe oſtendebam, cuiuſmodi multa vidimus, & niſi fallor, vnum adhuc in quiſquiliis noſtris habemus. τετράγωνα quoque adhuc multa ſunt in Græcia, & reliquo Oriente. Sed de illis in Schedio potius, quam libello de re nummaria agimus. Quem libellum, ſi quidem eo nomine tibi dignus videtur, cur in lucem prodire tantopere deſideres, cauſæ non eſt. Neque enim vlla dote commendari poteſt. Neque ſane illa περιέργημα lucem videre patitur, quæ in priuatos vſus, tanquam Aduerſaria, confecit. Quod vero de auctore Polymathiæ quæris, fruſtraris. Non enim potui illum libellum habere, niſi fortaſſe ſit domeſticum vnum amicorum meorum Antonius van Mudden in dies aliquot accommodauerit. Quod ſi eſt, non tamen aliquid certi

quæruntur me nihil de ea re in meis Euſebianis attigiſſe. Vellem mihi locum in Euſebio opportunum huic materiæ oſtendiſſent: aut tam neceſſarium, vt illud argumentum à me ſine piaculo omitti non debuerit. Lepidæ res, vbi de Phoroneo & Inacho agitur, ibi de incunabulis cultus noſtri agere. Meminerint me ſupra dixiſſe, de opere meo iudicare, nullius eſſe, niſi eius, qui tale facere poſſit. Sed peruerſa iudicia non moror, quæ næuum in corpore potius vituperabunt, quam totum corpus commendabunt. Vale. Lugd. Bat. Prid. Eid. Non. Iul. cIↄ Iↄcvi.

Georgium, Chryſococcen, Maximum Tyrium, Chronicon tuum ad Cuiacianı lectionem collatum, librum Puteanorum remiſi. Sed dolet mihi, Leonem Byzantinum Grammaticum deſcribere non vacaſſe: qui poſt Theophanen in codice Georgii additus eſt. Præter occupationes meas illud quoque non paruum impedimentum eſt, ætas ingraueſcens, & breuitas viſus, per quam mihi libros ex magnæ formæ codicibus deſcribere non licet. Tantum abeſt vt totum Georgium deſcribere potuerim, qui eſt ingens liber. Itaque frontem perfricabo, neque à te contendere verebor, vt quum per occupationes tuas tibi licuerit, illum auctorem deſcribas: qui te neque magnitudine operis, neque moroſitate literæ deterrere poteſt. Nam & paucorum παραδόξων liber eſt, & δυσανάγνωστος eſt litera. A quotidiano labore tuo auertere te nolo. Sed quod commodo tuo fiat, & quod paulatim quotidie facere potes, id me à te rogare non tantæ impudentiæ eſt. Sed ſi eſſet; impudentiam meam profiteri apud te non vereor. Iterum vale.

Ep.

EPISTOLA CCCLI.

CAROLO LABBÆO. Heri veſperi tandem libellum tuum Iur. Orientalis accepi. Præfationem illa[illegible] devoravi: quam mihi admodum placuiſſe, ex eo probari poteris; quod [illegible] priuſquam ad calcem perveneram. Sane [illegible] multi, qui nihil aliud quam ſcribere profitentur, non poſſint præſtare, quod tu in hac adoleſcentia ſumma cum laude præſtitiſti. Gloſſas aliquot percurri, quæ quàm depravatiſſimæ & contaminatiſſimæ ſunt, tamen quia Latinæ ſunt, & Græca expoſitio illis adjuncta eſt, non operoſum erit eas emendare; præter paucculas: quas nec ipſas quoque emendari poſſe deſperandum eſt, ſi attentius in illas incumbatur. Multum debebunt tibi [illegible] ſtudioſi, qui illas Νομικῶν reliquias in lucem protuliſti. Noli dubitare, quin Germani [illegible] τῶν βασιλικῶν cum iſtis tuis ſupplementis edituri ſunt. Nam diu eſt, quum exemplaria illius unicæ editionis non reperiuntur. Ego interea conſtitui cum tuis illa omnia conferre. Quare gratias tibi ago tanti muneris, quod ego & ipſius merito & tuo tanti facio, quanti debeo. De verſibus Publianis non eſt quod obiceris à me omiſſos; quum eos iā [illegible] Scaligeri [illegible], aut [illegible]. Quare hæc te movere non debent. [illegible] iam ſatis [illegible] hominibus [illegible]. Quæ qui volunt aliter [illegible] accepturos [illegible] neque profecto ulla [illegible]. [illegible] ut Lovanii [illegible] maledicentiſſimis obtrectatoribus [illegible] de induſtria omiſiſſe, alia etiam perverſe dicunt. Sed quando flagitationibus, votis, precibus eorum, quid me Ma-

dalem

buta. Poſtquam vero Conſtantius tyrannus ibi ſedem imperii collocare voluit, eamque alteram Romam vocari edicto ſanxit; ideo Arelatenſes Viennenſibus attributos eſſe puduit, vt hæc ambitio progreſſu temporis ad ipſos etiam Arelatenſes peruenerit Epiſcopos, qui deinceps Viennenſem Antiſtitem prouinciæ primatum ſibi vindicare aut alteram ſaltem prouinciam, à Viennenſi ſeparatam, inſtituere conati ſunt, quod quidem tandem per pertinaciam obtinuerunt. Sed quando, pro his ignotum eſt mihi. Obtinuiſſe vero, vt etiam Archiepiſcopi vocarentur, ex eo patet, quod ſuffraganeos habuerint, quos ſine edicto Regum Franciæ, & ſanctione ſedis Romanæ impetrare non poſſent. Quando id adepti ſint, vt ignoramus, ita id ſero contigiſſe, idque barbaro ſæculo, non dubitamus. De contentionibus inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos ſuper hac ambitione multa produci poſſunt: vt & de pallio ipſi Arelatenſi à Romano Pontifice miſſo. quod eſt argumentum, Arelatenſem, nō Archiepiſcopum, ſed Archiepiſcopalibus ornamentis fuiſſe. Atqui ſcimus longe conſulem & hominem Conſularibus ornamentis differre. Denique omnis hæc ambitio ex ſanctione illius Conſtantii tyranni deriuata eſt. cuius conſtitutionem vide in Auſonianis noſtris. Amplitudo quoque vrbis, vt etiam Gallica Roma vocaretur, & multa alia, tum decrementa vrbis Viennenſis, illos ambitionis igniculos exſuſcitabant. Sed de his plura quando voles. Maſſo Papirius in libello ſuo oſtendit ſe multum profeciſſe ex Auſonianis noſtris, quamuis ſerio diſſimulet. Nihil noui attulit, præterquam vbi delirat, vt in Vcetienſi & Aletenſi Epiſcopatibus, quos ridicule nouos eſſe dicit. De Vcetienſe vide in Prolegom. lib. de emendatione Temporum, de Aletenſe conſtat ex Decreto Gratiani, vbi *Arelatenſis* perperam legitur. Sunt alia, quæ nunc... Sed tu Vale. Lugd. Batau. Prid. Idus Aprilis Iulian. CIƆ IƆ C VI.

Epi-

EPISTOLA CCCXLVII.

CAROLO LABBAEO. Omnes tuas accepi: tu non omnes meas; ſaltem nondum eas poſtremas, in quibus Labeniana Græca, quæ à me exegeras, mittebam. An acceperis, ſignifica. Video deſperandam eſſe editionem eorum Epigrammatum, & poematiorum, tam certe, quam ſolutionem mali nominis illius. cuius nunquam mihi venit in mentem, quin de mea ſtultitia potius querar, quam de pecuniæ illius iactura. Reſpondebunt Burdonio, & Burdonius, non à me ſed à melioribus ingeniis: neque ſerio, ſed ioculo ſcripto. Monumenta maiorum meorum, vna cum Epiſtola cuiuſdam Veronenſis admodum ſenis, Verona accepi, qui in domeſtico miniſterio Patris mei aliquando fuit. Is me puerulum, vt ipſe ſcribit, in vlnis geſtauit. Eam epiſtolam talento comparatam non habeo. Et à noſtro Iſaacio literas, ſine tuis accepi. Iratus per aliquot dies tibi fui. Vltima epiſtola tua me placauit. Tametſi Græca mea nunquam, vt quidem mihi perſuaſi, edentur, tamen habe & hoc Germanici, quod pones in fine capitis Εἰς κα[illegible]ς.

Θρῆξ παῖς [illegible] κρυσταλλωθέντος ἐφ' Ἕβρου,
 [illegible] θραῦσε πεπηγὸς ὕδωρ.
Τῶν δ' [illegible] ῥωῆς
 Συρομένων [illegible] ἀπέθρεξε κάρη.
[illegible] μήτηρ [illegible]
 [illegible]

Expecta quamprimum Euſebium meum. Meum enim iure merito vocare poſſum. Vale. Lugduni Batauorum, VIII. Kalend. Iunii Iuliani CIↃ IↃ CVI. Patrem tuum, virum Ampliſſ. & fratrem à me ſaluta.

EPISTOLA CCCLV.

CAROLO LABBAEO. Tandem accipe Euſebium noſtrum. An tanti fuerit à tot tantiſq; viris expectari, vos videritis. Mihi ſane nihil grauius fuit, quam tam fruſtra tamdiu expectatum fuiſſe. Itaque temporis beneficium eſt, quod tandem prodiit, non typographorum. Statim vt exemplaria accepi, nihil mihi prius fuit, quam vt ad vos mitterem: cum præſertim D. Thuanus tempus aliquod in compingendis teri vetuerit. Parui: quanquam ſcio, nudum exemplar & ſolutum, illi tradi cui id dicatum eſt, non magis ex officio meo eſſe, quam eſt ex voluntate. Accepi Paſſeratii libellum; magis nobis vtilem, quam auctori glorioſum. Rari erunt, qui eo ſciunt vti. Nos quanti ſit, ex eo æſtimare poſſumus, quod paucorum hominum eſt, & plures habebit, qui non capiant, quam qui eo capiantur. Ego ſane in cenſum bonorum eũ dedico. Epigramma in iudicem lue fœda laborantem, ſine Grammatico non intellexiſſem. Riſi tantum, quantũ ſtupui de Cimh. Quid, quod magis mireris, noſtra tulit ætas, quem XLIV. viuere annos hominem, poſtquam ſepultus eſt? Quam auide eam hiſtoriā legi! Quamdiu eſt, quod nullum ſcriptum me tam varie affecerit, commiſeratione, admiratione, voluptate! Non parum de me meritus es, qui hæc me ignorare non paſſus es. Memini de Arelatenſi Archiepiſcopatu, quod ex Zoſimo Papa ſcribebas. Quam epiſtolam ſcito commentitiam & ridiculam eſſe; vt & eiuſdem nomine duas nuper à Cæleſtino monacho editas in Bibliotheca Floriacenſi. Quis tam cæcus, vt non videat, quantum ſibi homines permiſerint, quibus plus otii, quam fidei ſuperfuit? Ego multa monaſteriorum, capitulorum, Epiſcopatuum Diplomata vidi, Regum,

Regum, Imperatorum, Ducum nomina & ſcripturæ vetuſtatem præferentia: quæ viri illi commentitia eſſe ſuboluit, nobis autem primo oculi coniectu odore falſitatis ſuæ nares percuſſerunt. Cuiuſmodi illud de donatione Alberici Epiſcopi, in hoc operum à geſtis. Anno DCCCXX. Kal. Decemb. Indictione erat IX. non XIII. à XXIV. Sept. Nondum enim indictione Romana Gallicana Eccleſia utebatur. Epacta erat ſecunda, non quartadecima. Erat annus XXVII. non XIV. imperii Ludouici. Hæc [illegible] ideo Reges veros, & veras præferunt donationes, quia de illis conſtabat. De aliis autem Regum & Epactis, ideo erratum, quia veris diplomatis vel incendio, vel alia vi maiore amiſſis, inſtauranda fuerunt inſtrumenta, ne prædiis donatis fraudarentur monaſteria. Sed qui inſtrumenta commenti ſunt, Reges quidem nominare, & prædia donata deſignare potuerunt, quod memoria eorum tradita per manus eſſet; annum autem Regis, indictionem, & cætera id genus, certo referre, per imperitiam non potuerunt. Eruditorum enim eſt, non autem τῶν τυχόντων ea deſignare. Iam ſcire potuiſti quis hominis ſit ***. Nemo magis mihi idoneus viſus, qui in Leidenſium collegia cooptetur. Et, niſi animus me fallit, in eas partes perducetur. Sex annis ſemel tantum vidi. Nuſquam ἐνδελεχεστέραν παιδαγωγίαν abſolutiorem vidiſti. Virum virorum prudentiſſimum hominem, præter hunc non potuiſſe reperire, cuius fidei liberos in longinquas partes proficiſcentes committerem. Gratias ago, quod duplex Petri miniſterium, paſcendi & occidendi, me docueris. Verbum non amplius addam. Vale. Prid. Eid. Iulias ab Iacea.

Nobiliorem debitorem meum credebam, quem annis XXV maiorem eſſe. Literas, quas [illegible] & [illegible] ad nobiliſſimam viduam [illegible], [illegible] ce[illegible], et [illegible] Parentem, ſororem, [illegible] à me ſalutes.

EPISTOLA CCCXLIX.

CAROLO LABBAEO. Poſtremas tuas, vt puto, cum libello commonitorum baptiſmi librorum Regiorum accepi. Inerat & Ἡσυχίου Ἰλλουστρίου fragmentum, quod ineptum eſt. Et in illis tamen quiſquiliis micam auri inueni. Didici enim, τὴν Νικομήδειαν, Ἀ[illegible] πόλιν [illegible] eſſe. Vtinam mihi omnia, quæ ad rationem temporum faciunt, miſiſſes, quæ quidem ſparſa in illo Bibliothecæ Regiæ theſauro latent. Ideo orote, ne quærere pigeat, ſi qua ſunt eiuſmodi. Secundam enim Euſebii editionem adorno, propter mendarum portenta, quæ infelici illi libro, à nebulonibus, qui typographiæ primo experimenta ineo fecerunt, illita. Nondum tuum librum vidi. Omnes alii habent. Amphiteatrum Honoris, auctius quidē, & maiori ex parte, contumeliis in me & Patrem meum, prodiit. Ego nondum vidi: neque ſane admodum curo. Qui Loiolitarum ſacra adorant, & propemodum Loiolitæ ſunt, impudentiam nebulonum & portentum illud execrantur, atque in terras vltimas deportandum eſſe ad nos ſcripſerunt. Sed certum eſt negligere hos Alaſtoras. Vale, Lugduni Batauorum. Kalend. Nouembris Julian. , Martinalibus veſtris. cIↄ Iↄ cvi.

Vtinam ille Ἡσύχιος Ἰλλούστριος ille totus extaret in Bibliotheca! De quo ſcire aueo, an aliquid præterea eius habeatis reliquum. Nam inter nugas multa eum habuiſſe ſcita, ex Photio cognoui. Iterum vale.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCL.

CAROLO LABBÆO. Literas tuas admodum recentes accepi. Datæ enim erant die x. Eid. Nouembris. quod valde miratus ſum, quum eas decimo die poſtquam ſcriptæ ſunt, acceperim. Vtinam & libelli tui, quem ad me miſiſti, & alterarum literarum, quarum mentionem facis, idem fatum fuiſſet. quæ omnia vna cum libris ampliſſimi Thuani, adhuc deſidero. adeo, vt Elzeuirius, qui hæc in dies expectat, cauſam moræ non minus miretur quam ægre ferat. Sed accipere hæc arbitrii ventorum eſt, non noſtri: & fortaſſe quædam etiam eorum culpa fuerit, quibus hoc negotium mandatum eſt. Equidem quotidie experior, quanta ſit eorum, quib. literas noſtras tradimus, negligentia: quod in illis querimur, qui meas tibi non reddiderunt. In quibus ſtrictim locum Nouellæ Iuſtiniani interpretatus ſum: & μῆλα, ex figura illa numiſmatis καυκία, à figura lancis vel patenæ ſeſſilis, dicta fuiſſe oſtendebam, cuiuſmodi multa vidimus, & niſi fallor, vnum adhuc in quiſquiliis noſtris habemus. τετράγωνα quoque adhuc multa ſunt in Græcia, & reliquo Oriente. Sed de illis in Schedio potius, quam libello de re nummaria agimus. Quem libellum, ſi quidem eo nomine tibi dignus videtur, cur in lucem prodire tantopere deſideres, cauſæ non eſt. Neque enim vlla dote commendari poteſt. Neque ſane illa σχεδιάσματα lucem videre patiar, quæ in pumilos eſſe, tanquam [illegible] Quod vero de auctore Polymathiæ veteris, fruſtra eſt. Non enim potui illum libellum habere, niſi fortaſſe ſuis domeſticis nummorum meorum Antonies van Mudden in dies aliquot accommodauerit. Quod ſi eſt, non tamen aliquid certi

ex eo propter ἀταξίαν, traiectiones, & tumultuariam congeriem locorum, expiſcari potuit. Menſibus præteritis recenſui. Et eo perduxi, vt aliquam faciem, ſi non libri, ſaltem diatribæ habeat. Ibi nihil recoquo eorum, quæ omnibus, ex nimio vſu nota in contemptum venerũt. Sed multas origines, quas nemo attigit, multos modos locutionis & rationis nummariæ attigi, quorum ignoratione etiam docti quotidie peccant. De Tacticis non potui continere riſum. Homines putant me ſuſcipere aliquid, quod nunquam mihi in ſomnis quidem hactenus in mentem venit. Neſcio vnde illis hæc perſuaſio inceſſerit: niſi fortaſſe quod quædam [illegible] τῶν τακτικῶν habeam. Eadem opera iurare poſſunt, Syriaca me & Arabica editurum; quod eiuſmodi quædam in muſeo meo ſint. Sed hæc eadem facilitate ventos ferre ſinimus, ac dicta ſunt ab illis. De ſtellionibus autem illis, ſatis mirari non poſſum, qui Patres à me ſine honore nominari dicunt. Oſtendant mihi quo honore velint eos à me affici. Infinitis locis Auguſtinum & Hieronymum, ſanctitatis & eruditionis cognominibus ornaui. An hoc ſit ſine honore Patrum meminiſſe, ipſi viderint, qui meum opus legiſſe non videntur, & tamen de eo ſententiam ferunt. Similis ſtultitia, quum aiunt, librorum Bibliothecæ Regiæ, per quos profecimus, non meminiſſe. Vnum Georgium habui. Initio Notarum ex Bibliotheca regia depromptum eſſe monui. Stultitiam minorem dicam, an malignitatem? Illud vero quantiuis precii ſit, debuiſſe Georgium me edere. Quod ius, aut naturæ, aut gentium, hoc à me exigit, vt quum Euſebium edere propoſuerim, Georgium adiungerem, qui ingens corpus ſolus conficere poſſit? quaſi, quod volumen edidimus, non ſatis magna moles ſit. & ſane miſero qui nullum laborum ſuorum habet ſocium, parum ſit me exantlaſſe ærumnas, niſi ei ſub ſarcina ſuccumbendum

dum ſit. Malignos, imperitos & ἀγεωμετρήτους iſtos non curamus; qui nihil ex meo opere colligere poterunt, niſi de quo quererentur. Doctis, cādidis, ingenuis & liberalibus animis, non iſtis homuncionibus ſcribimus. Nullus eſt de opere meo ferre ſententiam, niſi eius, qui eiuſmodi opus edere poſſit. Ego in extirpanda mendarum ſegete quæ in illo inoleuerunt, totus ſum. Multa etiam vtilia, neceſſaria, bonæ frugis addimus. Quod ſi quid in Bibliotheca ἱστορικὸν ſupereſt, aut χρονικὸν, quo quidem putes opus noſtrum melius fieri poſſe, oro te, quod & poſtremis feci, vt illud nobis impertias. Ἀποσπασμάτιον Ἡσυχίου Ἰλλουστρίου non eſt vnius aſſis. Vnum tantum in illis literis monui me didiciſſe, Nicopolim Actiacam fuiſſe πόλιν στρατηγίδα. Homines ἰδιῶται maxima pars eorum fuerunt, qui in illo ſenio Imperii Romani Chronica ſcripſerunt. Tamen inter illas ſordes veterum ſcriptorum gemmæ latent. Vt in illo Siculorum Faſtorum centone, cuius auctor homo imperitiſſimus fuit. Quod ſi ſimiles in Bibliotheca extant, non operam luſeris, ſi deſcripſeris; neque ego, ſi reciſis ineptiis, ſeria collegero. De tribus inſcriptionibus, duarum priorum interpretatio tolerabilis eſt. De poſteriore deliberandum. Μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς. In diem, illud Amphitheatrum flagitiorum, & latrinam Cerberi illius Schoppii, expecto. Scazontem de Solœciſmo ſupremis tabulis legato legi. De ſuperſtitioſis hominis de-[illegible]bus, per me quidem ſentiant quidlibet & ſcribant. Sed qui viri tanti doctrinæ obtrectantur, alios fautores quam me, quærant. Quod ego illos [illegible] faciam, quam maxime [illegible] relinquam, qui ſi nihil aliud, aliunde à me laudari [illegible] vel hoc argumento teſtabor, quod obtrectatores [illegible] nō poſſum. Pēn (hoc monere oblitus erā) eos, quos à me exigunt, vt aliquid de primis Eccleſiæ & Chriſtianiſmi fundamentis [illegible]; imo quo-

queruntur me nihil de ea re in meis Euſebianis attigiſſe. Vellem mihi locum in Euſebio opportunum huic materiæ oſtendiſſent: aut iam neceſſarium, vt illud argumentum à me ſine piaculo omitti non debuerit. Lepida res, vbi de Phoroneo, & Inacho agitur, ibi de incunabulis cultus noſtri agere. Memineris me ſupra dixiſſe, de opere meo iudicare, nullius eſſe, niſi eius, qui tale facere poſſit. Sed peruerſa iudicia non moror, quæ næuum in corpore potius vituperabunt, quam totum corpus commendabunt. Vale. Lugd. Bat. Prid. Eid. Nou. Iul. cIↃ IↃc vi.

Georgium, Chryſococcen, Maximum Tyrium, Chronicon tuum ad Cuiaciani lectionem collatum, librum Puteanorum remiſi. Sed dolet mihi, Leonem Byzantinum Grammaticum deſcribere non vacaſſe: qui poſt Theophanen in codice Georgii additus eſt. Præter occupationes meas illud quoque non paruum impedimentum eſt, ætas ingraueſcens, & breuitas viſus, per quam mihi libros ex magnæ formæ codicibus deſcribere non licet. Tantum abeſt vt totum Georgium deſcribere potuerim, qui eſt ingens liber. Itaque frontem perfricabo, neque à te contendere verebor, vt quum per occupationes tuas tibi licuerit, illum auctorem deſcribas: qui te neque magnitudine operis, neque moroſitate literæ deterrere poteſt. Nam & paucorum *τετραδίων* liber eſt, & *εὐανάγνωστος* eſt litera. A quotidiano labore tuo auertere te nolo. Sed quod commodo tuo fiat, & quod paulatim quotidie facere potes, id me à te rogare non tantæ impudentiæ eſt. Sed fac eſſe; impudentiam meam profiteri apud te non vereor. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA CCCLI

CAROLO LABBÆO. Heri veſperi tandem volumen cum tuis Orientalis accepi. Præfationem ſtatim devoravi, quam mihi admodum placuiſſe, ex eo arbitrari poteris, quod nunquam è manibus dimiſi, priuſquam ad calcem perveneram. Sane quam rara eſt hæc ætas, qui nihil aliud quam ſcribere profitentur, qui poſſint præſtare, quod tu in hac adoleſcentia ſumma cum laude præſtitiſti. Gloſſas aliquot percurri, quæ quamvis depravatiſſimæ & contaminatiſſimæ ſunt, tamen quia Latinæ ſunt, & Græca expoſitio illis adiuncta eſt, non operoſum erit eas emendare; præter paucolas; quas nec ipſas quoque emendari poſſe deſperandum eſt, ſi attentius in illas incumbatur. Multum debebunt tibi omnes ſtudioſi, qui illas [illegible] reliquias in lucem protuliſti. Noli dubitare, quin Germani [illegible] cum illis tuis ſupplementis edituri ſint. Nam diu eſt, quum exemplaria illius unicæ editionis non reperiuntur. Ego interea conſtitui cum tuis illa omnia conferre. Quare gratias tibi ago tanti muneris, quod ego & ipſius merito & tuo, tanti facio, quanti debeo. De verſibus Publianis non eſt quod obiicias à me omiſſos, quum eos iã verterim. Sed ſub aliis literis, aut ſub trochaicis. Quare hæc te morari non debent. Et profecto ſane iam ſatis in his minimis contrivi. Quæ qui volunt aliter aut accuratius vertere, per me quidem licet: neque proterea ulla invidia erit. [illegible] ad plurimum fecerim, ut [illegible] dentibus, maledicentiſſimis os obturarem, qui multa me de induſtria omiſiſſe, alia etiam perverſe dicunt. Sed quando flagitationibus, votis, precibus eorum, qui à me Martialem

tiatem meum exigunt, ſatisfaciam? Qui illius debiti bonam copiam amicus noſter curauit, ad reſolutionem delegaui. Itaque in tua poteſtate eſt, me hoc ære liberari, aut ſemper flagitatores ante oſtium habere. Sed iſtud ære in memoriam mihi ἀγνωμοσύνην mei debitoris reuocauit. Litis euentum expecto. Quod ſi nihil aquæ ex ſiccando pumice eliceſ poteris, certum eſt me ampliſſimo Thuano nummos illos redditurum. Quos vtinam nunquam miſiſſes! Meum volo mihi reddi, non alienum dari. Quod ſi meum non habeo, alieno vti mihi religio eſt. Quam primum ſcribe, quid in iudicio egeritis. Scribis mihi, luculenta Ioſephi exemplaria, extare in Bibliotheca. Oro te, vt in libris in Appionem videas, an hiſtoria extet, quæ in excuſis Græcis deeſt: in Ruffino autem tota extat. locus eſt pagina 941. vbi lacuna relicta eſt. Vtinam eam nobis explere poſſis! Deinde libro δ'. capit. 15. τῆς ἀρχαιολογίας multa deſiderantur dogmata, quæ Latina Ruffini editio habet. Si exemplaria illa haberem, Ioſephum meliorem dare poſſem. Sed ſenectus longinquum iter ſuſcipere prohibet. Tamen, ni graue eſt, eas lacunas nobis exple. De Melchiore Dimetrio idem accepimus, quod in tuo ſchedio relatum eſt. Sed nuſpiam veterum Græcorum inueni illa nomina. doctus fuit quantum ſibi ſuo ingenio ſumit, in hac Scythica Tragœdia permiſit. Epigramma Dionyſii de veſte legata relatum eſt Stazonis. Vale. VIII. Kalend. Decemb. Iuliani cIↃ IↃ C VI.

EPISTOLA CCCLX.

CAROLO LABBÆO. Bonizillæ, quas hac vna cum his accepies, neque longiores, neque noui ali-

aliquid ad te ſcribere ſiuimus. Omne enim argumentum in illis prioribus exhauſtum eſt. Nonnulla tamen [illegible] illæ ſuppeditarunt, quas heri veſpere vna cum ſpurca & mendoſiſſima Iamborum meorum editione accepi. quos tam falſum eſt, volente me aut conſcio à bono Rittershuſio publicatos eſſe, quam verum eſt, à me extortam eſſe hanc, quam tibi mitto, nec tam ſic emendatam. Heinſius (vt ex inutili præfatione eius diſces,) quod antea vilis precibus à me impetrare non potuit, id pudor vel dolor tam fœdæ editionis à me expreßit. Alter nunquam pertinaciam meam expugnaſſet, cui nihil negare ſoleo. Nunc [illegible] [illegible]. de poteſtate mea miſelli Iambi exierunt, mei non ſunt amplius. Si iſthic recudantur, amabo, fac vt meliori apud vos conditione, quam apud Germanos, vtantur. Non male locum poſt Publianos habere poſſent. Tui arbitrii omnia facimus. Scito me plurimum in libro tuo profeciſſe. Legi, relegi. Vtinam ſæpe [illegible]. Hæc me ſcribente, apud me habebam. Adeo ſum [illegible]. Omne ſerum ſorulos Bibliothecæ excutere piget: ſi quid forte lateat, quod ad rationem temporum, aut [illegible], quod ad [illegible] faciat. Si locorum Ioſephi, quorum alteras habetis membranas, tua copia mihi ſiat, vnde lacunæ in editionibus expleantur, magnam à me inibis gratiam. Nunquam conquieſcam, donec totum Euſebii [illegible] prælo commiſero. Legi He[illegible] quæ Sol[illegible] cum Socii[illegible] A[illegible] [illegible]. Item lepidas Apologi[illegible], [illegible] pro Iulio ac Ioſepho Scaligeris & Iſaaco Caſaubono paratas habet. Gratia mea [illegible] & Publianis [illegible] dita fuiſſe, magno [illegible]. In [illegible] eſt, donec [illegible] meum explere. Vale. Lugduni Batav. [illegible] Decembris Iuliani CIↃ IↃC VI.

EPI-

EPISTOLA CCCLIII.

CAROLO LABBÆO. Heri veſperi tuas vna cum libello de controuerſia inter Pontificem & Venetos accepi. Chron. con tuũ, quod tibi remiſi, vna cũ Georgio Syncello, & aliis Bibliothecæ Regiæ codicibus erat, quos ab ampliſſimo Thuano, clariſſ. Caſaubonus aut accepit, aut quum volet, accipiet. Puteanis quoque ſuos codices remiſi. Euſebianum exemplar, quod mittebam illis, ſecum ferre nobiliſſ. Buzenuallius non potuit. Sed propediem accipient. De opera, quam in deſcribendo Leone Grammatico polliceris, amo te. Sine vllo tuo, aut rerum tuarum incommodo, paucis diebus opus explicare potes, ſi quotidie pagellam vnam duntaxat exarare nõ pigueat. Eſt enim breue ſcriptum. Mirum vero, de tot Ioſephi Codicibus, ne vnum quidem abſolutum reperiri. Quis vero characteres antiquum omnium eſſe dicis, fieri non poteſt, quin multa ex illis corrigi poſſint, quę deprauata in editione circumferuntur. Vnum velim affirmanti mihi credas, infinita eſſe in Ioſephi vulgata illa editione, quæ nemo intelligat. Quædam, vt puto, feliciter eruimus. Sed ſi omnes omnium codicum lectiones nanciſceremur, non pigeret, etiam de illo præſtantiſſimo ſcriptore bene mereri. De meo Euſebio quid ſentiant, qui ſunt [illegible], ſui ſequeretur. Quia ab hominibus iniquis confeſſionem exprimere non poſſum, interea conſcientiæ meæ fiducia me ſuſtentabo, qui bene ſciam à me præſtitum eſſe, quod illis [illegible]. Dies ſtultorum magiſtra, quia ratio nõ poteſt, eos aliter ſentire adiget. Martialem vero meum, & Publianaudi, idque ab amico noſtro, non in parua felicitatis meæ parte pono. Vt autem & Iacobi ad calcem adiiciantur, non parum noſtra

noſtra intereſſe puto. Tria grauiora errata in codice, quem tibi miſi, à me notata reperies. Sed vnum in Epigrammate de ſuperſtitione effugit me, vbi inepte excuderunt: *Et iam labante parietē inclinant magis.* Legendum: *labantem parietem.* Reliqua quæ ab interpunctionibus laborant, tu ipſe per te corriges. Non poſſum *diſſimulare* gaudium meum, quum ex tuis literis intellexi Martialem noſtrum ſub prælo Roberti Stephani eſſe, quem ſane & iamdudum amo, & cui pluſimam à me ſalutem dicito. Scis quam maledicta Amphitheatri me offendant, ex quo cognoſcere potes, nihil magis me optare, quam vt nunquam niſi iſto modo Onanitæ illi ſcribant. Vt neque de lingua Latina neque de bonis viris bene mereri poſſint. Nudiuſtertius Caſaubono noſtro ſcripſi. Id excuſauerit, quod nullas nunc à me accipiet. In Græcis noſtris ex triumpho Petrarchæ editum eſt: ὡς ἤδε γῆ τε καὶ πόλῳ Κοινῇ κέκ[illegible]ται. Repone: ὡς ἤδε γῆ τε καὶ θεοῖς Κοινῇ κέκ[illegible]ται. Si iſtud placuerit quod ſequitur, poteris in cenſuram aliorum reponere. Sin autem, (& fortaſſe melius) abdicato. Latina noſti:

Ἐρωτικῶν [illegible] φύλακες & [illegible] ἀμυνῶν
Δίζεσθε πῦρ, ἐγὼ δ' αὐτὸς (δοκέω γ' ἔχω) πῦρ πλέθει.
Δακτύλῳ ἢν ἅψωμαι, ἅπαν καταφλέξεται ἄλσος.
Φλὲξ πόδ' [illegible], φλὲξ πέλει, οὐδὲ βλέπω.

Vale. Nonis Februarii Iuliani CIƆ IƆC VII. Scribo Petro Puteano. Recte curentur ei epiſtola. Audio Concilium Florentinum extare in Bibliotheca Regia, longe vberius, quam id, quod Romæ editum eſt. An verum hoc ſit, velim quamprimum certiorem me facias. Quod ſi eſt, non dubium vnde & quare fraus hæc nata ſit.

EPISTOLA CCCLIII.

CAROLO LABBÆO. Matris tuæ exceſſum impatientius tuliſſem, niſi obſtitiſſet generoſum propoſi-

tum tuum, te modum dolori adhibiturum. Ea conſtantia facit, vt qui propter te me doloris ſocium habuiſſes, nūc tua cauſa, eam ægritudinem depoſuerim. Ergo τλῆθι καὶ ἀχνύμενός περ. in quo me habebis imitatorem, niſi & tu mauis me in hoc conſtantiæ exemplo præire tibi. Sed nihil opus eſſe video, quandoquidem tu mihi has partes præripuiſti, & te ad te rediiſſe, ex literis tuis intellexi. Nunc ad alia pergo. Gratias de libellis, quos miſiſti, ago. Satyræ Menippeæ Gallicæ auctorem, de duobus alterutrum fruſtra amici noſtri Pictauienſes ſuſpicati ſunt: aut præfectum vrbis Maleacenſis in Pictonibus, aut Nic. Rapinum, qui abdicato magiſtratu ſuo in nidum ſenectæ ſe recepit. Neutrum verum: Illi ſunt ſeniores; auctor autem Menippeæ in Onanitas, vt ad me Geneuenſes ſcripſerunt, eſt iuuenis, &, niſi fallor, Pictauienſis, cuius familiam non ignoramus. Is anno præterito quum Geneuæ degeret, eum librum ibidem prælo commiſit, ex qua editione Rupellenſes ſuam fecerunt. Vtramq; nunc me habere puto. Valde mihi placuit opuſculum: & quidem eius lepidę mercis magnum incendium eſt. Poſt triduum exemplaria Iamborum meorum, quæ petis, tibi mittam. Nunc quidem mihi per properantiam eius, qui pecuniam regiam huc attulit non licuit. Sed breui habebis, aliud cura. Non poſſum narrare tibi, quanta cum voluptate Martialis mei folia acceperim, tum quia editionem deſperaueram, tum propter characterum elegantiam: ac denique, qui eſt deliciarum cumulus, propter typographum, quem cur amem, multæ cauſæ concurrunt, quarum quælibet argumentum magnæ epiſtolæ expleuerit. Certe ſi hoc modo pergat, diligentiam patrui, ſamam aui, vtriuſq; in excudendo vincet elegantiam. Glorior meos labores nō periiſſe. Hoc tibi totum debeo. Tu non ſolum ſocius, ſed & ſtudiorum meorum adiutor es. De cauſa mei debitoris, quas tibi gratias agam? ingratus

potius

potius mihi videbor, ſi exilem, quam ſi nullam gratiam tibi referam. ſed noſti animum meum. Intacti adhuc ſunt nummi, quos certum eſt mittere, ſi aliqua vis, fraus, aut dolus malus inciderit, quo minus ille nebulo iudicatum faciat. Interea pendebo animi, donec ex iis quæ ad me ſcribes, conſilium de rebus meis capiam. Iterum tibi velle autem, quum primum a luctu materno reſpiraveris, ut ſi quid in Bibliotheca nancisci poteris, quod ad exornandam ſecundam editionem Euſebii noſtri facere tibi videbitur, id ne nobis impertire pigeat. Leontem Grammaticum Byzantinum, non ἀβρῶς, ſed ἀργῶς, atque adeo quantum tibi commodum erit, deſcribere poteris. Illud velim ex te ſcire, quare Pontificii tam acerbe quotidie in Bodinum declament. Certe quod mancipium ambitionis fuerit, propterea odio illis eſſe eum non crediderim. Aliam ſubeſſe cauſam neceſſe eſt; quam ex te ſcire velim. Huius igitur tam inopinati odii cauſam, & quare hominem pridem mortuum canes ex tumulo eruant, neque eius manes quieſcere ſinant, à vobis expecto. Vale. Lugd. Bat. IV. Cal. Martii Iuliani CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA CCCLV.

CAROLO LABBAEO. Quamvis plura ad te ſcribere in animo habebam, tamen pluribus tecum agere mœror prohibet. Adeo ægritudo animi me iuris mei eſſe non ſinit. Nudiuſtertius enim Buzenvallium noſtrum amiſimus, quem morbo illo quidem abſumptum iri ſciebam, ſed tam cito fore, neque mihi, neque ulli medico credidiſſem. Obſtinatiſſima δύσπνοια eum nobis abſtulit. Quandiu hic fuit, ſemper cum illo morbo conflictatus eſt. Raro in lecto decubuit. Sedens ſomnum inibat, atque adeo ſedens, præter famulorum & amicorum qui aderant, expectationem, extinctus eſt. Nam loquens & legens animam edidit. Liber, cui dabat operam, eſt Petri Molinæi opus de cœna Domini, quem

librum nondum vidi. Ille vero tam auide illud opus le-git, atque adeo amicis præſtantiam illius ſcripti com-mendauit, vt ne moriens quidem de manibus depoſue-rit. Quem animi mœrorem conceperim, tute cogita. De-uorandum tamen eſt, quicquid huius nobis dolet. De Euſebii libello [illegible], beaſti me. Heinſius noſter hinc hauſturum ſe ſperat, vn-de Heſychii editionē locupletet. De meo debitore, quia tamdiu ſiluiſti, ſuſpectum mihi negotium eſt. Scio ſol-uendo non eſſe. Scribe, ſodes, quicquid acciderit. Nam nummos illos quos in anteceſſum accepi, quia ad me nō pertinent, reddere decreui. Quamuis temeritate & ſtul-titia mea id commiſi, cuius me ſtatim pœnituerit, tamen in meum, non amicorum detrimentum me peccaſſe in-telligo, atque adeo profiteor. Sed Euſebianum opus il-lud noli pati me fruſtra ſperare. importunus flagitator ero, donec voti compos fuero. Plurimi Acta Concilii Tridentini facio, quæ à te accepi. Multa illic eduntur, quæ nondum vidimus. &, quod mirandum eſt, quæ Lu-tetiæ excuſa ſunt, vix ſolent huc, niſi poſt [illegible], per-ferri. Velim ſcire quis autor ſit orationis ad Regem de immenſa Curiæ Romanæ potentia. Quid ego tibi pro-miſerim, cuius me in literis tuis moues, nec tamen no-minas, equidem non memini. Scribe: impetrabis, ſi qui-dem in mea poteſtate eſt. Vale, III. Eid. Septembris Iulia-ni, CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA CCCLVI.

CAROLO LABBÆO. Noli de lentitudine mea que-ri. Ad omnes tuas literas reſpondi. De Martiale meo partim gaudeo, partim ſtomachor: id, quod iam lucē vi-dit; illud, quod ſine reliquiis noſtris Græcis editus ſit. Ita-que oro te per amicitiam noſtram, vt alii typographo ea tradas,

ſuadas, qui & meliore mente, & maiore ſit patientia. Vtrumque enim illi, qui Martialem edidit, defuiſſe intelligo, quo minus totum opus excuderit. De meo debitore quid actum ſit, aut quid ſperandum, ſcire cupio. Onerant enim me illi nummi, quos, quamuis malæ fidei poſſeſſor non ſum, tamen quia mei non ſunt, in ſcrinio meo diutius eſſe non patiar. Quum primum libellum Euſebii περὶ τοπικῶν ὀνομάτων ediderìs, ſi ad nos miſeris, quidquid fructus inde colligi poſſit, tibi communicabitur. Fortaſſe nihil eſt. &: *qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.* Scio enim Patrum & libertatem immodicam eſſe in allegoriis ex nominibus Hebraicis eruendis, & inconſtantiam inuertendis. Tamen quia veteris ſcriptoris illud opus eſt, aliquid bonæ frugis illis ineſſe ſpero. Multa enim, ex Aquila, Theodotione, & Symmacho, hauſta eſſe omnino neceſſe eſt. Neſciebam Molinæum noſtrum de cœna Domini ſcripſiſſe, quo impenſius miror in Catalogo nundinarum non extare. Eum librum Buzenuallius adeo commendabat, vt quum tot ſcriptores illam arenam triuerint, longo interuallo à Molinæo ſuperati omnes prædicaret. atque adeo illum librum tunc, quum animam ederet, in manibus habebat. Nos Pariſienſes libros vix poſt triennium videmus, & quidem poſtquam omnes ſatietas eorum cœpit. De Leone Byzantino, quum per occupationes tuas licebit, iterum aurem vello. Satis eſt, ſi, quum tibi à forenſibus actionibus vacabit, dimidiam pagellam ſcribas. Cæterum ego omnia monſtra & portenta hominum in me concitaui: quos ſi roges cauſam furoris tanti, ſi verum reſpondere velint, nihil habent quod excuſent, præter æmulationem. Si tanta firmitas mea eſſet, quanta illorum improbitas eſt, iamdudum non literis, ſed rebus humanis valedicendum erat. Sed valeant ipſi, vt meriti ſunt; tu vt ego opto. Lugduni Batauorum. Eidib. Octobris CIϽ IϽC VII.

EPISTOLA CCCLVII.

CAROLO LABBARO. Nihil gratius mihi accidere poteſt, quam ſi ἀχαριστότατον debitorem meum in carcerem coniici cures. Etiam ſcelus tanquam re bene geſta triumphat: quod ex eius literis videri poteſt, in quibus inſecure nobis illudit, vt verba nobis ſe dare ſperet, quum Tremolienſium negotiorum geſtorem nobis ſolutorem delegat. de qua re nunquam ad eum ſcripſi; neque ſi ſcripſiſſet, ille pariturus fuerit. Omnino ſceleſtus bipes eſt. Si in carcerem coniiciatur, nunciaturum eius ſolutionem non moraturum puto. Exemplaria mei Martialis duo accepi. Nulla hactenus huc delata ſunt. alioquin ea à vobis non emendicaſſem, ſed ære meo paraſſem, quæ amicis darem. qui quum apud me querantur ſibi non dari, palam profitentur ſe à me tanquam ſibi debita exigere. Iam duo illa, antequam acciperem, & plura alia promiſſa ſunt. De editione Mimorum amo te. Mitto ad te, quæ in Catone caſtiganda ſunt, quorum maior pars ad interpunctionem vitioſam ſpectant. Tu illas interpunctiones ita pones, contra alias tolles, vt in indiculo conceptum eſt. Sed pene exciderat mihi monere, ne vllum accentum in Latinis poni patiare. Eam ſtultiſſimam pædagogorum ἀκρίβειαν iam à puero abdicaui: Scribunt, *ablat. Muſâ*: quaſi dicatur, ἀπὸ μούσης. Item, *huius manûs*, recenter ex fabrica Germanorum prodiit, qui harum ineptiarum ſeruantiſſimi ſunt. Miror viris doctis tam ſtultam conſuetudinem placere, quæ & omnĩ rationi aduerſatur, & poſt centum annos tantum recepta eſt. Riſi etiam ante aliquot annos, quum audirem virum doctum tibi notum, *Prophetae*, περισπωμένως pronuntiare. Adeo ſtultitia blanditur ſibi. Ita igitur enuntiabat: *Verba huius Prophetae, ab illo Prophetâ non diſcrepant*. Multum laboraui, vt riſum continerem. Sex libros Hiſtoriæ ampliſſimi Thuani nul-

mi nullos accepi. & diu eſt quum eius literas deſidero. Non puto eum noſtri oblitum eſſe, ſed culpa illius factú, cui dederat exemplaria, quo minus ea ad me peruenirent. Omnino ſcito, nihil eorum, quæ iſthic apud vos excuduntur, aut nunquam, aut ſero nimis ad nos deferri. Nam Elzeuirius tantum libros Formulariorum, & ſcriptores iuris Lutetiæ conuaſatos huc perferre ſolet, quod Hagæ eius mercimonii maximum vulgo incendium eſt. Singulari quadam & non ſolita felicitate Cleomedem Balforei, Diatribas Ampliſſimi Præſidis Tholoſani Berterii conſobrini mei, ſed miſſu auctorum, accepi. Alioqui, quæ mea eſt infelicitas, nunquam fortaſſe accepiſſem, quemadmodum neq; Acta Concilii Tridentini, neque alios libellos, abſq; beneficio tuo fuiſſet. Editionem Mimorum noſtrorum tibi commendo. Si Εὐσεβίου περὶ χρονικῶν ὀνομάτων haberem, iamdudum quæ in eo notatu digna ſunt, acciperes: ex quibus elegans prodiret editio. Nam ea eſt palæſtra mea. Hieronymum & Chryſoſtomum, quin mutilos expectare debeamus, cauſæ non eſt, quum iam id à tortoribus illis paſſi ſint. Alioqui Hieronymum mihi paraſſem. Interea editione Baſilienſi fruar quæ omnium eſt optima. Euſebii editionem ne differ: aut librum ad me mitte exſcriptum. Ego exornatum multis acceſſionibus tibi remittam. Vale. IV. Nonas Martias CIↃ IↃC VIII. Propediem lepidiſſimum ſcriptum in ſceleſtum Schoppium habebis. Literas, quas tuis alligaui, oro te vt recte in Aquitaniam cures: præſertim eam, quam Berterio Præſidi mitto.

Epiſtola CCCLVIII.

Carolo Labbaeo. Nihil noui ſuccurrit mihi, quod tibi ſcribam. Etenim rei abunde in illis literis, quas certus ſum tibi citius, quam has, redditum iri, à me

ſatisfactum eſt. Interea oro te, ne impune impurus debitor meus mihi illuſerit, qui ſyngrapham meam mihi reddendam curauit, eo quod, vt aiebat, res ſoluta mihi ſit. Quid obſecro te; hoc eſt, [illegible] Sit colonus carceris: neque inde, niſi ſatisfecerit, egredi liceat. Correctiones in Catonem ad te miſi. Illa editio diligentius curanda erit, quam Epigrammatum Martialis. Nam errores quidam imprudentibus ſurrepſerunt, quos magni fecerim commiſſos non eſſe. Sed alea iacta eſt. Memineris nihil prætermittere eorum, quæ in Mimos animaduerti. Laberianum proœmium vna cum reliquis meis Græcis edatur, tametſi ad calcem Martialis appoſitum fuit. Mirum deſiderium Euſebiana περὶ ὀνομάτων videndi me tenet. Multa poſſum animaduertere, quæ illam editionem & meliorem & ornatiorem efficere poſſunt. Vale. VI. Cal. April. CIↃ IↃC VIII.

Dolet mihi me nondum vltimos libros Hiſtoriarum ampliſſ. Thuani vidiſſe. Id vero ſerio expoſtulo; atque adeo tanta eſt confidentia mea, vt non verear dicere, iniuriam mihi fieri. Iterum vale.

EPISTOLA CCCLIX.

CAROLO LABBAEO. Euſebium περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων remitto. Libellus quidem dignus eſt, qui in lucem prodeat, ſed in quo nihil animaduertere potuerim, quod notabile ſit. Caue, cũ illis mendis edas quibus ſcatet: quæ ne excuſari quidem poſſint, quum vel pueris ſint obuiæ. Neque in hoc nimia erga veterem codicem tibi fraudi ſit religio: nemo enim ſanus ignoſcet tibi. Non poſſum tibi ſatis oſtendere, quantum deſiderium mihi moueris Decretalium cum notis Antonii Auguſtini. Vtinam cito prodeant! Harum epularum ego auidiſſimus ſum. Interea Heinſii Satyram longe locupletiorem quam

priori

priori editione accipe. Fabulæ Burdonianæ Confutatio adiuncta. quam ſi te legere non pigeat, nebulo impudentiora mendacia excogitari, nec validiores machinas ad ea oppugnanda adhiberi potuiſſe dices. Ideo te oro vt accurate legas, quod ſi feceris, varios affectus nunc ſtomachandi, nunc ridendi indues. Loiolitæ Antverpienſes, & præſertim Sodomitici Amphitheatri autor, homo furioſus, *& cui per mediam nolis occurrere lunam*, me ne ad minimum quidem Veſpillonidæ latratum reſpondere poſſe deierant: qui Veſpillonidem tamen capitali odio proſequuntur, quod nihil ab illo fieri ſe audiunt. Tantum nefaria illius ſcripta legunt: non quod probent ea, ſed quod aduerſus me comparata ſunt. Et, quod mireris, quũ per omnia mentitum eſſe nebulonem exploratum habeant, tamen quia de capite meo in eo libro comitia aguntur, gaudent eo nomine: quod ſane nouum obtrectationis genus eſt, capere voluptatem ex iis, quæ non probes. Quia peſſimum nomen meum toties appellando melius factum non eſt, & vix ab illo pumice guttam aquæ exprimi poſſe ſperandum ſit; præter illas centum libras; non tamen auctor ſum, vt iudicii rigorem appellare, & carceris pœnam intentare deſiſtas, donec omnia perſoluerit. Quod ſi nõ fecerit, trecentas libras, quas inuitus recepi, reddere decreui, deductis iis, quæ ab illo nebulone prorogata ſunt. Quo iure enim alienis frui poſſim tanquam meis? Quid noui poteſt promittere Corn. Taciti cum omnibus commentariis editio? quum Gruteriana habeat eoſdem, præter illũ, qui [illegible] Pichena nuper prodiit. Quod ſi quid præter illa omnia acceſſerit, aliud dicendũ erit. Vellem tuum Puteani libenter legam, tam propter hominis amorem, quam propter eius eruditionem: adde etiam propter liberrimam Præfationem, aduerſus peſtem literarum, Stygios canes, omnium virtutum & literarum perniciem. Calendarium Eccleſiaſticum ingenio-

ſum quidem eſt, ſed quod errores retineat, quos auctore Clauio Eccleſia Romana retinuit; qui adeo manifeſti ſunt, vt non eos mirer, quam à tot oculis animaduerſos non fuiſſe. Nam quoties aureus numerus eſt III, Paſcha celebratur in Adar, hoc eſt vno menſe citius. Rurſus quoties vera quartadecima Luna incidit in Sabbatum menſe Martio, ea in die Dominica in Calendario Romano deprehenditur, & ideo Dominica reſurrectionis in ſequentem Dominicam differtur, quum tamen verus locus reſurrectionis ſit prior Dominica, in quam quartadecima Luna Clauii incidit. Stupida, & ridicula hæc peccata, quæ nemo vnquam animaduertit, ſatis in Canonibus Chronologicis diſcuſſa ſunt. Carmen de Acone Santonico magis amo, quam laudo. Ibi falſa ſyllaba eſt in voce experimenta. Cras Hagam proficiſcor: Illuſtriſſimæ Dominæ deſiderium tuum exponam. Breui commendationis noſtræ fructum percipies. Vale. Lugduni Batauorum. vi. Calend. Septembris cIↃ IↃc viii.

Poſtquam hæc ſcripſi, fui Hagæ: rem tuam Dominæ commendaui. Omnem operam ſuam prolixe pollicita eſt. Noli dubitare. Iterum vale. iv. Cal. Septemb.

EPISTOLA CCCLX.

CAROLO LABBAEO. Nudius-quartus literas à debitore meo accepi. Scribit ſe tandem ab affinibus ſuis copiam diſſoluendi æris alieni impetraſſe. Delegaſſe ſe, qui mihi ſolueret, eum, qui hic res Trimolienſis familiæ agit. Literæ ineunte Septembri ſcriptæ ſunt. Tres menſes præterierunt, neque mihi res ſoluta eſt. Inſultat mihi nebulo iſte. Quaſi, quamuis conſtituiſſet ex arca procuratoris Trimolienſis ſoluere, tamen mihi commodum non eſſet hic ſolui. Conijciatur in carcerem, & ibi aut ſoluat, aut fideiuſſoribus præſtet tibi ſolutum iri. Sic e-

piſtolam

piſtolam eius legiſſes, non ferres nebulonis inſolentiam: cuius teſtem hanc epiſtolam ſeruo, & ſi opus eſt, tibi mittam. Omnino cogendus, vt tibi ſoli illa pecunia numeretur. Exemplaria Martialis mei tria tantum diuerſis temporibus accepi. Reliqua, quæ Caſaubonus noſter ſe miſiſſe ſcribit, non comparent. Sed oro te per amicitiam noſtram, vt reliqua edantur. Mimos enim publicari, propter Ingolſtadienſem pædagogulum permagnifacio. qui omnia me peruertiſſe ſcribit, quum tamen ne ſyllaba quidem ab editione Pithœana diſceſſerim. Omnium Loiolitarum contumelioſiſſimi Ingolſtadienſes ſunt; niſi fortaſſe Antuerpienſes æquaſſe aut ſuperaſſe eos maledicendo putas. Meliori conditione hodie foſſores quam literati ſunt, qui cum doctrina probitatem coniunxerunt. Nemo tutus niſi ſceleſtus. Ilicet, actum eſt de literis. & tamen nunquam tanta ſcripturientium prurigo fuit: in quibus nihil præter impudentiam & inſcitiam mirari poſſis. Literas tuas quas Auarici Biturigum ad me dediſti, iamdudum cum Apologia archicomœdi accepi. Loiolitas ab hiſtrione vinci non credent fortaſſe, niſi qui videbunt. Multi libelli quotidie Lutetiæ eduntur, quorum notitia vix quarto aut quinto anno, poſtquam editi ſunt, ad nos peruenire ſolet. in iis ab amico commentariolum Gallicum de Ruſſiæ Imperio dono accepi, qui anno ſuperiore editus fuit. Molinæi Gallica item opuſcula ſpero me à Bonauentura Elzeuirio habiturum. Is cum ſarcinis Pariſienſibus quotidie expectatur. Si Leonis Byzantii decem lineolas exſcripſeris; quum tibi vacabit, poteris ſine incommodo ſtudiorum aut occupationum meliorum, totum opus abſoluere. Id ego à te ea conditione peto, ne quid ſtudiis tuis incommodetur.

Vale. Lugdu. Batauorum. III. Non. Decembris CIↃ IↃCVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCLXI.

STEPHANO VBERTO *Aurelianenſi S.* Quod ſerius ad tuas literas reſpondeo, noli putare, Vir clariſſime, aut negligentia aut obliuione commiſſum eſſe. Nuper enim eas, duobus poſtquam datæ ſunt menſibus, accepi. Quod ſi prius accepiſſem, ſi nihil aliud, certe ipſa voluptas, quam ex illis cepi, diutius me ſilere non paſſa eſſet. Quod enim toties optaueram, vt in quendam inciderem, quo cum de Arabicis ſerio loqui poſſem, neque hactenus infelicitate quadam mea id contigerit, id vltro ſors mihi, & quidem vnde nunquam putaſſem, obtulit. Tu enim αὐτόπτης mihi occurriſti, qui multa me docere potes, quum ibi diu fueris, vbi non ſolum linguam, ſed & mores hominum diſcere potueris. Aliquot quidem Chriſtianos mihi videre contigit, qui à pueris linguam ipſam aut à Mauris, aut à Turcis didiciſſent: Sed, quod præcipuum erat, vt literas Arabicas ſcirent, id vero ipſis deerat. Parum enim ab illis diſcere poſſumus, qui Arabice ſcribere neſciunt. Scis enim duas aut tres literas ab ipſis Arabibus eodem ſono proferri. vt quum aliquod verbum ab ipſis pronunciatur, in quo T litera ſit, neſcias vtrum ط an ت ſcribendum ſit. Præterea Turcæ aliter ac Pœni pronunciant. Itaque [illegible] plane eſt, & exile ſubſidium omne, quod aut ab illis ſperare poſſumus, qui literas Arabicas neſciunt, aut ab ipſis libris qui Latino charactere Arabica concipiunt. In vtriſque enim luditur opera. Quum igitur ego incredibili amore huius linguæ raperer, & ad explendam ſitim meam, viua voce mihi opus eſſe viderem, neque tamen id conſequi poſſem; quod vnicum mihi ſupererat perfugium, eo vſus ſum, vt me ipſo magiſtro vterer, quandoquidem meliorem nanciſci non potui. Non paucos auctores euolui: magnam ſyluam verborum collegi: Grammaticos eius gentis conſului:

ſolum: Lexicon ingens collegi. Scis quantum profecerim? Quo plura congero, eo me huius linguæ imperitiorem eſſe ſentio. Poſtquam auctorem quendam bene videor intellexiſſe, quum ad alium me contuli, in alio mundo me verſari puto. Aliquoties ab Illuſtriſſimo Domino Mauritio, & Illuſtriſſimis Ordinibus literæ ad me mittuntur, vt eas interpreter, earũ aliæ à Muhammedanis, qui in India Orientali opes ſuas & regnum fundauerunt, ſcriptæ ſunt, aliæ à Mauris Regibus. In Indicis plana via mihi viſa eſt. In Mauritanicis multas ſalebras reperi, quæ curſum meum morarentur. Vt anno ſuperiore literæ Marrociani Regis longiſſimũ titulũ triginta verſibus rhythmicis conſcriptũ continebant, adeo obſcuris verbis, tropis, & ſchematibus, vt vix tria verba aſſequi potuerim. Sequebantur tres aut quatuor lineæ, quæ rem ipſam, cuius gratia literæ conſcriptæ erant, exponebant, ita vt Prologus Fabula triplo maior eſſet. Legi etiam diploma Reguli cuiuſdam Arabis, in quo verba quidem omnia Arabica agnoui, ſententiam autem nullam odorari potui. Itaque niſi ſcirem, Ciceronem, ſi reuiuiſceret, ſtylum Cancellariæ Pontificiæ, aut diſpunctiones Baldi, & Bartoli, non intellecturum, in maximam deſperationem huius linguæ diſcendæ adductus fuiſſem, quod neſcirem, ſermonem iſtorum diplomatum alium eſſe à puro illo, quo Aben Sina, & reliqui illi docti viri vſi ſunt. Multum igitur falluntur, qui ex lectione vnius Epiſtolæ Pauli ſe perfectam Arabiſmi cognitionem adeptos eſſe gloriantur. Quotidie ego poſt lectionem tot ſcriptorum, cum Socrate dicere cogor, me hoc tantum ſcire, quod nihil ſcio. Et tamen aliquid ſemper molior: vt ſi inſcitiam expugnare non queo, ſaltem illam inultam non ſinam. Aliquẽ vſum linguæ Perſicæ mihi comparaui, quia Pentateuchum eo ſermone interpretatum habeo, & alia quædam, ex quibus non ſolum iuſta Lexica, ſed etiam præceptio-

nes

nes Grammaticæ confici poſſunt. Nam opulentum etiam Lexicon, ſed Turcice expoſitum, habemus, quo plane totius linguæ verba omnia continentur. Quod ſi nobis adeſſet qui bene Turcice & loqui & ſcribere ſciret, non ſolum Perſici, ſed & Arabici ſermonis magnum Theſaurum dare poſſemus, quum Arabicum Lexicon, quo locupletius apud Turcas exſtare non puto, ſed tamē Turcice explicatum, penes nos ſit, in quo potius Turcica ex Arabicis, quam illa ex Turcicis intelligere poſſumus. Elegantiſſima & luculentiſſima ſcripta ſunt illa. Sed in Arabico Prolegomena addita ſunt, quæ non magis intelligo, quā ſi lingua Hibernica, aut Finlandica ſcripta eſſent. Et eiuſmodi ſunt fere omnia, quę à Muhammedanis ſcribuntur, quibus intelligendis viua voce opus eſt. Nam muti magiſtri ibi nihil nos iuuant. De Alcorani verſionis fragmento gratias ago. Sed nolim reliquis deſcribendis te occupari, qui illas horas melius collocare potes. Si poteris nancisci qui deſcribat, ego bona fide mercedem ſoluam, & tibi ſtatim nummos curabo. Nihil enim mihi gratius contingere poteſt, quam quicquid habes huius verſionis, id beneficio tuo mihi communicari. Scis quantum ab Arabicis Latina vulgata recedat. Aliquando incidi in paginā, vbi vix duo loci bene expreſſi ſint. Quantumuis patientia in nugis Muhammedicis legendis opus eſt, tamen adhuc maior in Latina illa verſione percurrenda exigitur. Alcoranum, vt Biblia ſacra, κατὰ πόδας conuertendum eſt, & verbum verbo, quantum quidem fieri poſſit, reddendū: quod ſane iſta accurate illa interpretatio, cuius fragmentum à te accepi, præſtitiſſe videtur. Sed illa فادعوا الله مخلصين له الدين ولو كره الكافرون melius vertiſſet interpres ille: *Inuocate Deum, ô liberati illius eſt cultus etiam inuitis refragantibus.* Hiſpanicum idioma clarius id redderet: *Inuocad a Dios, ô libertados, cuyo es el culto à*

peſar

peſar de los incredulos. Innoquez Dieu. ô affranchie la Foy (ou Religion) eſt de luy, voire maugré les opiniaſtres, (ou heretiques.) Non piguit me totum legere Alcoranum, vt ex eo grammaticos apices diſcerem. Et qui ſine illo ſe in Arabiſmo proficere ſperat, laterem lauat. Beaueris itaque nos, vir doctiſſime, ſi reliqua illius verſionis miſeris, & nos de tuo quoque iuues: quem non dubito non ſolum cognitionem eius linguæ, ſed & aliquot ex Africa libros retuliſſe. Quicquid huius facies, hoc publico teſtimonio teſtatum relinquemus, & tibi omnia accepta feremus. Vale. Idibus Octob. CIƆ IƆC VII.

EPISTOLA CCCLXII.

STEPHANO VBERTO. Quas grates tibi referam, neſcio pro tot tantiſque in me meritis tuis. Satis tibi non fuit prioribus tuis literis me ſummo beneficio obſtringere, niſi poſterioribus illud cumulatius acceſſione noua effeciſſes. Hoc ſatis perſpexi ex altero Alcorani capite à te deſcripto: adeo vt præterquam quod referendæ gratiæ me imparem ſentio, pudeat me etiam te tam moleſtum laborem mea gratia ſuſcipere, & commodorum meorum potius, quam occupationum tuarum rationem habere. Magnam igitur voluptatem ex illo capite percepi; maiorem tamen ex literis tuis, quum ex illis iudicare potuerim, quam multa me docere in Arabicis poſſis, qui cum popularibus illius ſermonis verſatus ſis: ego autem quicquid illius linguæ ſcio, hoc me magiſtro, peſſimo ſcilicet, & imperitiſſimo, didicerim. Sed quod te alium eſſe ab eo, quem putabam, ex poſterioribus literis tuis intellexi, gratum eſt mihi hunc errorem ademptū eſſe. Is quem cogitabam, cliens Illuſtriſſimi Cardinalis Borbonii, accepta Lutetiæ Medicinæ laurea, ſtatim Marrocum ſeſe contulit, vbi ſeptē annos deſedit. quod Arabiſmi tenere-

EPISTOLA CCCLXIII.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT, *Ampliſſimo Domino, S.P.* Nuper, Ampliſſime vir, quum eorum iuſſu, quos huc propter capitationem Illuſtriſſ. Hollandiæ Ordines delegauerant, frequens conueniſſet Academicus Senatus, venit ad me Doctor Tuningius. Refert, omnibus pro ſtipendiorum proportione ab Illuſtriſſ. Ordinibus capitationem eſſe indictam. à me quingentos exigi florenos, ita enim Ordines decreuiſſe. Ego qui exiſtimarem, non hoc Ordinum decretum, ſed ipſorum conſpirationem eſſe, qui leuare ſe, me onerare vellent; primo ſumma ope obluctatus ſum. atque ita hominem à me abſolui, vt facile ſentire poſſet, me tam iniquæ rei non pariturum. Poſtridie idem cum Merula ad me venit: nec quinquentos, vt ante, ſed quadringentos florenos mihi indictos refert. Qua inconſtantia imprudens prodidit, non ab Ordinibus hoc eſſe, ſed quorundam aliorum hanc fuiſſe technam. Ego multo impenſius quam ante reluctari. ille contra, negare hoc euitari poſſe, quod ſemel cenſuiſſent Ordines. Diu velitati inter nos ſumus. Quid verbis opus eſt? eo perduxit me, vt darem manus. Succubui. ac tametſi iniquum eſſet à me exigi, quod præſtare non poſſem, ea lege promiſi: ſi quidem priuatim hoc de me ſtatuiſſent Ordines: ſin autem; pernegaui me facturum. Quod reliquum eſt, ad te, vir Clariſſime, confugio, vt, niſi graue eſt, de ea re apud Illuſtriſſimos Ordines referas. quorum vt præceptis obſequentes ac morigeri ſumus, ita non niſi iuſta ab ipſis præcipi, animum inducimus. Qui nunquam fas cenſebunt, quum aliis ducenteſima tantum facultatum imperata ſit, me quinta multari. Quæ enim hæc proportio? Ius eſt me cum aliis, non præter alios conferre. Neque enim in communi cauſa vllam priuatam meam eſſe poſtulo. Tantum hoc

volo atque peto, ne in id cogar, quod facere neque debeo, neque, ſi velim, poſſum. Denique quicquid facere iudicor, id ex Ordinum ſententia, non ex libidine aliorum, quorum cauſa cum mea coniuncta non eſt, faciam. Vale vir Clariſſime & Ampliſſime. Lugduni Batauorum XII. Calend. Maii. cIɔ Iɔ XCIX.

EPISTOLA CCCLXIV.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Mitto tibi, Vir Ampliſſime, primæ fœturæ meæ libros. Quam primam nõ vocarem, niſi quia in Batauia eſt nata, à quibus omne rerum gerendarum deinceps prin ordium mihi inſtituendum eſt. Tu munus noſtrum verbis, niſi graue eſt, ornabis, vt quod à ſe ſperare non poteſt, illi à patrocinio tuo accedat. Quum peto, vt à te commendetur, id non aliter accipi volo, quam vt potius à voluntate mea, quam à merito ſuo commendetur. Vale, vir Ampliſſime. Lugduni Batauorum. x. Kal. Iulii.

EPISTOLA CCCLXV.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Benignitatis tuæ, quoquo me verto, Nobiliſſime atque Ampliſſime vir, veſtigia agnoſco. Ex Baſtingio enim tui ſtudioſiſſimo intellexi, quantum opera tua effectum ſit, vt muneri noſtro non ſolum honor, ſed & honorarium accederet. Præclarum eſt apud tantos viros gratiam meruiſſe, ſed præclarius mihi ad id commendatione tua gradum factum eſſe. quæ quidem tanti apud me eſt, vt in ipſa ſola, laborum meorum ſitum eſſe præmium putem. Neque vero tibi gratias agam, quaſi nunc primum obligari incipiam. Scio me humanitate à te prouocari, ex

quo

quo me amari a te ſentio priuſquam mererer. Quare alii fortaſſe, poſtquam meruerunt, comitatem tuam experti fuerunt: mihi, poſtquam eam expertus ſum, porro laborandum eſt, ne ea indignus videar. Vale, Vir Ampliſſime. Lugduni Batauorum. v. Calend. Iulias cIↄ Iↄ xciv.

EPISTOLA CCCLXVI.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Munus mihi, Vir Ampliſſime, vt ſupra omne meritum meum, ita omni prædicatione mea maius, miſiſti. Illius nomine gratias agerem, ſi, quas poſſum, epiſtolium hoc capere, aut, ſi, quas debeo, lingua proferre poſſet. Vnicum diffidentiæ meæ ſolatium adfero, animum ſcilicet gratum; quo a nemine vinci me patiar. Quem quandiu retinuero, (retinebo autem ſemper) nunquam vel tuorum in me meritorum, vel mei erga te officii luculento teſte carebo. Hæc tua benignitas, qua me apud Proceres Illuſtrium Ordinum commendare ſoles, maiores nobis quotidie faces ſubiiciet, ad moliendum aliquid, quod & ad huius ornamentum Academiæ faciat & literarum ſtudia magis augeat. Sed niſi tu, Vir Ampliſſime, ſtudiorum meorum commoditatibus ſuccurreris, vix eſt, vt cœptum hunc curſum tenere poſſim. In tota enim vrbe hac nunquam inuenire locum potui, vbi pro dignitate mei ordinis, aut ſtudiorum meorum commoditate, habitare poſſim; vt Vulcanius noſter melius ex tibi dixerit, quam ego his literis concipere poſſim. Quod ſi ædes mihi Ampliſſimorum Ordinum iuſſu præberi curaueris, & ſtudiis noſtris conſuletur, & omnes ſuperabimus moleſtias. Neque enim id tanti eſt, vt eius, modo tua accedat commendatio, repulſam ferre timeam. Quod ſi vnquam conſecutus ſum, aut in poſterum me con-

conſecuturum ſpero, oro te, Vir Ampliſſime, vt ad priſtina tua in me merita hic quoque cumulus accedat. Vale, Lugduni Batauorum VII. Cal. Martii.

EPISTOLA CCCLXVII.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Biennium vertens eſt, Vir Ampliſſime, ex quo me in Batauiam, quam amori patriæ prætuli, auctoritas Ordinum traduxit. Quid tibi dicam? quæ mihi tædia in illo interuallo deuoranda fuerint; dum quæro, quod ne hactenus quidem inuenire potui; patrem familias aliquem, qui me quacunque mercede domo recipiat, & alat? Quid verbis opus eſt? totum oppidum iam annum pertexo, & laterem lauo. Vltimum perfugium viſum eſt, vt in me patrem familias inueniam, quem alibi quæro: ædes conducam, ſupellectilem parem. Ad quam rem non vtique Crœſi diuitiis, ſed illis, quas ad manum non habeo, tamen opus eſt. Itaque ſi meis vnicis præſidiis hanc nouam familiam tueri poſtulo, verſuram facere, quantum video, & in ære alieno eſſe cogor. quod eo moleſtius eſt, quia indies creſcet. Sed pauca dictu res. Huic incommodo obuiam iri poteſt, ſi ab Ampliſſimis Ordinibus aut ædes aliquas, aut annuam earum impetrem mercedem, quod per te, aut alium neminem, conſecuturum me puto. Per amorem igitur, quo hactenus nos proſecutus es, vt hac in re iuues nos, te oro. Res tanti fateor non eſt, vt Ampliſſimorum Ordinum feria morari debeat; ſed tamen nec tanti, vt à tantis viris tam iuſtæ petitioni deneganda ſit. Vale, vir Nobiliſſime. Lugduni Batauorum. VII. Eid. Septembris

CIƆ IƆXCV.

EPI-

Epistola CCCLXVIII.

Cornelio vander Mylio, *Viro Nobiliſſimo, S.* Ego, Vir Clariſſime, non poſſum ſatis mirari nummum, cuius typum ad me miſiſti. Nunquam enim ſimilem vidi & puto, paucos eſſe antiquarios, qui viderint. Quid dicam, neſcio. Res enim aduocationem poſtulat. Itaque nummulum retinui, vt ex contemplatione eius frequentiore experiar, an aliquid expiſcari poſſim, quod Velſero noſtro ſatisfaciat. Reddam quamprimum, aut repetes, quum voles. Nam ad manum nihil nunc currit. Reſpondi Velſero ad poſtremas, quas à te accepi: idque eadem die poſt diſceſſum tuum. Doluit mihi, quod te conuenire Hagæ non potui. Cauſam ſubiti diſceſſus mei aperirem tibi, & probarem, niſi vererer ne moleſtus eſſem. Scito tamen eam ſonticam fuiſſe. Vix enim ſex horis Hagæ hæſi. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Calend. Iulias CIↃ IↃC III.

Epistola CCCLXIX.

Cornelio vander Mylio. Vix epiſtolium meum puero tuo tradideram, quum ſtatim interpretatio nummi Conſtantiniani ſuccurrit. neque vero vllam obſcuritatem habet, niſi quam raritas peperit. Ille χιαζων, id eſt, duplicium virgularum parallelarum ſeſe decuſſantium *figura*, in quas item duplicium virgularum in angulum obtuſum *inflexarum* ἀμβλυγώνιον incumbit, ea, inquam figura nihil aliud eſt, quam inſignia *eius* cohortis, cuius virtute Conſtantino parta *ſit* victoria. Imagunculæ autem, quæ figuræ inſiſtunt, ad ipſum inſigne pertinet. Huiuſmodi multa inſignia in Notitia Imperii Romani reperies. non quidem cum hac figura nummi, ſed cum aliis, quarum rationem nemo niſi auctor eorum

inſignium

tuum, nemo præter te. Quum te conueneris, locetum tuum conueneris. Itaque non veritus ſum tibi eum commendare, tum quia confido me hoc à te per amicitiam noſtram impetraturum; tum quia & is, quem tibi commendo, dignus eſt; cuius ratio habeatur, & quod petit, æquiſſimum eſt, & quod communicare vult, publice neceſſarium. xv. Calend. Septemb. cIↄ Iↄc iv.

EPISTOLA CCCLXXI.

CORNELIO vander MYLIO. Iſte, qui tibi has reddet, putauit ſe ſatis apud te commendatum, ſi aliquid literarum ex me, quibus ſe tibi commendarem, eliceret. Feci, quia vt ego non te auderem niſi de re iuſtiſſima interpellare, ita pro tuo in me amore meas literas aliquid ponderis apud te habituras diffidere non auſim. Ipſe melius deſideria ſua apud te exponet, quam ego. Illi igitur has partes reliqui. Multum à te contendo, vt in cauſſa ſua illum iuues. quod vt iuſtiſſimum eſt, ita minime dubito, quin Ampliſſimus vir ſocer tuus id ab Ordinibus impetraturus ſit, ſi quidem partes tuas interpoſueris. Nudiustertius literas ab amico noſtro accepi. Non poſſum narrare tibi, quam impatienter Euſebium meum à me efflagitet, & quam importune ſuper ea re mecum agat. Si crederem homini, omnia folia edita illi mitterem, & hoc pacto apud amicos eius, quorum precibus hoc agit, Ieſuitas, me traducerem. Non faciam, ſi ſapiam. Miras literas, etiam à Caſaubono noſtro accepi. A Conſulibus Nemauſenſibus cum optimo honorario inuitatur. Credo conditionem accepturum, quia ſibi tuto Lutetiæ verſari licere iam no-tà improborum hominum gratia non poteſt. Longum fuerit, ſi querelam eius ordine exponere poſtulem. Hoc

plenius

plenius reſciſces, quam opus erit, aut quum tibi libuerit. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Cal. Sextiles clↄ Iↄc V.

EPISTOLA CCCLXXII.

CORNELIO vander MYLIO. Poſt obitum Merulæ, quis dignior præfectura Bibliothecæ ſit, quam Heinſius noſter, neque eius meritum ſinit dubitare, neque omnium fauor in illum aliter iudicari patitur. Niſi dotes eius tibi notæ eſſent, auderem eum tibi commendare, vt inter candidatos Bibliothecæ eius ratio habeatur. Quia vero notior eſt tibi eius virtus, quam vt prædicatione mea egeat; non verebor tamen à te contendere, vt quemadmodum illum nemo ingenio antecellit, ita ei neminem in hac petitione præferri patiaris. Vale Lugduni Batauorum. III. Calend. Septembris clↄ Iↄc VII. Raptim.

EPISTOLA CCCLXXIII.

CORNELIO vander MYLIO. Multi, vir Ampliſſime, Auguſtini apparitoris Academiæ nuper vita functi munus ambiunt: & quidem ſerium negotium. Veſtrarum partium eſt, non ſolum illud officium mandare, ſed & cui mandetur, proſpicere. Qui ſeſe obtrudunt, & qui ab aliis obtruduntur, Nihil habent eorum quæ illi muneri obeundo opus ſunt. Nam aliquem vſum linguarum, propter peregrinos, & multa alia, quæ tibi notiora ſunt, quam mihi, habere eum oportet, qui illo digne fungi ſeſe poſtulat. Ego neminem puto neque magis idoneum, qui id exequi poſſit, neque digniorem, cui illud mandari debeat, quam Matthiam Elzeuirium. Nam cum patre ſuo, etiam viuente Auguſtino, iam eo functus eſt; vt quaſi pedem in poſſeſſione ea habere videatur, & linguarum

conuerſos, tamdiu inter nos obtinuit, donec capta Conſtantinopoli exules Græci nos relictis lacunis ad ipſos fontes conuertere docuerunt. Sed iam quod ſupra attigimus, artes in Africa pene exſtinctæ ſunt. Siquid Muhammedanis bonæ meſſis reliquum eſt, id vna vrbe Conſtantinæ reſidere puto: neque fallor. Inde igitur quædam bona exemplaria Arabica & Perſica, idque Iudæorum ope peti poſſunt. qui prius immani mercede conducendi ſunt. Tametſi enim nos inexpiabili odio proſequuntur; tamen nihil tam carum penes eos eſt, quam ſpes nummi ab illis extorquere poſſit. Sunt præterea inter illos non pauci, qui Arabice bene ſciunt, & docent, & quia Hebraicæ linguæ rudimenta meliore methodo ab illis, quam præcepta Arabiſmi à Muſſulmanis collecta ſunt, ideo melius, quam illi, Arabiſmum docent. Adde quod Chriſtiani, qui Grammaticam Hebraicam didicerunt, plus Arabiſmi vno die, quam quiuis Muſſulmanus quantumuis bonæ indolis menſe ſolido conſequi poſſit. Nunc ad epiſtolam tuam venio, quod ais, Arabiſmum, quo Mauri hodie vtuntur, *ἰδιωτικὸν* eſſe, & à priſco deſciuiſſe, vt Italicum à Latino, id non ignoramus quidem in multis linguis contigiſſe. Sed quæro vnde hoc fiat, quod omnia ſcripta eorum hodierna, epiſtolæ familiares, ſyngraphæ, cantilenæ circulares, emendatiſſimo Arabiſmi genere conceptæ ſunt? Nam & diplomata Regum, quæ habemus, eo modo vetere lingua conſcripta videri poſſint, quo Imperatores Germani, quidam alii Reges, ac Reſpublica Veneta, edicta ſua, & ſi qua ſunt id genus, conſcribere ſolent. Sed cantilenæ Mauritanicæ, quæ penes me ſunt, puro Arabiſmo conceptæ ſunt, eiſdem ſyllabis inſtar rhythmorum noſtrorum deſinentes. Mercatores Maſſilienſes, qui inter Ægyptios Muſſulmanos negotiantur, & à prima pueritia Arabiſmum Alexandriæ & Cayri imbiberunt, quum ego de multis, quæ ad illam

 linguam

EPISTOLA CCCLXIII.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT, *Ampliſſimo Domino, S.P.* Nuper, Ampliſſime vir, quum eorum iuſſu, quos hoc propter capitationem Illuſtriſſ. Hollandiæ Ordines delegauerant, frequens conueniſſet Academicus Senatus, venit ad me Doctor Tuningius. Refert, omnibus pro ſtipendiorum proportione ab Illuſtriſſ. Ordinibus capitationem eſſe indictam. à me quingentos exigi florenos. ita enim Ordines decreuiſſe. Ego qui exiſtimarem, non hoc Ordinum decretum, ſed ipſorum conſpirationem eſſe, qui leuare ſe, me onerare vellent; primo ſumma ope obluctatus ſum. atque ita hominem à me abſolui, vt facile ſentire poſſet, me tam iniquæ rei non pariturum. Poſtridie idem cum Merula ad me venit: nec quinquentos, vt ante, ſed quadringentos florenos mihi indictos refert. Qua inconſtantia imprudens prodidit, non ab Ordinibus hoc eſſe, ſed quorundam aliorum hanc fuiſſe technam. Ego multo impenſius quam ante reluctari. ille contra, negare hoc euitari poſſe, quod ſemel cenſuiſſent Ordines. Diu velitati inter nos ſumus. Quid verbis opus eſt? eo perduxit me, vt darem manus. Succubui. ac tametſi iniquum eſſet à me exigi, quod præſtare non poſſem, ea lege promiſi: ſi quidem priuatim hoc de me ſtatuiſſent Ordines: ſin autem; pernegaui me facturum. Quod reliquum eſt, ad te, vir Clariſſime, confugio, vt, niſi graue eſt, de ea re apud Illuſtriſſimos Ordines referas. quorum vt præceptis obſequentes ac morigeri ſumus, ita non niſi iuſta ab ipſis præcipi, animum inducimus. Qui nunquam fas cenſebunt, quum aliis ducenteſima tantum facultatum imperata ſit, me quinta multari. Quæ enim hæc proportio? Ius eſt me cum aliis, non præter alios conferre. Neque enim in communi cauſa vllam priuatam meam eſſe poſtulo. Tantum hoc

volo atque peto, ne in id cogar, quod facere neque debeo, neque, ſi velim, poſſum. Denique quicquid facere iudicor, id ex Ordinum ſententia, non ex libidine aliorum, quorum cauſa cum mea coniuncta non eſt, faciam. Vale vir Clariſſime & Ampliſſime. Lugduni Batauorum XII. Calend. Maii. CIƆ IƆXCIX.

EPISTOLA CCCLXIV.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Mitto tibi, Vir Ampliſſime, primæ fœturæ meæ libros. Quam primam nō vocarem, niſi quia in Batauia eſt nata; à quibus omne rerum gerendarum deinceps primordium mihi inſtituendum eſt. Tu munus noſtrum verbis, niſi graue eſt, ornabis, vt quod à ſe ſperare non poteſt, illi à patrocinio tuo accedat. Quum peto, vt à te commendetur, id non aliter accipi volo, quam vt potius à voluntate mea, quam à merito ſuo commendetur. Vale, vir Ampliſſime. Lugduni Batauorum x. Kal. Iulii.

EPISTOLA CCCLXV.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Benignitatis tuæ, quoquo me verto, Nobiliſſime atque Ampliſſime vir, veſtigia agnoſco. Ex Baſtingio enim tui ſtudioſiſſimo intellexi, quantum opera tua effectum ſit, vt muneri noſtro non ſolum honor, ſed & honorarium accederet. Præclarum eſt apud tantos viros gratiam meruiſſe, ſed præclarius mihi ad id commendatione tua gradum factum eſſe: quæ quidem tanti apud me eſt, vt in ipſa ſola, laborum meorum ſitum eſſe præmium putem. Neque vero tibi gratias agam, quaſi nunc primum obligari incipiam. Scio me humanitate à te prouocari, ex quo

quo me amari a te ſentio priuſquam mererer. Quare alii fortaſſe, poſtquam meruerunt, comitatem tuam experti fuerunt: mihi, poſtquam eam expertus ſum, porro laborandum eſt, ne ea indignus videar. Vale, Vir Ampliſſime. Lugduni Batauorum, v. Calend. Iulias CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA CCCLXVI.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Munus mihi, Vir Ampliſſime, vt ſupra omne meritum meum, ita omni prædicatione mea maius, miſiſti. Illius nomine gratias agerem, ſi, quas poſſum, epiſtolium hoc capere; aut, ſi, quas debeo, lingua proferre poſſet. Vnicum diffidentiæ meæ ſolatium adfero. animum ſcilicet gratum; quo à nemine vinci me patiar. Quem quandiu retinuero, (retinebo autem ſemper) nunquam vel tuorum in me meritorum, vel meæ erga te officii luculento teſte carebo. Hæc tua benignitas, qua me apud Proceres Illuſtrium Ordinum commendare ſoles, maiores nobis quotidie faces ſubiiciet, ad moliendum aliquid, quod & ad huius ornamentum Academiæ faciat; & literarum ſtudia magis augeat. Sed niſi tu, Vir Ampliſſime, ſtudiorum meorum commoditatibus ſuccurreris, vix eſt, vt cœptum hunc curſum tenere poſſim. In tota enim vrbe hac nunquam inuenire locum potui, vbi pro dignitate mei ordinis, aut ſtudiorum meorum commoditate, habitare poſſim, vt Vulcanius noſter melius ex tibi dixerit, quam ego his literis concipere poſſim. Quod ſi ædes mihi Ampliſſimorum Ordinum iuſſu præberi curaueris, & ſtudiis noſtris conſuletur, & omnes ſuperabimus moleſtias. Neque enim id tanti eſt, vt ſi vel modo tua accedat commendatio, repulſam ferre timeam. Quod ſi vnquam conſecutus ſum, aut in poſterum me con-

conſecuturum ſpero, oro te, Vir Ampliſſime, vt ad priſtina tua in me merita hic quoque cumulus accedat. Vale, Lugduni Batauorum VII. Cal. Martii.

EPISTOLA CCCLXVII.

IOHANNI AB OLDENBARNEVELT. Biennium vertens eſt, Vir Ampliſſime, ex quo me in Bataviam, quam amori patriæ prætuli, auctoritas Ordinum traduxit. Quid tibi dicam? quæ mihi tædia in illo interuallo deuoranda fuerint; dum quæro, quod ne hactenus quidem inuenire potui; patrem familias aliquem, qui me quacunque mercede domo recipiat, & alat? Quid verbis opus eſt? totum oppidum iam annum perrepto, & laterem lauo. Vltimum perfugium viſum eſt, vt in me patrem familias inueniam, quem alibi quæro: ædes conducam, ſupellectilem parem. Ad quam rem non vtique Crœſi diuitiis, ſed illis, quas ad manum non habeo, tamen opus eſt. Itaque ſi meis vnicis præſidiis hanc nouam familiam tueri poſtulo, verſuram facere, quantum video, & in ære alieno eſſe cogor, quod eo moleſtius eſt, qui indies creſcet. Sed parua dictu res. Huic incommodo obuiam iri poteſt: ſi ab Ampliſſimis Ordinibus aut ædes aliquas, aut annuam earum impetrem mercedem, quod per te, aut alium eminentem, conſecuturum me puto. Per amorem igitur, quo hactenus nos proſecutus es, vt hac in re iuues nos, te oro. Res tanti fateor non eſt, vt Ampliſſimorum Ordinum ſeria morari debeat; ſed tamen nec tanti, vt à tantis viris tam iuſtæ petitioni deneganda ſit. Vale, vir Nobiliſſime. Lugduni Batauorum. VII. Eid. Septembris
CIƆ IƆ XC V.

EPISTOLA CCCLXVIII.

CORNELIO VANDER MYLIO, *Viro Nobiliſſimo*, S. Ego, Vir Clariſſime, non poſſum ſatis mirari nummum, cuius typum ad me miſiſti. Nunquam enim ſimilem vidi & puto, paucos eſſe antiquarios, qui viderint. Quid dicam, neſcio. Res enim aduocationem poſtulat. Itaque nummulum retinui, vt ex contemplatione eius frequentiore experiar, an aliquid expiſcari poſſim, quod Vellero noſtro ſatisfaciat. Reddam quamprimum, aut repetes, quum voles. Nam ad manum nihil nunc currit. Reſpondi Vellero ad poſtremas, quas à te accepi, idque eadem die poſt *diſceſſum* tuum. Doluit mihi, quod te conuenire Hagæ non potui. Cauſam ſubiti diſceſſus mei aperirem tibi, & probarem, *niſi* vererer ne moleſtus eſſem. Scito tamen eam ſonticam fuiſſe. Vix enim ſex horis Hagæ hæſi. Vale. Lugduni Batauorum. XII. Calend. Iulias CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCLXIX.

CORNELIO vander MYLIO. Vix epiſtolam meam puero tuo tradideram, quum ſtatim *interpretatio* nummi Conſtantiniani ſuccurrit. neque vero vllam obſcuritatem habet, niſi quam raritas repperit. Ille χιάζων, id eſt, duplicium virgularum parallelarum ſeſe decuſſantium figura, in quas item duplicium virgularum in angulum obtuſum inflexarum [illegible] incumbunt, ea, inquam figura nihil aliud eſt, quam inſignia eius cohortis, cuius virtute Conſtantino parta ſit victoria. *Imagunculæ* autem, quæ figuræ inſiſtit, ad ipſum inſigne pertinet. Huiuſmodi multa inſignia in Notitia Imperii Romani reperies, non quidem cum hac figura nummi, ſed cum aliis, quarum rationem nemo niſi *auctor* eorum inſignium

tuum, nemo præter te. Quum te conuenerit, ſocerum tuum conuenerit. Itaque non veritus ſum tibi eum commendare: tum quia confido me hoc à te per amicitiam noſtram impetraturum; tum quia & is, quem tibi commendo, dignus eſt cuius ratio habeatur, & quod petit, æquiſſimum eſt, & quod communicare vult, publicè neceſſarium. XV. Calend. Septemb. cIↃ IↃC IV.

EPISTOLA CCCLXXI.

CORNELIO vander MYLIO. Iſte, qui tibi has reddet, putauit ſe ſatis apud te commendatum, ſi aliquid literarum ex me, quibus ſe tibi commendarem, eliceret. Feci, quia vt ego non te auderem niſi de re iuſtiſſima interpellare, ita pro tuo in me amore meas literas aliquid ponderis apud te habituras diffidere non auſim. Ipſe melius deſideria ſua apud te exponet, quam ego. Illi igitur has partes reliqui. Multum à te contendo, vt in cauſſa ſua illum iuues. quod vt iuſtiſſimum eſt, ita minime dubito, quin Ampliſſimus vir ſocer tuus id ab Ordinibus impetraturus ſit, ſi quidem partes tuas interpoſueris. Nudiuſtertius literas ab amico noſtro accepi. Non poſſum narrare tibi, quam impatienter Euſebium meum à me efflagitet, & quam importunè ſuper ea re mecum agat. Si crederem homini, omnia folia edita illi mitterem, & hoc pacto apud amicos eius, quorum precibus hoc agit, ſeruitus, me traducerem. Non faciam, ſi ſapiam. Miras literas, etiam à Caſaubono noſtro accepi. A Conſulibus Nemauſenſibus cum optimo honorario inuitatur. Credo conditionem accepturum, quia ſibi tuto Lutetiæ verſari licere in tanta improborum hominum gratia non putat. Longum fuerit, ſi querelam eius ordine exponere poſtulem. Hæc

plenius

conuerſos, tamdiu inter nos obtinuit; donec capta Conſtantinopoli exules Græci nos relictis lacunis ad ipſos fontes conuertere docuerunt. Sed iam quod ſupra attigimus, artes in Africa pene exſtinctæ ſunt. Siquid Muhammedanis bonæ meſſis reliquum eſt, id vna vrbe Conſtantini reſidere puto: neque fallor. Inde igitur quædam bona exemplaria Arabica & Perſica, idque Iudæorum ope peti poſſunt. qui prius immani mercede conducendi ſunt. Tametſi enim nos inexpiabili odio proſequuntur; tamen nihil tam carum penes eos eſt, quin ſpes nummi ab illis extorquere poſſit. Sunt præterea inter illos non pauci, qui Arabice bene ſciunt, & docent, & quia Hebraicæ linguæ rudimenta meliore methodo ab illis quam præcepta Arabiſmi à Muſſulmanis collecta ſunt, ideo melius, quam illi, Arabiſmum docent. Adde quod Chriſtiani, qui Grammaticam Hebraicam didicerunt, plus Arabiſmi vno die, quam quinis Muſſulmanus quantumvis bonæ indolis menſe ſolido conſequi poſſit. Nunc ad epiſtolam tuam venio, quod ais, Arabiſmum, quo Mauri hodie vtuntur, ἰδιωτικὴν eſſe, & à priſco deſciuiſſe, vt Italicum à Latino, id non ignoramus quidem in multis linguis contigiſſe. Sed quæro vnde hoc fiat, quod omnia ſcripta eorum hodierna, epiſtolæ familiares, ſyngraphæ, cantilenæ circulares, emendatiſſimo Arabiſmi genere conceptæ ſunt? Nam & diplomata Regum, quæ habemus, eo modo vetere lingua conſcripta videri poſſint, quo Imperatores Germani, quidam alii Reges, ac Reſpublica Veneta, edicta ſua, & ſi qua ſunt id genus, conſcribere ſolent. Sed cantilenæ Mauritanicæ, quæ penes me ſunt, puro Arabiſmo conceptæ ſunt, eiſdem ſyllabis inſtar rhythmorum noſtrorum deſinentes. Mercatores Maſſilienſes, qui inter Ægyptios Muſſulmanos negotiantur, & à prima pueritia Arabiſmum Alexandriæ & Cayri imbiberunt, quum ego de multis, quæ ad illam

linguam ſpectant eos interrogarem, nihil niſi mere Arabicum, & emendatiſſimum reſponderunt. Et ſane nos ſcimus, Ægyptios hodiernos illa lingua loqui, qua libri meliores conſcripti ſunt. Syri Maronitæ Liturgias ſuas & diurnalia duplici lingua legunt; Syriaca vetuſtiſſima, & Arabica. Syriacam non intelligunt, niſi qui Grammaticis operam dederunt: non magis quam Chriſtiani Latinam ſciunt, niſi ex præceptis Grammaticæ. At Maronitæ Arabicam maternam & vulgarem vocant, vt mihi vnus Meredinæus natione indicauit. Ea fœminæ, ruſtici, pueri in Ægypto, in Palæſtina, in Phœnice, & reliqua Syria vtuntur. Non dubito tam in Africa quam in Syria eſſe, quorum dialectus βαρβαρίζει, ſed agreſtes quos ipſi الكودين non autem aulicos & vrbanos, qui البلديين à te vocantur, & nos quoque ſcimus verum eſſe id: quemadmodum in Pictonibus ſoli ruſtici Pictonice, nobiles vero & honeſti viri dialecto aulica vtuntur. Neque magis puto differre Arabiſmum vernaculum à priſco, quam Pictoniſmum ab aulicorum Gallorum ſermone. Aliquot Syngraphas quoque negotiatorum Alexandrinorum & Caireuſium tereti & caſtigato Arabiſmo conſcriptas vidimus, ita vt interprete opus nobis non fuerit. Pronuntiationem vero ita inter eos variare mirum non eſt, quum memoria patrum noſtrorum eadem diuerſitas in Latina lingua animaduerſa fuerit, in Gallis præſertim Francocelticis, quos Latine loquentes, Itali Gallice putabant loqui. Anglorum vero etiam doctiſſimi tam praue Latina efferunt, vt in hac vrbe, quum quidam ex ea gente per quadrantem horæ integrum apud me verba feciſſet, neq; ego magis eum intelligerem, quam ſi Turcice loquutus fuiſſet, hominem rogauerim, vt excuſatum me haberet, quod Anglice non bene intelligerem. Ille, qui eum ad me deduxerat, tanto cachinnum

inſtabit, vt mea non minus interfuerit pudere, quam ipſius ridere. Sed & Turcica lingua aliter Conſtantinopoli, aliter in partibus Anatoliæ pronunciatur. Cum teſtes habeo homines, & ſumma fide, & qui diu inter Turcas vixerunt. Vt interim diſcrimen inter pronunciationem & ſcriptionem taceam. Scribunt بنك & pronunciant *Beng.* & alia ad eum modum, quæ non memini. Quid? nonne idem nos Galli facimus? Non Angli? in quorum idiomate magis quam in reliquis totius Europæ, ea diuerſitas eminet. De Punica vero lingua, quod ſcribis longe aliam eſſe hodiernam, quam Carthaginenſium, cuius ſpecimen egregium in Plautino Pœnulo extat: nos ſcimus Afrorum, Numidarũ, & Maurorum linguam, qua Beduin, ſiue agreſtes vtuntur, tam differre ab Arabiſmo, quam Teutoniſmum ab Helleniſmo. Eius linguæ Iohannes Leo in Africa ſua meminit, neque pauca de ea ſcribit. Nos quædam eius σπαράγματα in libro Aſtrologi Tunicienſis Arabico habemus, in quibus ne minima quidem nota Arabiſmi compareat. At Plautinæ Pœnoli dialectus parum à puritate Hebraiſmi abeſt. Tempore enim Eliſæ, quæ coloniam Pœnorum in Africam deduxit vniuerſa Phœnicia & Palæſtina puro Hebraiſmo vtebatur, vt & literis quæ hodie ſuperſunt apud Samaritas, & quæ puræ ſunt Phœniciæ. Vide rerum viciſſitudinem. Lingua, quam Hebraicam vocamus, & qua Sacra Biblia vtuntur, falſo eo nomine à nobis appellatur quum ſit Phœnicia. Ea intemerata in Aſſyria à primo vſque homine manſit, donec commerciis & negotiationibus exterarum gentium à prima puritate defecit, & in eam linguam deſciuit, quæ Syriaca vocata eſt; & iam tempore Abrahami & Patriarcharum in vſu erat, vt perſpicue ex Geneſeos XXXI, 47. conſtat, vbi tumulum Iacob Phœnicia lingua *Galed*, Laban Aſſyria *Iegar ſahadutha* vocat. Quum Abraham venit in Canaan, quæ

eſt Phœnicia, Aſſyria & transeuphratenſi linguâ vtebatur, vt illi opus fuerit Phœniciam, vtpote nouo inquilino, diſcere: Iſaaco, & Iacob opus non fuit, vtpote qui in ipſa regione nati eſſent. Exteræ nationes longo poſt tempore, atque adeo ipſi Iſraelitæ, eam linguam Hebræam vocarunt, ab Abraham, qui quod ex transeuphratenſi regione venerat, Hebræus vocatus fuit. Id enim proprie eſt homo, qui ex transeuphratenſi regione venerat; hoc eſt, Græce *περάτης*, vel *περαΐτης*, עברי. Ita enim primus Abraham, & deinde eius poſteri vocati. cuius rei vetuſtiſſima memoria Geneſ. xxxix, 14. extat. Ab eo igitur Cananæa, ſiue Phœnicia lingua vocata eſt Hebraica, propter Hebræos, quia ſolorum Hebræorum libri, qui ea lingua vtuntur, nobis noti ſunt. Hæc ergo viciſſitudo quam propoſui, notanda eſt: quod in regione Aſſyriæ, in qua nata eſt ea lingua, propter innumerarum gentium commercia, & varias imperiorum mutationes, florem illum & natiuum nitorem diu obtinere non potuit, quum integer manſerit in Phœnicia propter rarum exterarum gentium appulſum ad eos tractus, qui cæteris explorati non fuerunt, antequam Sidonii & Tyrii imperium maris obtinerent. neque tamen propterea ſtatim indoles illius linguæ mutata eſt, vt ex Phœnicum Annalibus apparet, quorum apud Ioſephum fruſta extant, vt & Philonem Biblienſem, citante Euſebio. Dido igitur, quæ & Eliſa, linguam Phœniciam cum characteribus in Africam intulit. Ea lingua tamen Plauti tempore à priſco Hebraiſmo deſciuerat, vt ex Pœnulo patet. & literæ Punicæ mirum quantum ab illis Samaritanis diuerſæ, quod nummi Carthaginenſium teſtantur. neque enim figura conuenit, neque ordo legendi. Nam Hebræi & veteres Phœnices à dextris ſiniſtrorſum, Pœni Carthaginenſes contra, à ſiniſtris dextrorſum more Græcorum & Latinorum legebant. Quæ huc pertinent,

neque

neque per modum epiſtolæ hic locum habere poſſunt, pete ex Diatriba ei rei in Euſebianis noſtris dicata. ابن كلب كافر, illud كافر, quo nos vocare recutiti Iſmaelitæ ſolent, mire pronuntiant Turcæ. quod ſcripto repræſentare nō poſſum, quomodo me Iuſtus Raphelengius docuit, qui Cōſtantinopoli Turciſmo operam dedit. اوفى معرف ὅπερ عمر οἶδας διάλεκτον Ἀ-ρραβικὴν, frequentius dicunt, quam, ſine illo ἄρθ., Natef. Ita ſane pronuntiant, ſed tamen quod ſcribendum ſit اعرف افنا Nam Elif, quod initio poſitum ἐστὶν ἀνεκφώνητον, ſcribitur, non prnunciatur: cuiuſmodi Alef Hebræi furtiuum vocant. Ex illis quæ poſuiſti quum vulgo vſurpentur, & mere Arabica ſint, non autem ἰδιωτικά, potes iudicare integrum & incontaminatum Arabiſmum adhuc inter illos ſupereſſe. Saliuam mihi de illo iuuene Turca mouiſti. Vtinam illius opera per aliquot menſes nobis vti liceret. Sperarem, qui vix carceribus emiſſus ſum, me poſſe breui metam contingere, & tales fructus producturum, quales ab homine Latino nullus Arabs expectare poſſet. Verum nobis eſſe tam beatis non licet, quibus omnia ſemper aduerſa fuerunt: vt non ſatis deplorare infelicitatem noſtram poſſim, quam πάντῃ πάντοτε καὶ ἐπὶ πάντων quotidie experior. Verſionem illam Alcorani non ſine cauſſa amo. Interpres enim fidem facit ſe peritum illius linguæ fuiſſe: ſed (Deum immortalem!) quam inepta eſt vulgaris illa, quam habemus, interpretatio! quæ quum primo, vt apparet ex præfatione Petri Cluniacenſis, fideliter adminiſtrata eſſet, poſtea ambitione audaculi illius, qui eam exornandam ſuſcepit, vt Latinius loquentem faceret, ita deprauata eſt, vt raro cōtingat aliquid eſſe, quod ad mentem Arabicorum faciat. Itaque nemo ex ea translatione ſperet ſe Alcoranum in-

telligere. Quidam Italus iamdudum idiomate ſuo expreſſit Latina, non Arabica, quæ nunquam vidit, neque ſi vidiſſet, intellexiſſet. Tamen auſus eſt in liminari epiſtola ſcribere, ſe ex Arabiſmo vertiſſe. Lexicon meum domeſticum (nam id in extrema Epiſtola te ſcire velle ſcribis) ex viginti millibus plus minus vocum conſtat. Sed quia non omnes ſunt primitiuæ, vt Grammatici noſtri loquuntur, vt Hebræorum magiſtri, radicales, non poſſunt eſſe pauciores octo millibus: & tamen ex tanta ſegete paruam meſſem colligo, qui mihi conſcius ſum, quantum ſuperſit mihi, vt eius linguæ mediocrem conſequar peritiam. Auctores, ex quibus Theſaurum hunc collegi, hos tantum memini. More hannevochim, Arabice à Rabbi Moſe ben Maimon conſcriptus litera Iudaica, nondum editus: cuius Hebraicam quoque interpretationem habemus. Liber plenus bonæ frugis, abſtruſæ eruditionis, & Theologis Chriſtianis apprime neceſſarius. Nouum Teſtamentum integrum, luculenta litera in Thebaidos deſerto conſcriptum. Tres Euangeliorum paraphraſes diuerſæ. Apocalypſis alia ab illa ſuperioris Noui teſtamenti. Pentateuchum Arabicum Rabbi Sahadia Gaon, cum eiuſdem Perſica interpretatione. Pentateuchon aliud manu ſcriptum, alio Paraphraſte anonymo, cuius dictio valde à ſuperiore diuerſa, charactere Iudaico. Pentateuchum Chriſtianum Arabicum, in Arabia, aut Hiſpania conſcriptum, charactere Mauritano, vetuſtiſſimum, optimæ notæ, ſed lacerum. Anſani Euclides. Lexicon Raphelengianum Latino-Arabicum. Character Latinus eſt Longobardicus, vt falſo vulgus vocat: Arabicus, Mauritanus, elegantiſſimus. Optimus liber, ex quo non ſolum multa hauſi, quæ ad Arabiſmum, ſed etiam quæ ad ſermonis Latini cognitionem pertinent. Dolendum integrum non exſtare. & abſque me fuiſſet, qui folia lacera conglutinaui, & fragmenta omnia

ea omnia collegi, iamdudum fere totus periiſſet. Diurnale Maronitarum, charactere Syriaco. Horologium, hoc eſt, horæ matutinæ. Preces Chriſtianæ, & quædam Beati Ephrem Syri, charactere Syriaco, cum interpretatione Syriaca. Dictionarium Granatenſe Hiſpano-Arabicum. Alcoran, omnium librorum, quos videre memini, elegantiſſime ſcriptus. Aſtrologia Muhammedis Tunicienſis, cum Commentario: optimus liber, quem fortaſſe, ſi vita ſuppetat, Latine reddemus. Scriptus eſt charactere Mauritanico. Lexicon Syro-Arabicon, ex lexico Bar Aly Syro, & alio anonymo, à tineis corroſo, à nobis concinnatum; & manu noſtra deſcriptum. Pſalterium Nebienſe. Pſalterium aliud, alio Paraphraſte, calamo exaratum. Aliud ex Syriaco inter lineas Syriaci, quod non ex LXX. interpretibus Græcis, ſed ex Hebraico interpretatum eſt. Liturgiæ tres Elkupti, ex quo exemplari Marcus Velſerus eas Romæ ab alumnis Maronitis collegii Gregoriani Latine verti curauit. In quo munere quantum errauerint, ipſi Velſero per literas indicauimus. Colloquium duorum Muſſulmanorum ex Mecha redeuntium de nugis Alcorani, liber elegans. Chronicon Samaritanum, ab exceſſu Moſis, ad tempora Antoninorum Auguſtorum, charactere Samaritano. Nomocanon, ſiue, Liber ciuilium legũ in folio, charactere Mauritano, accurato & luculento. Geographia per ſeptem Ptolemæi climata. Lectionarium vetuſtiſſimum Arabum Chriſtianorum. Arabica ſunt, ſine punctis diacriticis, Græcus textus è regione appoſitus ex Prophetis & Nouo Teſtamento, litera quadrata, quam capitalem vulgus vocat, quod eſt argumentum vetuſtatis non infimæ. Quia puncta diacritica abſunt, quæ literas ſimiles, ſed poteſtate diuerſas, à ſe diſcernunt, vt ق & ف, ب & ن, propterea non niſi à peritis linguæ legi poſſunt. Florilegium ex Chryſoſtomi Homiliis in quatuor Euan-

guarum aliquot cognitione præditus eſt, & omnium vo- [illegible] pronunciatione vacat. Quod opus eſt, propter probitatem proſpectum eius rei familiaris anguſtiis eſſe debet, vt habeat, vnde & ſtudium ſuum tueri & cum aliquo honore huic Academiæ vtilis eſſe poſſit. Commendo illum tibi, vt veſtro beneficio id conſequatur; neque ille fruſtra me rogaſſe, neque ego à te id temere ſperaſſe videar. Vale. Lugduni Batavorum, vi. Eid. Septembris CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA CCCLXXIV.

IOANNI A WOUWER, *ſuo S.* Omnes tui Wouweri, qui te ex animo amamus, de te ſemper ex quo abes inter ſpem & metum ſollicitii fuimus. Nam diuturnum ſilentium tuum, aut ceſſare officium literarum, aut male corpuſculo eſſe, nobis facile perſuadebat. Scis ceſſationem quid vocem? oblivionem noſtri. Non ſane, amice, ita *κακοήθης* fui, vt hoc animum meum inducerem. De adverſa valetudine potius *ὑποπτεύεσθαι* malui. Et ſane, quantum ex literis tuis diſcere potui, vates fui. Qui amant, facile in deteriorem partem omnia interpretantur. Aliquid tibi adverſum in via incidiſſe metui: & id quidem verum literæ tuæ prodiderunt, quas nudiuſtertius accepi. De naufragio totus adhuc horreo. Gratum tamen quod iam Neptuno nihil exprobrare præter vvida veſtimenta potes. Sed illud concoquere non poſſum, quod te ex illis marinis fluctibus, gravius domeſticum naufragium exceperit. *Quid facerent hoſtes capta crudelius urbe?* Valde me & illa rei domeſticæ iactura commovit: & iniuria ab illis tibi facta, a quibus minime expectandum erat. Sed bene, quod & eo animo præditus es, quo omnem iniuriam contemnere poſſis, & eo ingenio, quo

quamuis iacturam ſæculorum ſarcire poteris. Quicquid tamen huius eſt, ſcito me & doloris tui & querelarum ſocium ac participem eſſe, Vt quantū voluptatis ex integris rebus tuis capturus fuerim, tantum acerbitatis ex iſto vulnere fortunarum tuarum capiam. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Folia Lactantii quæ miſiſti, fidem tuam obligant, vt totum reliquum quamprimum mittas, idque pari diligentia & emendatum & expenſum. In diem expecto, quæ Politianus olim Syluarum margini ex vetuſtiſſimo codice annotarat. Ea multum editionem tuam exornabunt, quam pari fide ac ſedulitate curabimus. Non tamen prius agere cum typographo poterimus quam reliqua acceperimus folia. Non enim certum aliquod conſilium noſtræ editionis poterit, niſi prius modum libri exploratum habeat: & tu non dubitas id ius æquumque eſſe. Strenuam certe operam in Poetam illum bonus & eruditus ille Bernartius nauauit, ita vt illius diligentia & tuum & meum minuerit laborem. Accuratiſſime tamen omnia recenſebimus, & in calcem operis ſeorſim in Diatribam omnia conijciemus, quem omnem laborem tantiſper differimus dum reliquas paginas à te expectamus. Literas à Caſaubono accepi, quibus propediem me Athenæum ſuum expectare iubet. Medio enim Martio, opus totum ad vmbilicum euectum fore, & in manus hominum proditurum ait. N. N. negotia curabis diligenter. nihil gratius mihi facere poteris. Vale mi Wouvveri. Lugduni Bat. XIII. Kal. April. Iulian. CIↃ IↃ C.

EPISTOLA CCCLXXV.

IOANNI A WOUVVER. Gratum eſt de Bibliotheca quam promittis, vt ex poſterioribus tuis, quas

beſt accepi, intelligere potui. Poteris autem committere fidei fratris Cornelii van Dalen. Is, vt frater eius mihi promiſit, in ſe negotium recipiet, & ſua fide librum mihi recte reddendum curabit. Poſt viſuram paucorum dierum certum eſt reddere. neque enim meum eſt alienos libros otioſos retinere. Nemo eſt, quem aliena magis onerent. Si quid ex illo excerpi poterit, quo ornatior prodeat Euſebius noſter, totum tibi acceptum referetur. De editione Germanici, auctor ſum, vt eam curans abiicias: quia melior ea, quam Grotius dedit, dari non poteſt. Quas à te ſchedas accepi, remittam, vbi voles. Nihil habent neque melius neque præter id quod Grotiana editio habet. Puteani ad me Aratum ſuum miſerunt; quem, quia nulli vſui mihi eſſe poterat, ſtatim remiſi. Sunt enim Scholia ex Græcis ad verbum adeo ioculariter conuerſa, vt ea non legi præſtet quam edere. Ἐγκύκλια Ariſtotelis nulla alia exiſtimo, quam Τὰ ἐκδεδομένα. Nam τὰ ἐγκύκλια, etiam vulgaria exponuntur. τὰ ἐγκύκλια τοῖς ἐπακτικοῖς opponuntur, contra ac volunt docti viri. nam τὰ ἐπακτικὰ, quæ τοῖς μεμυημένοις patent, non etiam vulgo. De his nos alibi latius. Ἰλιὰς ἐκ νάρθηκος, ea tantum dicitur, quæ poſt Calliſthenis & Anaxarchi correctionem, relecta, annotata, emendata, & ab Alexandro Magno in ſanctuariis repoſita fuit. νάρθηκιον enim eſt repoſitorium ſanctius, vt in quo gemmæ & κειμήλια conduntur. Vertatur ergo, Ἰλιὰς ἐκ νάρθηκος, Ilias ex Alexandri ſanctuario. Puto te meas poſteriores accepiſſe. Scribam vberius propediem. Nunc occupationes excuſabis. Amicos iſtis verbis ſalutabo, vt præcipis. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Eid. Decembr. Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA CCCLXXVI.

IOANNI A WOUVERO. Minimum Felicem iam olim te Florentiæ edidiſſe cum conſtans fama ferret, & tribus nundinis expectatus vota noſtra illuſerit, credulitatem traduxerit. Neque fruſtra hoc nobis perſuadebamus, qui ſciebamus te nobiliora & promittere poſſe & præſtare. Nunc cum videam ex tuis literis illum prope diem in lucem exiturum nihil eſt quod de credulitate mea conquerar, niſi quod lectura ea mihi obuenerunt quæ tamen prope me in tuo contingere putabam. Sed vtinam de locis obſcuris illius auctoris, quos proponis, ſatisfacere poſſem. iam & de iiſdem olim conſultus ab aliis, verecundo ſilentio quæſitores meos à me ſubmoui. Putaui tamen pro, *& verbibus* legend. *in uberibus*. Hoc enim numiſmata plane oſtendunt, in quibus non ſolum mammæ, ſed & papillæ, tanquam ſubera expreſſa ſunt: neque propterea coniectura. De lectione *alitur* pro *aluitur*, idem præterito anno Raphelengio noſtro reſpondi. Sed omnia adhuc mihi ſuſpecta. Æqualem Tertulliano Minucium fuiſſe ſemper mihi perſuaſi. & quæ in vtroque ſcriptore iiſdem verbis perſcripta extant, vter ab altero mutuatus dubito. Sub Heliogabalo ambos ſcripſiſſe veriſimile eſt. *Canabrum* apud vtrumque de eadem re, iiſdem pene verbis legitur. alibi nuſquam legi, niſi pro *ſirpiculis*. Ignota mihi omnia. Scriuerium eam prouinciam ſuſcepiſſe, nunc primum ex literis tuis didici. Si ita eſt, non dubito quin magis gaudeat ſe hoc onere leuari, quam te hoc honore affici. Luculentam Martialis editionem adornat, in qua totus eſt. De Puteano tibi ſcripſi, omnes Lipſiani legere, maximo meo nullus tertius ſcripſi. Si quid literarum ad eos dederimus, ego recte reperiri ante curium maxime. Mitto tibi tuum Germanicum, quem cum acceperis, facies me

acce-

accepiſſe. Vale. Lugd. Batauor. XVI. Kalend. April. Iuliani CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCLXXVII.

IOANNI A WOWERIO. Legi ante Panegyricum ipſum, & Epiſtolam ad Lectorem, quæ nulla ex parte cedit Panegyrico, & quam vere Epiſtolarum tuarum Reginam appellare poſſis. Quid dicam de Panegyrico? Nihil quod non infra eius meritum ſit. Multa ſunt tamen quæ luxuriare mihi viſa ſunt: quæ tamen melius eſt ita eſſe, quia præſtat ſegetem luxuriare, quam ſterilem eſſe. Præterea, ea non ſunt lolium, aut ſteriles auenæ, ſed bonæ frugis incrementa. Et tamen hæc bona tam ſegetem ſuffocare poſſint, quam lolium aut alia deteriora. Ideo depaſcere illa, aut circumcidere, melius eſt. Et collocandæ arboris nullam aliam ſcis cauſam eſſe, quam vt grandeſcant rami quos relinquis. Hoc modo ſi tollantur ea quæ in illa oratione voluptuaria potius ſunt quam neceſſaria, reliqua niteſcent magis. Et ſane diu expectaui, quando ex Prologo ad ipſum drama nos deduceres. Retinebant quidem me illa ſplendida & multis litis luminibus [illegible]. Sed tamen facere non poteram, quin meminiſſem earum partium quas tuendas & ornandas ſuſcepiſſes, hoc eſt, ipſum Regem, cuius laudes, in quas poſtea effuſis habenis exſpatiatus es, audire aut legere geſtiebat animus. In illa partium voluptate, partim expectatione, tandem, pag. 58 [illegible] cœpi. Itaque bene orationem tuam muniuiſſes, ſi quam ea tam longinquo lectorem [illegible] Auctor [illegible] eum, vt parcioribus prolegomenis vtereris, & ad ipſum cuius cauſſa inſtituta eſt oratio, non ex abrupto, quod quidam faciunt, neque ex tam longo ambitu, quod feciſti, perueniſſes. Quod eſt non [illegible] in omnibus il-

iis partibus orationis tuæ? Sed non omnibus locus eſt. Certe ſcis, non omnibus, quæ ornare poſſunt, ornandam ſponſam eſſe; ſed iis tantum, quæ, ſi abſint, minus ornatam faciant, non iis ſine quibus ornata eſſe poſſit. Video te ingentem ſegetem huius Panegyricæ copiæ in conditis habere. quæ omnia non ſimul in omne argumentum exhaurienda ſunt. Certe non potui ſatis mirari, multa illic acute ſine putiditate, & ingenioſe ſine aſperitate dicta. Denique omnia eiuſmodi ſunt, vt, ſi idoneis locis accommodentur, extra aleam ponant induſtriam tuam. Profecto, non inuenies hodie, qui, ſi eandem materiam ſuſceperit, ſi cum tuis comparetur, non omnem operam luſerit. Perge igitur. Nam certus ſum, te in ſecundo argumento, quod aggredieris, te ipſum ſuperaturum.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

IOANNI A WOUVVER. Ex iucundiſſimis literis tuis intellexi quidem, te Genabi eſſe: ſed an diutius ibi futurus eſſes, non ſignificabas. Fortaſſe quod nondum conſtitueris te totum iuri dare. quod tamen malim te perſequi, neque à tam bono incepto deſiſtere. Scis enim eam viam eſſe vnicam hodie illis, qui & ſummos honores conſequi, & patriæ prodeſſe volunt: quorum ſi natura ab altero te alienum fecit, alterum tamen à te exigere poteſt. Ego certus ſum, cuicumque rei animum appuleris, non ſine fructu & gloria fore. ita noui eximium ingenium tuum. Ego quidem bene valeo: ſed omnes ſtudiorum meorũ rationes acerbiſſimus Iani Douſæ iunioris caſus conturbauit. quo adeo conſternatus ſum, vt quoties infelicis ephebi vicem conſidero, puerili- ter in lachrymas erumpam. Deceſſit tabidus. Quare [illegible] quondam valetudinem [illegible] ſæpe deprehenderam, ta-

men

men peregrinatione Germanica fata eius accelerata puto. Non enim patiens laborum neque victuum militarium erat. Dies, quo hæc ſcribebam, octauus ab exequiis illuxerat. Pater non ſolum publico abſtinet, ſed quatriduo inedia ſeſe maceravit, vt cum miſeram parentem conſolari debeat, illa ei contra hoc officium faciat. Audio Franciſcum, vnum ex fratribus, hic eſſe. Cras ex eo de familiæ illius ſtatu ſciam. quam adire vereor, ne quum me miſeri parentes viderint, monitorem lacrymarum potius, quam caſtigatorem ſe videre putent. Reliqua ſcribere dolor prohibet, cui imperare non poſſum. Vale, mi Wouvveri. XI. Kalend. Ianuarias Iulianas cIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCCLXXIX.

PAVLO DV MAY, S. Binas à te literas accepi. Cur ad eas ſtatim non reſponderim, exponere non poſſum tibi, ni moleſtus eſſe poſtulem. Nam quamuis habeo quo moram excuſem; tamen narrando occupationes meas, obtundere te nolo. Vnum tamen ſcito, etſi opportunitas ad te ſcribendi non ſemper præſto adfuit, animum tamen ſcribendi non defuiſſe. Atque adeo quum hæc ad te ſcriberem, cum ægritudine animi & in ſummis occupationibus hoc feci. quibus quum liber ero, officio non deero, neq; committam vt de lentitudine mea queri poſſis. Neque ſane adhuc queri poſſis, ſi quidem ſciueris quantis cum curis conflicter. Sed Deus dabit his quoque finem. Quia vero initium amicitiæ inter nos inſtituendæ à te ortum eſt, ego ſedulo operam dabo, ne iudicii tui te pœniteat. Vale. Lugduni Batauorum III. Eid. Septembris cIↃ IↃ XCVII.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXXX.

EILHARDO LVBINO, ſuo S. Ego vero, mi Lubine, cauſſam tam diuturni ſilentii tui mirabar. Gratum tamen eſt, quod non amoris, ſed literarum intermiſſio facta eſt. non minus enim quam ante amari me a te nunc ſentio: neque eſt quod queri de te poſſim, niſi officium literarum ceſſaſſe. Parua eſt iactura, & quæ cum fœnore ſarciri poteſt. nam tamdiu tacuiſſe te, magis dolere quam expoſtulare poſſum. Quamuis autem ſatis ſpectatus eſſet tuus in me amor, tamen maiorem eius poſtremis literis ſignificationem dediſti, quum iniuriam mihi a nefando Schoppio factam, tecum mihi communem eſſe voluiſti; ſi quidem iniuria mea dici poſſit, quæ in auctorem ipſum potius redundabit. [illegible] Nebulo ille ab deplorati pudoris hominibus ad nefarium ſcriptum illud adiutus eſt: quo poſt hominum memoriam nullum ſceleratius, execrabilius, & peſtilentius editum eſt. Nam in Italia Sodomitæ quidam [illegible] conuiciorum et monſtra ſubminiſtrarunt: in Germania vero Loiolitæ Moguntini, dum excuderetur opus, cum venenoſa dicta, etiam ipſo Schoppio inſcio, ex narthecio illius ſanctiſſimæ ſocietatis deprompta interſeruerunt. Hæc enim facile a Schoppianis dignoſci poſſunt. Quorum multa ex illo cœno magiſtelli Serarii lutulenta ſunt eruta. Cui nimium quantum dolet, quod lo[illegible]um Euſebii de Eſſenis per nos tueri illi non licuit. ac præ dolore & impatientia, deſperata victoria, nullum aliud inuenit ſolatium, quam vt eos Grammaticos vocaret, a quibus victus eſt. Hæc cauſſa fuit, quod tamdiu piaculare illud opus in prælo fuerit. quod indies et dicteria, & Loiolitæ Moguntini monſtra quotidie communicarent, qui hunc centonem hunc farcirent. Tanta vero indignatio illius [illegible] liberos animos hominum non ſolum [illegible]

cum,

rum, ſed etiam Pontificiarum partium inceſſit, vt qui Tarpeia fulmina non meruerunt, immaniſsimum ad reſpondendum appulerint, qui vero meticuloſiores ſunt, quod poſſunt, alios ad id faciendum hortentur. Etiam inter quoſdam primi in literis nominis conuenit, ne qua contumelioſa dicta & probra in ſummos viros coniecta inulta ſinant. Reſpondebunt itaque quomodo inſanis & fatuis ſolet; non quomodo graues viri ab iis accipiuntur, quorum intereſt reſpondere. Certe, ſi nullum noſtrum in literas extaret meritum, quod ſceleſtorum calamos à maledictis abſterrere poſſet, tamen eſſet quædam reuerentia Parentis mei, cuius doctrinam etiam ingratiis fateri coguntur. eſſet illius in Germanos beneuolentiæ quidam reſpectus: vt qui luculenta oratione Germanicum nomen ad cœlum extulerit. id meritis ſuis conſequeretur ſaltem, ne in celeberrima vrbe Germaniæ liber eiuſmodi excuderetur, quo eius genus, mores, doctrina traducerentur. En quis conſeuimus agros. Ταῦτα τὰ ἐπίχειρα τῆς ἀρετῆς. Quare, mi Lubine, quod te habere quæ reponas illi nebuloni ſcribis, non tamen edere te velle, niſi & mihi volenti illud ſit; ego vero non ſolum tam pium factum prohibere nolim, ſed & vltro te ad id adhortor. Quum enim multi ſe ad reſpondēdum compararint, omnes vero boni nihil æque in votis habeāt, effugere non poteris, quin ex illis alios imitatores, alios pietatis tuæ laudatores habeas. Ego ſane multū gloriabor, quod Patri meo à nebulonibus iniuria affici contingeret, vt à probis & doctis defenderetur, quos nihil hactenus ab [illegible] niſi ſola literarum à quibuſdam Germanis acquiſita Schioppi & [illegible] probe ſibi habent expectatio. Quum eorum videbis [illegible] non poſſe ſibi te tales habere bonitatis tuæ ſocios, qui [illegible] tie mei manes à Scioppianorum ac [illegible] contumeliis vindicare conſtituiſti. Ego pro illa pietate ipſus [illegible]

tibi referam, equidem neſcio. Hoc vnum ſcio, Iulium Cæſarem Scaligerum defendiſſe, non minori tibi laudi fore, quam ipſi Scaligero fuit de literis bene meruiſſe. Quæ mendacia de Burdonibus & Burdoniis ille tenebrio, aut ab aliis accepta, aut à ſe conficta iactauit, leuioris operæ eſt confutare, quam ab eo ruborem exprimere. Loiolitæ quotidie aliquid in nos; nos vero Loiolitas ridere. Vale. Lugduni Batauorum XVI. Calend. Octobris Iuliani cIɔ Iɔc VII. Eruditiſſimum Kitchmannum à me, niſi graue eſt, ſaluta.

EPISTOLA CCCLXXXI.

ANDREAE SCHOTTO, *ſuo S.* Quod primum gaudiorum dicam, neſcio. Ita varie me affecerunt tuæ literæ. Hinc erat, quod mihi de tua gratularer valetudine, quã conſtare tibi video, ſi imbecillẽ oculorum aciem excipias. Illinc occurrebat fides & conſtantia tua in amicitia noſtra, quam incorruptam apud te manere teſtatus es. Ego vero triumpho, qui tanta conſtantia amicum, tanta eruditione præditum habeam. Neque poſtremo loco poſuerim voluptatem, quam ex libro tuo cepi, quem totum deuoraui. quem ſi ſcirem edere te nolle, ſcito me nõ remiſſurum fuiſſe, niſi prius impoſita edendi neceſſitate. Itaque ea lege remitto, ne diutius nos eum deſiderare ſinas. Neſcio quo bono caſu euenerit, vt tunc quum idem tractarem, librũ tuũ acceperim. Tum enim in manibus meis *Χρονικῶν ἀναγραφὴν* habebam, quod eſt vnũ ex capitibus τῆς *συναγωγῆς ἱστοριῶν* noſtræ, quam editioni Euſebianorum Chronicorum Græcæ adiiciemus. In ea Synagoge quædam *ἀναλεκτὰ ἐκ* τῶν Ἀφρικανοῦ ſunt. Euſebii vero Chronicon non adhuc Græce editum eſt. Ne ipſi quidem Græci ante aliquot ſecula habuerunt. Nos integrum dare non poſſumus. Sed tamen tot, tanta, ac talia

ex

Digitized by Google

ex eo magno corpore membra aut potius tabulas, ex illo naufragio reſtituemus, vt à bonis & Eccleſiaſticæ antiquitatis ac veterum hiſtoriarum ſtudioſis non paruam me initurum gratiam exiſtimem. Quæ enim hodie ex Hieronymiana interpretatione habemus, tantum operis Euſebiani ἀποσπασμάτια ſunt. Latina meliora dabimus, & longe alia à vulgari editione. Magnam iniuriam οἱ βιβλιοσκόβλαι Euſebio fecerunt, vt ſatis vicem tam boni operis deplorare non poſſim. Vide igitur, quam bene conueniat nobis, qui eodem fere tempore idem argumentum tractabamus. Nam, vt dixi, ἐν τῇ ἀναγραφῇ τῶν Ὀλυμπιάδων multa quæ ſunt à te animaduerſa inuenies. Labor tuus tanto gratior erit, quanto vtilior alius eſſe non poſſit: & certe accuratiſſime omnia à te diſcuſſa ſunt. Vnum ſupereſt, ne editionem differas. Lege enim tecum agerem. De Senecæ Declamationibus, gratum. Audio Lipſium ſuos Commentarios etiam in alterum Senecam Typographo tradidiſſe. Bene cum vtroque Seneca agetur, ſi eadem opera ambo prodeant. Vale. III. Calend. Nouemb. CIϽ IϽC II.

EPISTOLA CCCLXXXII.

FEDERICO CERVTO, *ſuo S.* Poſtremis literis tuis opportune, vt volebam, reſpondere per inclementiam hyemis non licuit, quæ tanta fuit, vt non ſolum ingentia flumina Wahalis, Renus, Moſa, quæ hos fines interfluunt, ſed etiam maximus Friſiæ ſinus, quē Auſtrale Mare vocant, frigore conſtrictus fuerit, atque propterea neque nobis ad vicinas regiones exitus, neque inde ad nos aditus patuerit. Hæc anni aſperitas tres fermè menſes nos tanquam feras caueа incluſas, detinuit. In Gallia, Zelandia, Bohemia, & omni fere Septentrione in via frigore enecti ſunt homines. Vera tibi narro, non

non fabulas. Quapropter tantum abeſt, vt aliquid literarum ad te dare potuerim, vt ne ad Gallos quidem meos, qui non longe hinc abſunt, ſcribendi vlla fuerit poteſtas. Harum regionum ſeniores, quum ſuperiorum memoriam temporum replicant, tam ſæuæ hyemis exemplum ſe meminiſſe, aut à maioribus accepiſſe, negant. Itaque ſi tibi videor ceſſaſſe, omne negligentiæ crimen à me hac exceptione facile deprecabor. Nunc ſcito ſub prœlo eſſe feſtiuiſſimum & lepidiſſimum libellum, in quo ſcelerati tenebrionis totius vitæ ſcena, ac flagitioſa facta, dicta, furta, crimina exponuntur. Auctor tam elegantis opuſculi vix vigintiquinque annos ætatis expleuit, quum tamen omnia huius æui excellentia ingenia ſuperarit. Ego illud cum aliis, quum primum in lucem prodierint, tibi mittam, ſiquidem nactus fuero, cui recte tradere poſſim. Sin autem, alteras nundinas expectabimus. Paucula quædam confutandæ de Burdonibus fabulæ accedent. tametſi omnes amici, & quidem magni viri auctores mihi ſint, illam partem non tangere: quum omnibus de calumnia conſtet, & hæc confutare velle, ſit eſſe nobis iniuriam facere, nebuloni autem ſummum honorem habere; quem negligere potius interſit dignitati noſtræ. Nobis aliter viſum eſt: ſaltem vt pudorem à frontibus eorum exprimamus, qui huius mendacii fabri fuerunt; quamquam magno [illegible] hæc aliis ſe perſuadere poſſe. Non enim nos parum [illegible] ſcimus, vnde hæc profecta ſint, & qui in variis regionibus hæc ventilarint. Quibus [illegible] minime putaremus, ſi leniter reſponderemus. Quid tamen eorum mentione abſtinetur. Vt ne vllus quidem vir bonus de nobis conqueri poſſit, quum & ipſis parcamus, qui tam male de nobis meriti ſunt; quos vt bonitate cauſæ, ita moderatione animi vincere, non exiguum triumphum eſſe iudicamus. Curaui porro vt ex Germania Euſebii mei exemplar vnum ad Velſerum,

& in-

& inde ad mercatores veſtrates, vt nobis indicaſti, Bolzanum deferatur. Sed tam fœdis maculis ea editio deformata eſt, vt nouam adornare cogar: quod propediem futurum ſpero. Si mercatores, quibus negotium dedi, me veſtrates, qui Bolzani negotiantur, non fefellerint, noli dubitare, quin accipias. Nihil enim mihi prius eſt quam voluntati tuæ ſatisfacere, ideoque non vulgariter negotium hoc commendaui. Si mihi ſcripſeris, quid de Batauicarum negociationum mercibus Indicis à me curari tibi velis, quibus Hieronymus filii tui Muſæum inſtruatur, non parcam operæ, non precio: quanquam omnia fere iamdudum diſtracta ſunt, ac nihil reliquum eſt, præter quædam parua dictu & nullius momenti [illegible]nis. Nam de conchis anatiferis fabula proditus eſt. Nullæ enim anates ex conchis procreantur, ſed ex putredine [illegible], quibus conchæ adhærent, anates quaſdam naſci certum eſt. Etiam arbores anatiferas eſſe in vltima Scotia, vbi nulla prorſus arbores ſunt, hactenus mentita eſt ſcriptorum vanitas. Scribe igitur, quid mitti tibi velis. non patiar te id deſiderare diutius, ſiquidem in publicis Indicorum mercimoniorum horreis extat. Vale, & Illuſtriſſimum Dominum Nic[illegible] à me ſaluta. Lugd. Batauor. Nonis Martii CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

DAVIDI HOESCHELIO, [illegible], in Photii editione [illegible] te mouere poſſem. Librum quidem [illegible], itemq; Henrici Stephani [illegible] Opuſcula [illegible] editione [illegible], an in alios vtilitas. Certe tam egregium ſcriptum non alio editore dignum erat, quam te, [illegible] editione, & eruditione [illegible] & propenſione in literas

& cupide omnia à me lecta. Quædam lacunulæ tamen procemii initio, item σφάλματα γραφικὰ ſunt, quę & me & Vulcanium morantur, hunc & à vertendo deterrent. Prope quadriennium iam habet illum codicem, neq; vlla ſpes eſt, vt ab eo prodeat, niſi lux à meliori codice affulgeat. Quia nihil amicis denegare ſoleo, propterea à me facile impetrauit, ea tamen lege, vti ederetur, vt dixi. Si aliam edendi ſpem non facit; videro. alia via mihi & Procopio meo conſuluero. Recte enim iudicas, dignum eſſe, qui edatur, & quia dignus, & quia male ab interprete acceptus eſt. Qui & τὰ καιριώτατα omiſerit, & quæ retinuit, peſſima fide conuerterit. Nam & finem belli Gothici iuſto pene volumine fraudauit. Caſaubonus noſter in diem Lutetiæ diplomate regio accitus, expectatur. Nunquam otioſus eſt, τὰ πάρεργα ipſius aliorum ἔργα fuerint. Beauerit nos, ſi typographos nanciſcatur, qui velint edere quæ habet. Nam hoc genus hominum iam ſibi ſupplicari poſtulat. Si tantæ literarũ infelicitati, vel potius infamiæ, non ſuccurratur, etiã mercedem ab ipſis exigent ſcriptoribus. Si ad manum qui noſtra publicarent haberemus, ſidem faceremus, nunquam nos ceſſare. Aliquid tamen à nobis quanquam non proximis nundinis, expecta. Moræ enim maturationi per morbum operarum obiectæ ſunt. Nam τὴν ἀμβολιεργίαν horum hominum non auſim accuſare, quæ illorum propria eſt, vt Delphinorum natatus. Concilium Nicenũ, cum præfatione illius Gelaſii, cuius mentionem in Photio tuo habes, & cui hæc Acta Synodica accepta referenda ſunt, iam Lutetiæ excuſum eſt. Abſq; eo enim foret, nullæ Concilii illius ſupereſſent reliquiæ. Onoſandrum quoq; de Re militari ibidem Græce & Latine excuſum expecto. Vt & Seruium P. Danielis, qui propediem ibidem prodibit. Commodũ in lucem Concilium Nicenum prodiit, quum Iohannes Commelinus, vt hic ederetur, curaret, quod ante xxv.

annos

annos edere Vulcanius potuiſſet, qui exemplar eius deſcriptum ab eo tempore habuit. Nos ante annos xx. in agro Pictauienſi illud legimus: eodem Codice vii, ex quo illa Lutetiana editio prodiit. Sed, ut memoria, Vir [illegible] Hoeſcheli, & nos ante [illegible] xiii. Calendas Februarii Iuliani. Vidi inter manus Pauli Merulæ Hiſtoriarum Profeſſoris alteram Itinerarii veteris Antverpiæ exaratam, ex Bibliotheca Peutingerorum veſtratium, opera nobiliſſimi viri Marci Velſeri noſtri. Velim ſcire ex te, an vetus ſit codex ex quo editio illa prodiit. Nam quantum coniicere potui, qui eius auctor eſt, Itinerarium Antonini & Ptolemæum ferè totum deſcripſit. Iterum vale. CIƆ IƆ XC [illegible]

EPISTOLA CCCLXXXV.

DAVIDI HOESCHELIO. Doleo priores literas meas ab hoſtium equitatu interceptas ad te non perueniſſe. Eæ cum literis meis & Merulæ ad Clariſſ. Vir. Marcum Velſerum ſimul Coloniam fuerunt, quæ via maximè ab excurſionibus militum & variis graſſationibus infeſta. Quid ad te ſcripſerim, equidem non facile meminerim. Sed (quod poſt [illegible] meis [illegible]) in vnum indiculum errores editionis Puteanæ coniectaram & paucos illos [illegible] typographicis mendis plures, quam [illegible] obtinere poſſim. Itaque neque illas mendas tanti eſſe videbantur, [illegible] quibus melius perſpicere poſſis, quam ego [illegible] vel paulo doctiorem lectorem [illegible] poſſit. Quo magis inutiliter collocari operam putabam, niſi veritus eſſem, ne tibi hanc denegare, eſſet aut laborem tuum gratia declinare, aut amicitiæ noſtræ rationem non habere. Quæ potui igitur meminiſſe [illegible] in hoc ſchedio habes. Quæ bona, pro tuo iudicio elige; mala, quæ tua eſt æquanimitas, [illegible]

[illegible]

ſtis, Non enim ſeria tua hæc moneri debeo, neque per-
fectoopus, me in iſtis memorari; qui in melioribus no-
men meum ſileri optarim. Vale, mi Hœſcheli, & nos a-
ma. Lugduni Batauorum. Kal. Auguſti cIↃ IↃ xcix.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

DAVIDI HOESCHELIO. Reliqua, quæ proximis nundinis ad me de corpore Photii miſiſti, perlegi, & quæ paucula inter legendum annotaui, ea in ſchedium conieci, magis vt tibi morem gererem, quam vt digna mihi viderentur, quæ morari occupationes tuas debeant. Nihilominus non tua cauſſa velim, quam fortaſſe etiam prudentius hæc ſuppreſſiſſem quæ editionem tuam meliorem facere non poſſint. Sed, vt dixi, à me diſſentire volui, vt tibi ſuppeterem. De Dicæarcho, & aliis, quæ ſcribis, ſcito quantum ex tuis litteris colligere poſſum, nihil tua ab illis, quæ habemus, diſcrepare. Illa autem ex vetuſtiſſimis & optimæ notæ pagellis ampliſſimi Senatoris Pariſienſis Cl. Puteani τοῦ μακαρίτου habemus. Sed pagellæ multæ ita exoletæ erant, vt ne litteræ quidem veſtigium in illis extaret vllum. Verſibus Comicis, ſed perpetua oratione, quædam concepta erant. Nos ſtatim in continuatione illa verſus odorati ſumus: quod alios, quibus ante me pagellarum copia facta erat, fugerat. Si quid putas eſſe in noſtris quod te iuuare poſſit, mittam quæ habeo ſtatim. Has autem reddendas tibi Iohannes Honger curauit, mercator Germanus, qui Amſtelredami negotiatur. Ei tuto omnia committere potes. Nam is eſt, quem Marcus noſter mihi indicauit, & per quem frequentioribus inter nos agere poterimus. Nundinis autumnalibus de integri Phrynichi editione, ad me ſcripſiſti: quam

ita à te abſolui cupio, vt exigere à te eam non verear. Sed Thomas Magiſter vna adiungendus, qui reconditus opum Atticiſmi penus eſt. Si præterea [illegible] [illegible] ὁμιλίας ederes, & ex illis vnum corpus efficeres, non paruam à piis & doctis gratiam inires. Quod quidem inprimis te vnice cogitare volo; vt poſt editionem Phrynichi, hanc cures. Proximis nundinis Marco noſtro vberius ſcripſi. Nunc quid ad eum ſcriberem, nihil ſuccurrebat. Ei à me plurimam ſalutem, quem meas litteras, & te notulas ad ea Photii, quæ miſeras, accepiſſe minime dubito. Vale, mi Hœſcheli. Lugduni Batauorum. Eid. Iunii Iuliani cIↃ IↃc.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

DAVIDI HOESCHELIO. Reliquæ Photii pagellæ mihi ſunt redditæ: in quibus recenſendis paucula leuia occurrerunt hæc: 772, 7. [illegible] 783, 17. [illegible] 789, 19. [illegible] 865, 27. [illegible] item [illegible], vt apud Athenæum, ſi bene memini. 867, 6. [illegible] lin. 9. [illegible] 14. [illegible] 22, & 24. [illegible] — *abſumpti fata gemens Ityli.* Catul. 868, 8. & infra [illegible]. Sed nugatur. 10. [illegible] Hæc tipula leuiora ſunt. Sed faciundum fuit, quandoquidem ita tibi placet. De veſtris Geographicis gratias ago. Ea ſunt plane, quæ ego à P. Puteano Senatore Pariſienſi, ex ſchediis, quibus vetuſtiora non memini me vidiſſe, olim accepi. Sed pagellæ multæ præ vetuſtate deletæ erant. Quæ verſibus conſcripta ſunt Comicis, ex

Digitized by Google

perpetua oratione ita continuata erant, vt multos Italos doctiſſimos & literarum Græcarum peritiſſimos id fugerit. Sed nos primo coniectu oculorum verſiculos in illa pedeſtri oratione odorati ſumus. De Phrynicho & Thoma Magiſtro memineris. Non habemus hodie helleniſmi meliores magiſtros. Tu ad cætera beneficia, quibus optime de republica literaria promeritus es, & hanc quoque editionem adiicies, quam à te omnes docti expectant. Vale, mi Hœſcheli & noſtrum Marcum à me ſaluta. IV. Eid. Nouemb. cIↃ IↃC.

Epistola CCCLXXXVIII.

DAVIDI HOESCHELIO. Homilias Chryſoſtomi accepi, quarum nomine gratias ago. Vtinam omnes dare poſſes! Sed poſtremis tuis excuſationem adiecisti. Accipio, ſed inuitus. Mallem ea tibi opus non fuiſſe. De Procopio non puto autem tibi vellendam, καὶ τὸ τεῖχον παρὰ ὀτεωμῶν. Tamen non poſſum, quin mentionem aliquam iniiciam, ſaltem vt tibi fidem faciam expectationis omnium, quibus deſiderium iſtius editionis tam merito auctoris quam tuo inceſſit. De minutioribus mendis, quæ ſcriba librarius commiſit, hoc vero te mouere non debet. Scito in exemplari Regio, vnde noſtrum deſcriptum fuit, maculas eaſdem minimas maximas fuiſſe. In Orum Apollinem nihil, quod quidem meminerim, vnquam meditatus ſum; & ſi quæ in illum auctorem poſt editionem tuam animaduertenda ſunt, pauca admodum eſſe arbitror. Memini tamen nihil tam emendatum edi poſſe, quod non melius fieri poſſit. Vale. Lugduni Batauorum, III. Kalend. Iunii uliani.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

DAVIDI HOESCHELIO. Gratum fuit, quod poſtremis tuis ad me de Phrynicho & Homiliis Chryſoſtomi ſcripſiſti. Sed vide, vt omnes, quotquot excuſæ ſűt, vndecunque colligas Romæ,& in Anglia, item in Lotharingia, quædam edita ſunt. tres habeo quas mittam, ſi nő habes. Præterea, ſi quæ adhuc in Auguſtenſi Bibliotheca latent. Ego ſtudioſiſſimus illius Patris ſum, tum quia nullus melior Noui Teſtamenti interpres, tum & propter miram dulcedinem,& amœnitatem dictionis, quam poſt illum nullus Eccleſiaſticus ſcriptor conſequi potuit. Quantum & hoc præſens,& futura ſæcula, tot bonis auctoribus, quos edidiſti, demerearis, ſcriberem tibi, niſi ſcirem te hoc non facturum, niſi intelligeres, quantum eo ipſo literas iuues, quæ per negligentiam quotidie pereunt. Meus Euſebius typographum expectat. Valde in eo concinnando æſtuaui. Vtinam Index Photio appoſitus fuiſſet! Quominus hoc factum ſit, puto aut occupationes tuas, aut mercatorum properantiam in cauſa fuiſſe. Vale, mi Hœſcheli. Non. Auguſti Iuliani, natali meo LXII. CIↃ IↃCI.

EPISTOLA CCCXC.

DAVIDI HOESCHELIO. De Chryſoſtomo in Iudæos, valde conſilium tuum laudo: ſed melius de hoc autore illiuſque ſtudioſis mereberis, ſi Orationes, ſiue Ὁμιλίας eius, omnes, quæ in Anglia, Romæ, & alibi editæ ſunt, vna cőiungas. Noli dubitare, quin omnes aut

re[illegible]

Digitized by Google

reliquas orationes à te expectent, aut ſi non edantur, vna eas deſideraturi ſint. Quare adhuc tibi integrum eſt, & eorum deſideriis ſatisfacere, & tuum facere officium: quod cum quaſi ſuo quodam iure à te ſtudioſi exigant; neque tu iuſtæ eorum, addam etiam meæ, voluntati aduerſari potes. Equidem ſcio niſi tu feceris, alios facturos. Melius ergo, vt tu illis hanc laudem præripias. Procopium cur differas, cauſæ non eſt: neque vllam iniuriam eo nomine ſibi fieri Vulcanius noſter exiſtimat. Iam n. non conſiliũ ſolũ, ſed & voluntatẽ edendi abiecit. Tuto igitur καὶ ἀπερισκέπτως tu ſuſcipere negotium hoc potes. Alioquin, vt inquit Laberius, *Laus publica eſt, & primus illam vindicat*, qui primus in eius poſſeſſionem pedem immittit. Rem igitur vrge. Fac, vt in ſummis tuis beneficiis, quib. nos afficis quotidie, hoc quoq; æterno fruamur. Vale. Lugduni Batauor. v. Eid. Nouembris, cIↃ IↃCI.

EPISTOLA CCCXCI.

DAVIDI HOESCHELIO. Procopium meum accepiſſe te gaudeo. Vtere, quantũ voles. Quid enim dicam meum, quod tuum eſt? Puto exemplar Bauaricum melius eſſe. Iſtud noſtrum Lutetiæ domi ampliſſimi viri Iac. Auguſt. Thuani Præſidis, ex regiæ Bibliothecæ exemplari deſcriptum eſt. Omnia vitia & lacunas ſcriba librarius imitatus eſt, ne forte illi attribuas, quæ Archetypi ἐλλείμματα & σφάλματα ſunt. Si ad me iſtis nundinis ſcripſiſti, puto literas in Raphelengianas merces, quas nondum vidimus, coniectas fuiſſe. Neque enim perlatæ ſunt. Georgius Monachus Bibliothecæ veſtræ, alius eſt prorſus ab eo, quem quærebam. Nihil eſt diſſimilius. Talentum non meream, vt illum veſtrum totum perlegam. Et

tamen idem nomen, idem officium vtriuſque. Ambo enim Σύγκελλοι idem labor, idem principium. Omnia conueniunt, præter ingenia. Satis dixi. Vale. VI. Non. Maii Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA CCCXCII.

DAVIDI HOESCHELIO. Gratias de libello Græco Theodoreti, & aliorum ago, quos heri accepi. Sed vtinam τὰ λέξεως, & quæ alia habes veterum συγγράμματα, quæ tibi reliquit Thomſon, vna accepiſſem! quæ in proximas Nundinas expecto, niſi mihi ſomnia fingo. Codex Georgii Velſeriaius nulla in re nobis vſui eſſe poteſt. Abſtinebimus eo æquo animo. Non eſt quod pluribus Procopianam editionem commendem tibi. Satis mihi perſpecta eſt diligentia tua. Ego propediem omnia mea Euſebiana deſcripſero: prouinciam ſeui duriſſimam. ἀλλὰ τῆς ἐπιμελείας πάντα ἡ ἧττω. Quod de quibuſdam emendationibus in noſtro Procopio quæris, ſi manus mea eſt, eæ à me ſunt: ſin Vulcanii, à quodam codice Italo. Ego magnam partem mendorum ſuſtuliſſem, ſi per Vulcanium licuiſſet: cuius feruens deſiderium librum à me excorſit, priuſquam ſeriò illi operam dare poſſem. Auctor tibi ſum, vt Thomam Magiſtrum ad Phrynichum adiicias. Niſi feceris, alii facere occupabunt. Vale. Lugduni Batauorum. VIII. Eid. Octobris Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA CCCXCIII.

DAVIDI HOESCHELIO. Quas nudius tertius à te accepi, in illis mentionem de Thomæ Magi-

Digitized by Google

editione facis; quæ omnibus ſtudioſis gratiſſima futura eſt. Et, vt liberius tecum agam, iure quodam à te eam exigunt; quod ſine illo ſcriptore & Moſchopulo Phrynichus prodire non debuit, quod olim tres ſimul in lucem prodierint. De ſchediis quæ ad te miſi, quo minus emittas, non impedio, modo ne ſub meo nomine id fiat. Quare tuo edere non potes? Per me edas licet, & gratiſſimum mihi feceris. Iamdudum Euſebianis Græcis & Latinis ſupremam impoſui manum. In Commentariis totus nunc ſum, & in magnos me moleſtiarum caſſes indui. Sed euincendum eſt, neque parcendum operæ, τὸ δ' εὖ νικάτω. Lacuna magna in noſtro exemplari Georgii Syncelli eſt; ab initio Valeriani Imp. ad finem Probi, ſiue initium Cari & Numeriani. Eam, oro te, amiciſſime, vt mihi, (quod commodo tuo fieri poſſit) aut ex veſtro exemplari deſcribas, aut deſcribendam cures. Nihil egi, & omnem operam in Euſebianis luſi, niſi ea, quæ abſunt ab noſtro codice, ex veſtro repræſententur. Fac, ſi me amas. Vale. Lugduni Batauorum. IV. Kal. Decemb. Iuliani CIↃ IↃC II.

EPISTOLA CCCXCIV.

DAVIDI HOESCHELIO. Puto te iam fidem de fragmentis Δεξίππου liberaſſe. Ea omnes ſerio expectant. Quædam ſunt, quæ te volo. Primum, quod quidē commodo tuo fiat, vt deſcribas mihi locum ex Procopio περὶ Βανδίλων νίκης, paginis 634. 635. 636. noſtri exemplaris. Totus ille locus valde neceſſarius amico eſt, qui de Batauia egregium volumen editurus eſt, quod quominus adhuc poſſit, in cauſa eſt illius loci expectatio. Metuo quidem occupationibus tuis. Tamē oro ignoſce mihi, ſi

tore opus non fuiſſet. Vltro enim, qui meus in te amor eſt obtuliſſem, vt omnia tua ad me pertinere puto. Vale. Lugduni Batauor. III. Non. Iunii Iuliani cIↃ IↃcIV.

EPISTOLA CCCXCVI.

DAVIDI HOESCHELIO. Folia Procopiana, quæ à te accepi, ita vt te ex litteris ad Vulcanium velle perſpexi, ipſi tradidi. Itaque ſi vis vt recenſeam ea, alia cum iis, quæ iam excuſa fuerint, mitte, quum commodum erit. Vulcanius noſter ſane vir optimus & doctiſſimus eſt, & cui in auctoribus Græcis Latine vertendis quiduis tribuere auſim. Sed plus ab ingenio, quam à corpore, poteſt. Quod vtinam ita firmum eſſet, vt ingeniū. Senectus ipſa morbus eſt. Puto præſtabit. Et ſi quid preces noſtræ apud eum poſſunt, ἐργοδιώκτης eſſe non ceſſabo. Vnum Euſebii exemplar à me accipe, quod nudius octauus ad Marcum noſtrum τὸν θαυμάσιον curaui. Folia prima propediem accipies. Innumera crabronum examina, in me, Cauſabonum, Bongarſium & alios, ſpicula ſua dirigunt. Non magis hæc morabimur, quam latratus canicularum de triuio. Actum eſt de literis, quas quiete & placide mori non ſinunt carnifices earum. Vale. Lugduni Batauor. prid. Kal. Quintilis Iuliani cIↃ IↃcVI.

EPISTOLA CCCXCVII.

DAVIDI HOESCHELIO. Vulcanii editionem Procopianam Latinam fruſtra expectari, propter ætatem grauiorem, amicis quidem noſtris ſcripſimus. Quod

autem per pigritiam illum ceſſare dicunt, id equidem neque ego ſcripſi, neq; à me profectum velim, neq; ſane verum eſt. Ille quidem nuper totus in eam rem incumbebat, neq; quum hæc ſcribebam, ceſſabat. Puto, ſi, quo pede cœpit pergat, breui explicatum negotium daturum. Loquor eius fide. Ita ſpopondit, ita narro tibi. Si aliquid ſequius acciderit, meum non eſt, aut culpam alienam, aut euentus rerum præſtare. Folia, præterea, quæ per mercatores ſuperiore autumno acceperam; in quibus totus quaternio S. deſiderabatur, nuper accepi. Eum mihi communis amicus noſter Gruterus, optimus & eruditiſſimus vir, suppleuit. Ei, ſi graue non eſt, alium mittes, quo illam lacunam expleat. Quod de momis meis addis, ego non magis curo quid improbi de me dicant, quam latratus canum de triuio. Propter virtutem meam, omnes ſceleſtos inimicos, quam vnum probum, propter culpam meam, habere malo. Sodomitas, Onanitas, aretalogos, nihil moror. Non mirum eſt linguam in nos vibrare, qui cultrum in Reges ſtrinxerunt. Vale. Lugduni Batauor. ix. Kalend. Febr. Iulian. cIↃ IↃc vii.

EPISTOLA CCCXCVIII.

DAVIDI HOESCHELIO. Codicem meum Procopianum ad me remitti iam tempus erat. De quo apud magnificum Marcum Velſerum iam queſtus ſum. De Vulcanii Procopiana verſione iam deſperare cœpi, propter cauſas quas te ignorare malo quam epiſtolio committere. Quod ſi Heinſius noſter profectionem in Galliam nō adornaret, facile erat ab eo id negotium impetrare, quod onus ipſe vltro in ſe recepit. Parua erit mora. Statim à reditu manum operi admouebit, vt intra bre-

uiſ

uiſſimum tempus accipere poſſis. In eo iuuene diligentia cum eruditione certant. Ego ante aliquot annos operam libenter obtuliſſem. Nunc LXVIII. natalis, qui nudius quartus illuxit mihi, vaſa colligere me monet: & non diu eſt, quum teſtamentum meum ordinaui, vt me imparatum mors non opprimat. Vale Lugd. Batau. IV Eid. Auguſti Iuliani CIↃ IↃC VII.

Epistola CCCXCIX.

DAVIDI HOESCHELIO. Indicem Procopii accepi. Vtinam ſerius Procopium, aut citius indicem illum accepiſſem. Sed ſpes eſt coniungi poſſe cum editione Latina, quam expectare ab amico noſtro noli. Iam non ſolum Reipub. ſed etiam ſibi propter ſurditatem, claudicationem, vnius oculi hebetationem, quæ in lucis amiſſionem deſinet, inutilis eſt. Itaque boni & docti ſenis me miſeret. Non enim facere id poſſum, quin & me quoque mei commiſeratio inceſſit: quanquam benignitate Dei nulla adhuc ætatis incommoda experior. Sed ſenectutis recordatio facit, vt quæ fortaſſe timenda non ſunt timeam. Heri Catalogum Bibliothecæ Bauaricæ legebam. Ibi libros VIII. Polybii reperi. Puto erratum eſſe. Quod ſi non eſt, monendus Cauſabonus fuerit, qui eum auctorem nunc edit. Quid de ea re ſentias, fac quamprimum ſciam. quanquam, vt verum fatear, totum negotium ſuſpectum eſt. & aut VIII. libros pro V. aut tres ex ipſis excerptis ad V. integros acceſſiſſe puto. Vale. Lugd. Bat. Pr. Eid. Iulii Iul. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCC.

FRIDERICO TAVBMANNO, *ſuo S. alut.* Quod veſtræ *literæ*, tuæ dico, & Rhodomani, per ſe præſtare poterant, id coniunctæ cumulatius fecerunt. Nam quum ex alterutris multum voluptatis perceperim, ex vtriſque geminatum eſt gaudium meum. Neque vero nunc primum diſco diligere quæ à te proficiſcuntur. Satis enim me docuiſti olim, & quantum à te amer, & quantum te & tua omnia amare debeam. Totus eram in expectatione tui Plauti; neq; adhuc editionis illius ſpem abieci; quod certus ſim, non fruſtra à te promiſſam olim. Quod ſi adipiſci Codicem illum potuiſſes, quo *ὁ θαυμάσιος* Ioachimus vſus eſt, non dubito, quin plura fugitiua retraheres, quæ ſine codice nulla vis ingenii humani deprehendere poſſit. Et iam ope illius exemplaris multa eruiſſe audio Gruterum noſtrum, hominem iamdudum in hac palæſtra ſubactum; & qui, quid in hoc ſtudio poſſit, iam ſatis indicauit, præſertim illa vltima Martialis editione. De loco Plauti, non dubito quin ſpectanda ſit perſona, hoc eſt, Paraſitus. In Senatu dicitur, *Nulla verecundia nos debet demouere à ſententia dicenda, vbi de rebus diuinis aut humanis agitur.* Diuinæ & humanæ res Paraſiti, eſt eſca, & menſa, Senatus. Quo quid lepidius dici poteſt? Aliter accipias, perit omnis lepor. Auſonium noſtrum in minima forma recuſum audio, ſed olim. Neque vidi: vt nec multa alia noſtra, quæ meo iniuſſu, *Obiectos caueæ valuerunt frangere clathros.* Commelinus cum ſociis, opera ſtudioſorum, qui auctiores etiam nacti illos auctores, recuſus eſt: ſed ita, vt deformitate illius editionis cogar exponere fœtum, neq; meum agnoſcere. Itaq; fortaſſe poterit meliorem nanciſci typographum, vt nitidior, & ornatior, ac multo locupletior editio prodeat. Vale. Lugd. Bat. III. Eid. Sextilis Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPI-

EPISTOLA CCCCI.

LAVRENTIO RHODOMANNO, *ſuo S.* Quam iu-
cundæ mihi fuerunt literæ tuæ, ſcriberem, ſi vlla ſcri-
ptio, vt res geſtas, ita affectus animorum noſtrorum ex-
primere poſſet. Nam ita me affecerunt illæ, vt incertum
ſit, plus gaudii mihi, an admirationis attulerint. Gaudeo
me amari ab eo, cuius virtus prius quam nomen ipſum
mihi nota. Miratus ſum ſimplex teſtimonium meum de
tuis poematis Græcis tantum valuiſſe apud te, vt eam be-
neuolentiæ ſignificationem à te exprimeret, quam neq;
ſatis meruiſſe videri poſſit, etiam qui te abunde laudarit.
Equidem memini, quum illa tuã inuſitatæ venuſtatis
Lesbiaca, Iliaca, & reliqua, tacito nomine tuo prodiiſſet,
non potuiſſe me continere apud amicos, præſertim apud
Germanos, quin ea dicerem cum præſtantiſſimis Græ-
corum certare, multis etiam longe præſtare: quod qui
negare vellet, aut imperitum, aut malignum eſſe. Mihi
vero tunc nihil tam dolebat, quam eo rem rediiſſe, vt eū
cogeret amare cuius nomen ignorarem, & ſi hoc pati-
enter audis, iraſcebar tibi, qui nomen tuum amatoribus
ingenii tui inuideres. Nunc felicius nobiſcum agitur,
qui in illis poematiis & ſummum poetam Rhodoma-
num agnoſcimus; quem vnum poetam antea admirare-
mur, nomen autem deſideraremus. Atque vtinam re-
liqua quæ in ſcriniis tuis latent, prodirent. Quantum ve-
ro in inueniendis poematiis tuis laborauerim, præter alios
ſcit inprimis optimus & eruditiſſimus vir Dauid Hœ-
ſchelius noſter: abſq; quo fuiſſet, adhuc fruſtra illa quæ-
rerem, quibus nunc per communem [illegible] nobis frui licet.
Sed illis contigit, vt quam rara eſt eorum pulchritudo,
tam rarus eorundem fructus ſit. Vix enim reperias qui
pau-

naneiſci illa poſſit. Itaque ſi iterum cum reliquis ἀνεκδότοις recudentur, habebunt qui ſitim ſuam explicant, qui vno tantum exemplari vſi ſunt, quum aliunde ſibi comparare non poſſent. Porro, ſi quis eſt, qui fautor & amator eruditionis tuæ ſit, is vero ego ſum: quo magis dolebam olim te in illo angulo Pomeraniæ latere, cui tu celebritatem potius dare poteras, quam ille tibi. Nunc quũ ibi ſis, vbi neq; per eruditionem tuam, neq; per celebritatem loci tibi ignoto eſſe licet, in lucro deputare debes, quod eruditionis tuæ teſtes ſummos viros habeas, quibus illa ſemper abundauit Academia: quibus non minus tua, quam illorum virtus tibi cara & iucunda eſſe debet. Conſilium vero tuum de Diodoro, præſertim in diſtributione librorum & Fragmentorum, laudo. Nõ poſſum ſatis ceterorum librorum, quos deſideramus, deplorarẽ iacturam, eorum præſertim, qui inter V. & XI. intercidẽt erãt, quorum aliquot, aut potius omnes, videtur habuiſſe Photius. qui vtinam tam diligens in eorum argumentis fuiſſet, quam in futilibus amatoriis libris Iamblichi & aliorum fuit; quorum referendis argumentis horas cũ perdere non puduit. Nam illi libri omnem vetuſtatis memoriam, Aſſyriorum, Chaldæorum, Phœnicum, & aliarum nationum complectebantur. quarum rerum cognitio magnam Sacrorum Bibliorum originibus facem allucebat. De quibus omnibus nihil nobis præter deſiderium ſupereſt. Quanquam vero neq; eruditio tua patitur te vllâ commendatione egere, neq; illa tibi à nobis accedere poteſt, tamẽ epigrammation tibi [illegible], quod potius amoris tui in me argumentum, quam plenum induſtriæ tuæ teſtimonium ſit. Id vero à tergo leges. Vale. Lugduni Batauorum. III. Eidibus Sextilis Iuliani cIↄ IↄCII.

EPISTOLA CCCCII.

LAVRENTIO RHODOMANO. Accepi carmen Natalitium, in quo magis amorem tuum, quam meritum meum agnoſco. Credet fortaſſe poſteritas alicuius pretii fuiſſe me, quod à Rhodomano laudatus ſim. Ego vero quicquid laudis à te in nos collatum eſt, id omne in gentem Scaligeram redundare puto; cui ego vltimus & ſolus ſuperſum. illius dico, quæ Veronæ rerum potita eſt. Nam multos gentiles, ſed non noſtræ familiæ, habemus; quæ vt dixi, in me deſinet. Itaque quas ex merito meo tibi grates referre non poſſum, eas nomine gẽtis meæ cuius tantum memoria ſupereſt, refero. Literas meas, quas ad te per mercatores dedi, accepiſſe te puto. Epigrammation in Diodori tui editionem adieci. Si Genethliacon, quod in nos edidiſti, ſpectes, erunt χάλκεα χρυσείων. Quicquid illud eſt omne vnicus amor tuus & ingenua eruditionis tuæ confeſſio expreſſit. Quum ad te ſcriberem, occupatiſſimus eram, & Hagam cogitabam. Quare properantiæ meæ & literarum breuitati ignoſces. De editione Palæſtinæ tuæ, nihil eſt, quod magis tua, mea, & omnium ſtudioſorum cauſa velim. Sed nemo eſt hic, qui Græca velit. Adeo tepeſcit Helleniſmus. Raphelengiani occupatiſſimi ſunt, & quia vna opera multos libros cudunt, ſic habent, quod noui operis incepto deterreantur. Conſuluimus tamen inter nos ego & nobilis Paulus Gisbice, tui & mei ſtudioſiſſimus: ſi quid præſtare poſſimus. Neuter deerit tibi. ſi quid, vt Plautus loquitur, decollaſſit, ſine culpa noſtra, & magno noſtro dolore id erit. Vale, mi Rhodomane. Lugduni Batauorum vii. Eid. Nouemb. Iuliano CIↃ IↃ CIII.

Epi-

Epistola CCCCIII.

Lavrentio Rhodomano. Quamuis male adhuc ex præterito languore habeo, qui me integrum menſem cum cibi faſtidio & improbiſſima ſiti exercuit ac viribus exinaniuit, tamen, ne diutius literas meas deſiderares, committere nolui. Amœniſſimum igitur & elegantiſſimum epos tuum Græcum [illegible], accepi. quod ita me affecit, vt ſemel legere ſatis mihi non fuerit. Ignorato nomine quis aliter iudicaret, quam vetuſtum poema eſſe? Certe tua Græca eiuſmodi ſunt omnia: & plus ſatis ſudauerit, qui meliora aut magis Græca fieri poſſe ſperet. Quod vero de Catone noſtro ais, ſcito me non ea cauſſa illam interpretationem Græcam aggreſſum, vt in publicum prodiret, ſed potius, vt morbū, & inſomniam, qua tum miſere affligebar, fallerem. Amici me iniuſſo, inſcio, ac nihil minus, quam hoc, ſperante, Lutetiæ ediderunt: qui & iuſtum librum ex ſelectis Martialis Epigrammatis Græce à nobis redditum, vnà cum interpretatione Græca integra Publianarum ſententiarum Gruterianæ editionis habent. Minantur ſe edituros. Nā quod è manibus noſtris ſemel euaſit, de noſtra quoque poteſtate exit. Ego nunquam meos verſus, neq. Græcos, neque Latinos amare potui. Itaque mallem ignorari, quam eiuſmodi editione me traduci. Quid faciam? Quamicum habet Imperatorem quamdiu habet. Ius quod ipſi vſurparunt, non quod nos eis dedimus, in nos habeāt. Ego non ignoro, quin ſi noſtra Catoniana Græca cum tuis comparentur, ludibrium omnibus debeam; ſaltem iis, qui ignorant, quam alienus ab iſta ambitione ſim. Quod tu in illis excuſabis, perinde mihi erit, ac ſi laudaueris. Vale. Lugd. Batauorum III. Eid. Martii Iuliani CIↃ IↃ CVII.

EPISTOLA CCCCIV.

HELIÆ PVTSCHIO, ſuo S. Vnde ordiar, mi Putſchi, vt tibi de præclara Grammaticorum veterum editione agam gratias? Quum enim me indignum tanto honore videam, excidunt mihi verba, quibus pro dignitate gratiam referam: quibus ſaltem, quam exiſtimo de me meritus ſis, exponere poſſim. Nam gratiam quidem referre noſtrum eſt, ſed non opis noſtræ. Pudet me honoris oblati, cuius impar ſum. Miſeret me operis, quod meliore patrocinio dignum erat, vnde tibi plus gloriæ, & fortaſſis aliquid vtilitatis, contingere potuiſſet. Mihi tibi deſtituere, verum ornare, qui amicos ſuos quam ſe ornatos mallet. Quot enim Principes elegantiſſima illa epiſtola digniores ſunt quam ego, quæ meruiſſe feciſſe, vt quamuis caſtitatem Romani ſermonis & puritatem vitæ, vti debeo, impenſe ornatus ſim, tamen facere non potui quin, quia dedicatione illa ſum indignus, nihil aliud quam eleganter vulgo traductum me eſſe dicam. Poſteritas quidem, quæ ex iſto labore tuo, non ex tuis annis, iudicium tuum æſtimabit, fortaſſe me alicuius pretii eſſe crediderit, quod, qui tam bene de veteribus ſcriptoribus iudicare potuerit, de hominibus ſui ſeculi multo magis id facere poſſit. Verum ego, qui me inſigni beneficio tuum feciſti, ego illi impar ſum, audeo etiam dicere, hoc ingratiſſimum ſeculum tam præſtanti opere indignum eſſe. Certe et id ætatis & tam iniqui temporis ſanguini id præſtitiſſe, quod memoria patrum noſtrorum, ne vno quidem ſeculo multa fœcunda ingenia explicare potuiſſent, qui non mirabuntur, ille aut literas neſcit, aut earum literarum ignarus eſt. Fruar igitur beneficio tuo, quod mihi cum multis communeeſt. Triumphabo honore, quo me ſo-

literis tuis voluiſti. Effigies mea parata eſt, ſed cui tuto credam, habeo neminem: neque ſpes eſt, illam tibi reddi, niſi proximis nundinis, aut per eum, cui rectè eam tradere poſſim: quem niſi tu mihi indicaueris, [illegible] neſcio. Itaque ſi ad manum tibi eſt, quo tuto id efficiam, per me quidem nulla erit mora. Non enim magis cupidus es eam petendi, quam ego tibi mittendi. Eſt porro egregius vir quidam Germanus, Sethus Calviſius, qui nuper ſub initium ſuperiorum nundinarum præſtantiſſimam rationibus meis inſtructam Chronologiam edidit, vt ab illis ne latum quidem vnguem diſcedat; opus æternitate dignum. Cum ad me vnum exemplar miſit, quo nomine illi hæc epiſtola, quam cum tua coniunxi, gratias ago. Itaque per amicitiam noſtram te oro, vt illi eam reddi cures, neque eam tradas, niſi cuius fides tibi ſit ſpectata. Et quia me amas, quam primum certiorem me fac, an tradideris, & ſi tradideris, an ille, cui dederis, [illegible] reddituras. Non dicam, quam lætatus ſim, quum viderem ineptiſſimos cercopithecos quoſdam rationibus & argumentis noſtris oblatraſſe; hunc autem præſtantiſſimum virum non aliis quam illis noſtram Chronologiam ſuam muniuiſſe. Hoc opus reliquorum omnium luminibus officiet, & ſi bene auguror, [illegible] tis, quam huius erit. Omnino eximium eſt. Scribe ad me quam primum, præſertim, quam [illegible], effigiem noſtram mittendi iuſſiſti. Vale. III. Non. Decembr. Lugd. Bat. CIↃ IↃCV.

EPISTOLA CCCCV.

IANO GRVTERO, ſuo S. Magnam iacturam omnes literarum ſtudioſi, atque adeo literæ ipſæ in acerbo Hieronymi Commelini obitu fecerunt: neque minus

ce con-

terum communi quam propria causa, eius vicem dolere ter-
ruisti, quem & similitudo studiorum, & tua industria,
quæ [illegible] non poterat, tibi cariſſimum fecerat. Ego ve-
ro me [illegible], quin tibi dolorem meum partem, quem
quotidie ex amiciſſimi hominis caſu percipio. Item vetus
nobiſcum familiaritas eius [illegible]. Accedebat e-
ius probitas, & morum integritas, & ſtudium in bonis
auctoribus iuuandis, qui in hoc ſeneſcente bonarum li-
terarum ſeculo illius induſtriā partim experti erant, par-
tim, ſi per eius immaturum licuiſſet obitum, expectabant.
Sed eius caſus eo magis nobis deplorandus, quod nobis
tum quum maxime eum viuere expediebat, ademptus
est. Et (quod ſummum vulnus eſt) neminem, qui ſe in bonis
libris iuuandis imitaretur, reliquit. Nam vt
qui literas fouebant, ita & literæ ipſæ, earumque ſtudia
omnia [illegible], quæ à Principibus contemta, à priua-
tis neglecta ſunt. Sed hæc alius loci querela eſt, neque
hoc [illegible] tangimus: quò recentior dolor è Com-
melini propius ad nos pertineat. Is igitur, quod te igno-
rare non puto, multos bonæ notæ ſcriptores vtriuſque
linguæ paratos habebat, quos propediem in lucem ede-
ret. Magnam vim talium librorum conquiſiuerat: non
Principū modo, ſed & amicorum ſuorum Bibliothecas
excuſſerat. Alios prætermitto. A me habebat quædā, &
[illegible] ac plurium ſpem illi fecerā: quæ an omnia edi-
turus eſſet, vt promiſerat, non fides eius, ſed facultas, vt
dubitarem, faciebat. Vix enim tantæ copiæ explicandæ ſat
futurus eſſe videbatur. Ingens volumen veterum inſcri-
ptionum, quæ paſſim in Europa reperiuntur, à Smetio
prætermiſſarum illi dederam, quas partim in ipſis locis
legeram, partim à libris, reliquas ab amicis habebam. Vo-
lumen non eſt Smetiano minus, quod [illegible]
[illegible] editum eſt. [illegible]
cum Smetiano ederetur: hoc eſt [illegible]

ret, capita Smetiana expleret ex noſtris. Quod perfacile eſt, vt nempe inter legendum noſtra, vnumquodque in capita Smetiani libri, prout materia ipſa poſtulat, conii-ciatur: idemq; faciendum de auctario Lipſi. Hoc modo immortalitate dignum componetur opus. Sed interuſ-tu mortis Hieronymi tam egregium inceptum interpel-latum eſt: neque eſt, cui laboris illius perfectionem commendare auſim, quam tibi, ſi tantum animi mihi eſ-ſet, vt te occupatiſſimum compellare non verear. Quo enim ore hoc audeam, qui te ad ingratum laborem vo-care velim? Non eſt mihi tantum frontis, mi Grutere, niſi forte verecundiam meã humanitas tua anteuenerit, cui magis confido, quam vt hanc ſpem omnino temerè abiicere velim. Si igitur, vel poſteritatis commodum, vel gloriæ amor, quam tibi naſcituram inde ſcio maximam, vel preces meæ locum apud te habere poſſunt, opus vere te dignum ſuſcipe, quod vnius tuam implorat opem, & quod ſine ope tua lucem videre timet. Quibus condi-tionibus te ad hoc inuitemus, accipe. Familiam ducet fructus, tam ad amantes literarum quam ad te è labore tanto redundaturus. Principi dedicabis, vt vides, à quo præmium vel honorarium honeſtum exſpectare potes. Meo nomine præterea ſpondeo, aliquot tibi exemplaria, quæ tu ante alios percipies, excepturum iri, & quantum cũ Ioanne Commelino, aut affine eius [illegible] conuenerit, ti-tum tibi datum iri exemplarium. De me, ego omne meũ ius in te transfero, ac ne nominari quidem me velim. Totum opus plene tuum eſſe volo. Si igitur ſatis animo tuo acceptum eſt, hanc prouinciam ſuſcipere, quampri-mum poteris me certiorem facies, vt quædam ex Græcia & ex aliis locis, quæ nuper habui, optima monimenta, v-[illegible]. Ordinem Smetianum ſeruandum cenſemus, hoc vno excepto, quod omnia Græca ſeparatim in fine cuiuſq; capitis poni, magis è re nobis fore videtur, [illegible]

aliter cenſes. Præterea, Chriſtiana omnia in finem reiicienda, ſuis capitibus, tam Græca quam Latina, tributa, [illegible] videbitur.

Pancula ſunt, quæ nollem in illis [illegible] cenſeri, vt illud ex Hiſpania PALLADI SACRVM, & SERMONI ERVDITA-[illegible], & alia, de quibus moneo. Sunt enim commentitia. Quam [illegible] medices, qui tantum oneris tibi imponam? Omnia, mi Grutere, cum bona venia tua, & [illegible] dicta ſcito, & à te reſpondere exſpecto. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Quintil. Iuliano CIↃ IↃ XCVIII.

EPISTOLA CCCCVI.

IANO GRVTERO. Et re tua & publica feciſti, mi Grutere, quod hanc prouinciam Inſcriptionum ſuſceperis. Neque te mouere debet, ſi aliquando calamus noſter errauit. Hæc pro tua prudentia & eruditione in integrum reſtituere debes. Et in reliquis omnibus, quod è re nata tibi videbitur faciendum, facere debes, neque in hoc noſtrum aut iudicium vllum aut aſſenſum exſpectare. Tuum enim iam opus eſt; cuius omne ius, quod noſtrum erat, in te omne tranſcripſimus. Itaque pro tuo arbitrio, tollere & mutare debes, quæ [illegible] videbit. De Inſcriptionibus Galliarum, ſcito nos [illegible] partem vidiſſe, partem à doctis amicis, qui fideliter deſcripſerunt, habuiſſe. De illo autem Epigrammate [illegible]nenſi, quod apud Paradinum [illegible] eſt, [illegible] ipſe. Ego ſcio ita noſtrum in ſaxo [illegible] amicus noſter Ioannes Tornæſius, qui in [illegible] duos circiter menſes [illegible] multa videre mihi licuit. T[illegible] habemus, quam in antiquis [illegible] alia

ſunt. Neque Lactoratenſia fideliùs ab vllo, quam à nobis in illis Collectaneis noſtris concepta ſunt. Quatuor enim horis itinere noſter locus natalis Lactoratæ diſtat. Auctor tibi etiam principibus literis, vt omnia Græca, ſimul, non ſparſim ponerentur. Hoc eſt, vt capite Latinorum vno abſoluto, ſimilis argumenti Græca, ſi ita videtur tibi, adiungantur. Sin aliter, totum tui arbitrii facio. Smetiana antecedere debent; cuius ordinem omnino ſequi debes. Poſtea tua eiuſdem argumenti in eodem capite adiungenda. Nulla moleſtia potes quæ ſunt eiuſdem argumenti poſt Smetiana addere. Hoc mihi videtur maximum laboris compendium. & quidem interea, quodam ſingula capita per otium ita explere potes, quæ inueneris in noſtris Collectaneis & in aliorum libris notaueris. Ego antiqua Romæ, Veronæ, Germaniæ ex Marocio, Tortellio, Saraina, Appiano, Laſio deſcripſi. Tuum erit, ſi integriora nanciſci poteris, reponere. In illis enim, quod iam dixi, non aſſenſum noſtrum expectare, ſed tuum conſulere iudicium debes. Mitto ad te Conſtantinopolitana Epigrammata, à nobili Georgio Douza nobis communicata. Mittam & poſtea Auguſtodunenſia, ſi quo modo nanciſci potero. Interea τὰ νοθευόμενα καὶ ὑποβολιμαῖα excernenda erunt, qualia multa in Heſpania. PALLADI VICTRICI SACRVM: Item, SEMPRONIVS TVDITANVS. & alia κακόζηλα. & illud Paraſiti Sileniani, & Teſtamentum Pomponii Læti in Fabricii Chemnicenſis Itinerario. Doctum non doceo. Tu hæc molire, quum ego Chriſtiana omnino in vnum locum priuatim coniicienda, tam Græca, quam Latina. Quædam etiam habent DIS MANIBVS; qualia tria ſunt in Smetio, & ſi bene memini, & vnum aut aliud in Saraina. Quid verbis opus? Iam tempus aggredi; quod quidem ἀγαθῇ τύχῃ. Vale, eruditiſſime amice, & me vt amas amato.

Lugdu-

Digitized by Google

Lugduni Batauorum III. Kalend. Decembris Iuliani ɔIɔ Iɔxcviii.

EPISTOLA CCCCVII.

IANO GRVTERO. Nudiuſtertius tuæ mihi redditæ ſunt. Non eſt quod negotium tibi indictum meum de ordine Capitum in Inſcriptionibus faceſſat. Quod enim mihi rectius videbatur, impune proponere tibi poſſe iudicaui, ea conditione, ſi tibi commodum eſſet; ſin aliter, vt inſtitutum tuum ſequereris. Itaque, mi Grutere, vt tibi omne ius meum ceſſi, ita & voluntatem quoque meam ſubiicio tuæ. Quod ergo e re literaria tibi videbitur, ſequere: neque amplius meam de eo ſententiam exſpecta. Si enim tuam meæ non prætuliſſem, nunquam totum hoc negotium tui arbitrii feciſſem. Nuper monumenta quædam Græca & Latina tibi miſi, quæ nobilis Georgius Douza ex Græcia attulit. Exſpecto & Auguſtodunenſia & reliqua Burgundiæ, quorum mihi ſpes facta eſt. Quam bene de literis hac editione meriturus ſis, dicere tibi, niſi ſcirem melius te hæc, quam nos, ſcire. Tanta mihi fiducia eſt, & candoris, & eruditionis tuæ, vt quæ inter receperis, ſatis in tuto eſſe confidam. Sed memineris, nihil referre, meum nomen iſtis adſcribi. Tua enim potius ſunt quam mea. Quid opus alio titulo quam tuo? Tu operis totius editor, nõ ego. Sed vide, an inter [illegible] quædã Luſitanica de Viriato & Sertorio poſiturus ſis. Quædam ſane eiuſmodi ſunt, vt ne in ſublimis quidem poni mereantur. Sed tu melius hæc, quam ego. Vale, mi Grutere. Lugduni Batauorum. III. Kalend. Martii Iuliani ɔIɔ Iɔ xcix.

EPISTOLA CCCCVIII.

IANO GRVTERO. Binas tuas ſed [illegible] accepi. Nam quas anno ſuperiore xxvi. Octobris ſcripſeras, nudiuſtertius accepi: alteras præteritis nundinis, quæ iv. Aprilis ſcriptæ fuerant. In omnibus & [illegible] me animum tuum, & diligentiam in illis veteribus monimentis digerendis, expendendis, & illuſtrandis agnoſco: quæ quare tibi commendem, cauſæ non eſt: quum tu ipſe fidei tuæ & ſedulitatis magna argumenta dederis. Supereſt, vt expectationi doctorum ſatisfacias, quibus perſuaſum eſt, illa monumenta, non ſolum aliquando emendata proditura, quum eruditionem tuam ſpectant, ſed & propediem, quum diligentiam. Itaque, tametſi tantorum votorum feſtinationi difficile eſt ſtatim occurrere, quod nōdum opus illud prælo cōmendatum ſit: tamen danda eſt opera, ne culpa noſtra accidiſſe videatur, quod per alienam ſocordiam aut ſupinitatem peccatum ſit. Certè iam tempus hoc agendi, vt tibi cauſas tam pertinacis ἀμβλυεργίας dicerem. Inſcriptiones Lingonenſes nactus ſum, quas iam accipies. Diuionenſes, & Auguſtodunenſes expecto. Inſcriptiones Italicas ab amico ex ipſis ſaxis deſcriptas huc conieci. Puto à me in volumine meo annotatas. Sed nihil periculi eſt cō[illegible]. Adiunctæ ſunt quatuor ab eius affine Vorſtio [illegible], quarum prima ridiculum in modum detruncata [illegible], quæ quanto nobilior & vetuſtior eſt, tanto ægrius ferendum erat eius miſerrimam [illegible]. Quod de Prouincialibus inſcriptionibus, quæ illic à [illegible] Kniebio conceptæ ſint obiicis: ſcito Kniebium in Prouincia fuiſſe tunc, quum ille & ego [illegible] Cæſarum [illegible], ſed inſcriptiones il-

lis

lis ab aliis accepiſſe, atque ea mihi tradidiſſe. Quum autem ante annos ſedecim ad ea loca me contuliſſem, ibi [illegible] deprehendere mihi licuit. Itaque recte concepta tibi dedimus. & ex iis Kobbianæ caſtigandæ ſunt, non noſtræ ex Kobbianis. Rem reperiſti, vt tu optime mones, vbi diuerſitas non occurrit. Sed ſi bona nanciſci non licet, minus mala eligenda, aut interſerenda. Monumentum illud *Dian verum*, quod ad me miſiſti, maiore lætitia me, an admiratione affecerit, neſcio. Nam quæcunque voluptas ex illa lectione ad me peruenire potuit, ea omnis ignoratione illius vetuſtatis euaneſcit. Quæ enim ſint Decuriæ illæ, adhuc quæro, & a meliore ingenio quærendum auxilium. Non tamen ſine maximo fructu legi ea poſſunt; e quibus multi errores tam in notatione annorum Vrbis, quam in ſerie Conſulum, apud Faſtorum ſcriptores poſſunt corrigi. Nam profecto verū eſſe comperi, quod diximus, ab initio Tiberiani Imperii deinceps multa paria Conſulum perperam relata; vt taceam nomina illorum aut mutata aut deprauata. Sed tu hæc melius, quam nos. Reliquum eſt, non vt tibi Inſcriptiones illas commendem, ſed vt tarditatē typographorum expergefacias. Vale, mi Grutere. Kalend. Auguſti Iuliani cIↄ Iↄ xcix.

EPISTOLA CCCCIX.

IANO GRVTERO. Ad binas tuas literas vna ſimul memini me reſpondere. Vidimus [illegible] cum Inſcriptionibus affectatiſſime [illegible] quæ illæ larua, quam induerunt, [illegible] vt vultum ſuum non proderent [illegible] artifices non eſſe eos. [illegible] vt impu-

nere nobis poſſint. neq; nos tam leuis ingenii ſumus, vt illis fidem accommodemus, quos ſcimus nunc non primum incipere ludere de credulitate noſtra, ſi modo vllam hactenus in nobis experti ſunt. Id in Elegia ineptiſſima nomine Cornelii Galli fecerunt: in qua lacunas reliquerunt, & verſus integros omiſerunt, vt fidem vetuſtatis ex lituris & obſoleta lectione facerent. Idem de Carmine in Orpheum Caſſii Parmenſis; idem de Apuleii fragmento ex Menandri Anechomeno dico, ſi modo vlla Menandri eo nomine fuit fabula. Profecto, mi Grutere, ſi noſtrum eſſet mentiri, & prudentius & cautius id faceremus, neque tam imprudenter, vt in ipſo veſtibulo fucus pateret. Sed de Inſcriptionum editione quando cogitas? iam tempus eſt, vt ſaltem aliquo ſpecimine exſpectationem omnium expleas, qui auidiſſime huic editioni imminent. neque vllum opus eſt, quo magis te nobiliſſimis ingeniis & poſteritati cõmendare poſſis. Quare agedum aggredere. Nam hæc ſcriptio huiuſmodi eſt, vt quocunque ordine & œconomia texatur, appendices & auctaria admittere poſſit, & vt nullo periculo facile, vbicunque voles, & à quocunque capite, incipere poſſis. Certe omnes in ea exſpectatione ſunt, eoque magis, quod à nemine tantum opus fidelius, eruditius, & luculentius edi poſſit. Adde quod omnium diligentiam in his perquirẽdis exhauſiſti, neque quicquam ſupereſt, cuius exſpectatio editionem differat, præter Burgundica, quæ propediem tibi indiciem, ſi nondum accepiſti, mittemus. Ego non te libero, donec acceperis. Salutem tuam cura diligenter, & te nobis tui ſtudioſiſſimis, & Muſis ſerua. Vale, mi Grutere. Prid. Eid. Febr. Iuliani. Lugd. Batauorum.

CIↃ IↃC.

EPISTOLA CCCCX.

IANO GRVTERO. Vnis literis communibus omnes tuas respondi. Itaque de illis Inſcriptionibus, quas Itali, vt hominibus Transalpinis illuderent, commenti ſunt, abunde, & quidem bis, ſcripſi. Nullo modo in albũ aliarum recipiendæ ſunt. Si quæ præterea ancipitis ſunt meriti, in priuatum conijciantur locum, neque cum alijs commiſceantur. Denique quæ notæ optimo maximo ſunt, in vnum cenſum veniant. Reliquæ reticulorum numero habeantur. Illud ſanctiſſimæ Vetuſtatis ſacrarium erit, ad quod τὰ ἀμφίβολα admitti non debent; & quæ tua eſt eruditio, non admittentur. Multa praua, peruerſa, præpoſtera in Apiano, Aldo, & alijs leguntur. Tu, qui harum mercium optimus inſpector es, ne quid niſi probæ mercimoniæ ad te admittatur, recte cauebis. Ego nihil aliud quam te hortor, ne vel deſidia operarum, vel τῶν ἐργοδιωκτῶν negligentia, opus interpelletur. Nam omnium huius generis hominum fatalis quædam lentitudo eſt. De reliquo ne verbum quidem addam. Vale Lugduni Batau. VIII. Eid. Auguſti Iuliani clↄ Iↄc.

EPISTOLA CCCCXI.

IANO GRVTERO. Non vnas à te literas, eodem argumento accepi, quibus apud me de ceſſatione Typographi expoſtulas. Ego, mi Grutere, non ſemel, neq; parce, Commelinum & Iudam de hac lentitudine caſtigaui; neque quicquam à me prætermiſſum puto, quod ſaltem ab eis aliquem exprimeret pudorem: quod non ſolum

me

me conſecutum puto, ſed & obiurgationibus meis effeci, vt opus procederet, & aliquis ceſſandi illis, nobis expoſtulandi finis eſſet. Iuda heri me conuenit, qui primum inſcriptionum tomum proximis his nundinis prodeuntem promiſit. In ceſſatione nihil lucri eius repoſitum eſſe video. Huius enim culpæ pars ad Typographum pertinere potuit, qui abſente Iuda res ſuas potius curaret, quam officij ſui rationem haberet. Et ſcis quam pernicax ſit hoc hominum genus. Ceterum magna te, mi Grutere, operæ tam bene in tanto opere nauatæ gloria manet. Quis non dicam melius te, ſed præter te, hoc tam difficile opus explicare poſſet? De Burgundienſibus Inſcriptionibus iterum amicos compellaui. Quid ab illis expectare debeam, adhuc hæreo. Nam illos iam dudum importunus flagitator iterum atque iterum conuenio. Non ceſſabo, donec aliquid extudero. Te interea oro, bono animo vt ſis, neque in tam longa nauigatione curſum abrumpas; ſed vt cœpiſti, ita pergas. Hoc omnes de te expectant, quorum ſpem fruſtra eſſe, neque tua fides, neque meæ apud illos pollicitationes, neque eorum de te exiſtimatio ſinunt. Eſt aliud præterea quod te oratum volo. Quintum Smyrnæum Aldinæ editionis Commelino commodaueram. Is in congerie librorum eius latet. Quia Bibliotheca illa tibi nota eſt, & aliquando illam viſitas, nemo eſt, qui felicius illum tenebrionem e latebris eruere poſſit, quam tu. Nam fruſtra iamdudum ſollicito apud Commelinum, & Iudam quæro: qui in libris quidem illic eum latere eum dicunt, ſed deprehendere illum, aliorum quam ſuæ opis eſſe. Igitur ad te confugio, vt per ius amicitiæ noſtræ illum mihi aſſeras, & quamprimum poteris ad nos mittas. Præterea, Hieronymus Philoſtratum, de vita Apollonij Tyanei, mihi promiſerat. De eo Iudæ verba feci, qui promiſit mihi, modo tu repetas, curaturum ſe, vt neque illum deſiderem. Obteſtor

igi-

Digitized by Google

igitur te, mi Grutere, vt duos illos libros operarum habeam, & quam primum poteris, eos Iudæo ipſi, qui ad vos profectus eſt, reddendos mihi cures. Nihil mihi gratius facere potes. Vale. Lugd. Batau. Prid. Kal. Martii Iuliani cIɔ Iɔc I.

EPISTOLA CCCCXII.

IANO GRVTERO. Iam de Commelinianorum ceſſatione conqueri non poteris. Nam folia ad 420. paginam accepi. Quanta autem operis totius moles futura ſit, ſuſpicari potius quam ſcire poſſum. De erratis Typographicis, tu ipſe videris. Nemo enim melius te hæc notare & iudicare idoneus, qui recenſuiſti ipſa Epigrammata & digeſſiſti. At conficere Indicem Herculei laboris & improbæ moleſtiæ eſt. Vt ego conficiam, Commeliniani volunt: quaſi tantum otii mihi ſit ab re mea: aut hominis melioribus curis occupatiſſimi hic labor potius eſſe debeat, quam operarum typographicarum, aut alius cuiuſuis, qui quod agat non habet. Ego vero, mi Grutere, tantum abeſt, vt nihil habeam quod agam, vt nihil potius in votis ſit, quam quæ nunc ago, ea abiicere, ne illis [illegible] oneri. Et ſatis non eſt me domi inueniſſe, quod curarem, niſi etiam alienis negotiis me immiſceam. Quod ſi [illegible], qui me in tam moleſto opere iuuarent, non pigeret laboris. Sed hic nullum inuenire poſſum, qui vel in bono [illegible] vellet. Adeo lenta, pigra, & laboris [illegible] ſunt hodierna ingenia. Certe, mi Grutere, typographorum, ad quos lucrum librorum ſpectat, non hominum ſtudiis publicis intentorum eſt, conficere Indices, qui quantum [illegible] negotiis impendunt, tantum publicæ utilitati demunt. Quod

tamen

tamen meum fatum eſt, non mihi, ſed omnibus nato eſ-
ſe. ego Ioan. Commelino, propter neceſſitatem amici-
tiæ, quæ inter nos intercedit, me, quantum hoc tædii eſt,
devoraturum promiſi. Tu longum opus eſſe non igno-
ras. Ego vero dubito, longuſne an moleſtius futurum ſit.
Videro igitur. Interea legiones ad hibernacula dimitte-
re oportet, hoc eſt, quod in manibus habeo, dimittere
tantiſper, dum ego, & loci, & dignitatis, & quod caput
eſt, præcipuarum mearum curarum oblitus, alienis nego-
tia curo, propriis per ſtultitiam meam excuſſus. Grata
fuit mihi nobiliſſimi Ioan. Wedenſteini [illegible]
amicitiam eo pluris fecerim, quo plures dotes & ab ani-
mo, & ab inſtitutione, & à genere habet, cur amari debe-
at. Eum à me, ni grave eſt, ſalutabis. cujus effigies & inſi-
gnia memoriam mihi non ſolum ejus, ſed & tui, qui pa-
randæ huius notitiæ fuiſti, ſæpe refricabunt. Idem de To-
bia Sculteto dico; de verſibus potius ſuis, quam de facie
mihi noto. Non vereor hoc iterum interpellare te de [illegible]
bro & Philoſtrati Apollonio, inter libros Hieronymi
Commelini quærendo: tametſi, quantum in ſtudia tua
peccem, qui te ad tam moleſtam operam voco, non igno-
rem. Sed ignoſces fiduciæ, quam mihi fecit humanitas tua.
Vale, mi Grutere. Nonis Auguſti Leidæ, die natalis mei
LXII. CIↃ IↃ CI.

Quando Martialem [illegible] Senecæ Tragœdias ha-
bebimus? Promiſiſti. Expecto diligentiam. Non potes ef-
fugere. [illegible] ad me Eilhardus Lu-
binus, ſe tibi Iuvenalem ſuum miſiſſe. Affirmabat mihi,
quum hic eſſet, ſe vetuſta Scholia illius Poetæ, Pithœa-
nis longe plura & meliora, nactum eſſe. Velim
ſcire, an ea tibi daturus ſit. Ite-
rum vale.

EPISTOLA CCCCXIII.

IANO GRVTERO. Mitto tibi Indicem noſtrum, decem menſium opus, neſcio an magis pudendum mihi, qui tot menſibus nihil aliud egerim, an incredibile illis, qui tam laborioſum negotium nunquam experti ſunt. Sed quid videatur aliis de re, cuius ego ſolus verum conſcius ſum, ipſi viderint. Sat habeo, ſi tibi illud & amorem meum in te probem; abſque quo foret, nunquam tantam temporis iacturam feciſſem, & diligentiam autem vel opus ipſum fidem facere poteſt. Primum totius laboris conſpectum in adito ipſo tibi dedi, vbi & capita & partes eius habes. Itaque hic ordo in excudendo, non qui eſt in contextu ipſius voluminis, ſequendus eſt. Prius enim capita, quæ occurrebant primo collegi. Poſtea abſoluto opere, quis ordo tenendus mihi eſſet, & quæ totius negotii diuiſio, facilius iudicaui, quam ſi illa animo concipere voluiſſem antequam ſcriptionem aggrederer. Fruſtra enim fuiſſet: quia inter ſcribendum multa mutantur, vt ſolet, multa damnantur, multa innouantur. Omnia capita eo numero ſignata ſunt, qui deſignat ordinem, quo in excudendo locari debent. In capite nominum propriorum, quod eſt omnium maximum, vel, vt verius loquar, qui eſt ingens liber, in paucis paginarum numeri per imprudentiam omiſſi ſunt. Sed omnes totius quã inſcriptiones ipſe digeſſiſti melius meminiſſe, & reddere illas ſuis nominibus, vel relinquere locum vacuum, poteris: quia potius nomina propria omittere, parua iactura eſt. Videbis aſteriſcos huiuſmodi * in illis Inſcriptionibus eſſe, quæ à te e libro Smetii omiſſæ ſunt, quas tibi ſuo loco indicauimus, ſaltem quas animaduertere potuimus. Itaq. poſt paginam 1061. quæ eſt

omnium

[illegible] vltima, earum quas accepimus, omiſſæ, [illegible] liis quas tibi ex ſchedis noſtris mitto, excudentur: & quæ notabilia excerpes, in Indice, vbi opus erit, & locis ſuis collocabis. Itaque orote inprimis, vt omiſſa reponantur, & illis alia quæ mitto, adiiciantur: paginarum autem numerus ſequatur numerum 1062. In calce tamen corporis, omnino notas omnium, quæ obſeruaſti, adiicere debes, quæ aut caſtiganda aut explicanda erunt: quorum ſubſidia quædam in notulis miniſtramus quas mittimus, ex quibus eligere aut reiicere quæ videbuntur poteris: quanquam nihil niſi valde neceſſarium notauimus. Porro omnium eſt colligere, excerpere, indices conficere, ſed non omnium omnia, quæ notauimus, deprehendere. Itaque eiuſmodi eſt index iſte, vt opportune [illegible] in commentarium admittere poſſit, modo ab erudito viro & præſertim iuris peritiſſimo conficiatur. Tu præſtare hæc optime poſſes: & fortaſſe, poſtquam totum opus propius perpenderis, increſſet tibi amor aliquis, hæc [illegible] horis tuis illuſtrare. [illegible] fieri, qui tantum oneris id ætatis homo ſuſceperim. Sed, etiam diu, tantum potuit in me amor & ſtudium, quo te ſemper proſecutus ſum. Epigrammation hoc, quod iubetis, ſi tanti tibi videbitur, teſtem amoris noſtri habe. Martialem tuum accepi. Gratias ago amice. Compingendum dedi. Aliud propediem dedero tibi. Vale. [illegible] Iuliani.

EPISTOLA CCCCXIV.

IANO GRVTERO. Non dubito quin iam Indicem illum, qui tamdiu exercitum me habuit acceperis. Adieci notulas, de quibus, quod in rem tuam videbitur, ſeliges. Nam neque mihi, qui meliora adhibere poteſt, neq;

Digitized by Google

neque tibi ſcripſi, qui me doctorem operis non habes, ſed adiutorem. Itaque ſine fraude reiicere poteris, quæ non placebunt. à nominis mei mentione omnino abſtineri volo. In omnibus meis literis hoc à te contendere me memini. Sat habeo, ſi mihi & exiſtimationis tuæ, & publicæ vtilitatis conſtat ratio. Viginti quattuor Indices confeci, quot numero capita ſunt. In illorum verbis connectendis, ne initiales ſyllabæ alia aliam præuorteret, collocauimus. Quod ſi aliter præter conſilium noſtrum accidit, oro te, vt omnia ordini ſuo reſtituas. Notæ numerorum in quibuſdam omiſſæ ſunt, vt in capite de nominibus propriis, quod omnium capitum maximum eſt. Eos numeros aut tu reſtitues, aut locum vacuum relinques, vt lector inter legendum ſuppleat. Nam ea iactura non tanti eſt. Cogita quanta mihi patientia ad hæc coagmentanda opus fuerit. Sed nolo te obtundere. Et fortaſſe viderer eſſe κακόζηλος. Mitto tibi quaſdam alias præter priores Inſcriptiones, quas tu vna cum omiſſis poſt paginam 1062. excudi curabis. Sed de tuo Martiale, ô amice, quam gratiam pro dignitate tibi reddemus? De tua opera tam bene nauata loquor; non de munere tantum. Nam nulli mortalium plus Bilbilitanus ille quam tibi debet. Sed dolemus typographum de eo non melius meritum eſſe, quam eos, qui illum caſtrarunt. Nam charta plane eſt, quam Annalibus Voluſianis attribuit Catullus. Itaque hæc dolens Scriuerius noſter dare Typographo decreuit, qui mundiore charta, & ſplendidiore cultu edat. Id vt faceret, amor eum in te & publicæ vtilitatis impulit. Sed de Propertio [illegible] vt cuiuſque noſtrum amico non aſſentior. Quo modo enim conſultari poteſt quam alienum iudicium à veritate? De illo vero epigrammate quod voluit perſuadere verum eſſe, fruſtra eſt. Eſt enim non ſolum recentis hominis, ſed & inepti. Scito autem ab anno olim mihi varias lectiones Martialis ex codice

Digitized by Google

dice Palatino communicatas fuiſſe. Ego quoque integro Cuiaciano & præterea excerptis veteribus illius poetæ, quæ penes ipſum Cuiacium erant, vſus ſum. Itaque maiorem partem, prout in animum venerunt, Heraldo, quum editionem ſuam adornabat, miſeram. Sed epiſtola in itinere intercidit, vt illa cum ſuis notis edere non potuerit. Multa ibi à nobis animaduerſa vidiſſes, quæ tu occupaſti. Sed longe plura tu. Paucula quæ ſuperſunt, Scriuerio communicabo. Tragœdias Senecæ, & Statium à te emendatum expectamus. Sed oro te ne ordinem Tragœdiarum mutes, quod ſummus vir vtriuſque noſtrum amicus, ſibi & alijs perſuaſit. Et certe non poſſum ſatis mirari iudicium, quod de illis Tragœdijs dedit. Ego aliquem earum rerum vſum habeo, qui me confidentiorem facit; & ſi aliquid in eo genere mihi tribuo, ignoſcat mihi eximius ille Criticus. hoc ego iure meo facio. & addam me nemini in ea re concedere. Deum immortalem quid de omnium Principe Tragœdia Troade ſentit? Et cui perſuadebit diuerſos eſſe auctores? Ego illarum nouem vnum genium, atque ideo vnum parentem agnoſco, ne fruſtra ſit. Octauia neque inepta eſt, vt ille putat, neque futilis auctoris, aut ſub Domitiano viuentis. Quid? quantum interuallum eſt inter tempora Neronis & Domitiani? Tam paucis annis defeciſſet eloquentia Romana? Ego video auctorem Octauiæ, ipſius Octauiæ domeſticum & Senecæ amicum fuiſſe: & optimum poema eſſe. Hoc epiſtola tractari non poteſt. Quare taceo. Oro te, niſi moleſtum eſt, Freherum noſtrum clariſſimum virum meo nomine ſaluta, cui à te meas redditas eſſe non dubito. Has, quas hic incluſi, cito illi reddendas curabis ad quem ſcripſi. Vale.

Lugduni Batauor. III. Calend. Iunii Iuliani cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA CCCCXV.

IANO GRVTERO. Scipio quidem Gentilis noſter tuas ad me pertulit, ſed quæ ad binas non reſponderent quas ad te menſe Maio vna cum Indice dedi: quum tamen per vtraſq; meminerim me à te ſummopere contendere, vt me quamprimum poſtquam Indicem accepiſſes certiorem faceres, quem iamdudum te accepiſſe non dubito. Peto igitur à te, vt ſignifices mihi, ecquando Indicem acceperis, & quid tui de eo iudicii ſit: quem quia in gratiam tuam elaboraui, propterea tuum omnino eſſe, neque vllam mei mentionem fieri volo. Præterea, quia immenſum indices creſcere poſſunt, eum pro arbitrio tuo augere non ſolum nulla inuidia eſt, ſed & neceſſitas ſumma; præſertim quum plures inſcriptiones acceperis, quas ad totum corpus adiungere inſtituiſti. Sed vt augere potes, ita, meo iudicio nihil de eo detrahere debes. Nimio enim minus me, quam plus, feciſſe ſcio. Duo ſuperſunt, quæ te rogatum velim; prius, vt nobis Indicem librorum Bibliothecæ Palatinæ omnium, tam Græcorum, quam Latinorum, Hebraicorum, Arabicorum communices. Alterum, vt ad id, quod à te poſtremis meis literis ſciſcitabar, reſpondeas; hoc eſt, an te volente iterum hic recudi Martialis tuus poſſit. Ita enim mendis deformatus eſt, idque in ea charta, quæ ad ſpurcos vſus potius dicanda erat, vt neminem putem eſſe, quem non turpitudo illa à lectione illius editionis tam deterrere, quam diligentia tua & eruditio inuitare poſſit. Suſcepit negotium Scriuerius: multa præterea habet, quæ ſciri multo quam ignorari præſtat. Oro igitur, ne ad hæc reſpondere graueris. Certum enim eſt, te inconſulto, nihil aggreſſurum Scriuerium. Vale.

Lugdu. Batauorum, Eid. Sextilis Iuliani.

EPISTOLA CCCCXVI.

IANO GRVTERO. Iamdudum Catalogum librorum Palatinorum accepi; quo nomine tibi gratias ago. Iſte nobilis Bohemus, qui has tibi reddet, amicitia tua dignus eſt. Illum meo, & eius ipſius cauſa, amplecteris. Nam Heidelbergam eum euocauit, non curioſitas, ſed tui deſiderium. Tuus Martialis ad nonum vſque libellum promotus eſt. Sperat Scriuerius ante Paſcha contextum abſolutum iri. Quantum lectores editionis prioris deformitas absterrere poterat, tantum hæc ab elegantia typorum & ſplendore chartæ inuitabit. Nam lepide, mi Grutere, hodie vix meliorem & luculentiorem editionem, quam hanc fore ſperamus, prodire poſſe. Quantum iudicare poſſum, his nundinis totum Inſcriptionum tuarum corpus prodibit: cuius, vt ſcis, anima eſt Index [illegible]. Nam [illegible] eo quæ iucunditas in tanta mole eſſe poteſt? Non dubito, quin multis partibus locupletior [illegible] quia non habuimus eas, quas poſtea nactus es Inſcriptiones. De illis, quas Sanatius habet, expecto reſponſum, & miror ſilentium. Sed iterum autem illi vellem, qui & Sauatonem nouit, & non parum apud eum valet. Vellem nobis Senecæ Tragœdias, eodem cultu, ea qua Martialem, dares. Sed aliter de illo ſcriptore iudicandum ac præſtantiſſimus amicus noſter. Hoc poſſunt facere, qui poſſunt facere poetas, & ſe facere poetas. Vale. Lugd. Batauorum XIV. Calend. Martij Iuliani CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCCXVII.

IANO GRVTERO. Antequam hæc ad te perueniant, non dubito, quin alteras, quas cum Inſcriptionibus Græcis à me correctis miſi, accepturus fueris. Supereſt, vt reſpondeam ad eas, quas nudiuſtertius accepi cum Epigram-

grammatis Baſilicæ Petri: de quibus ſententiam meam expectas. Ego vero auctor ſum vt edantur. Quam enim gratiam non merebuntur à poeſi, eam ab argumento conſequentur. Multa enim habent, quæ ſciri quam ignorari præſtat. Ea in claſſem Chriſtianorum referantur. Ex quibus quæ digna cognitu excerpes, ea in Indiculum Chriſtianorum monumentorum, quod eſt vltimum caput Indicis noſtri, conijcies. Idem & in Græcis, quæ correcta ad te remiſimus, facies. Scriuerius noſter editionem Martialis ſuam adornat. vt emendatiſſima prodeat, & in charta luculenta, is operam dabit. O chariſſime, & optime virorum, quas tibi grates pro libris, quos manu tua de Bibliotheca Commeliniana mihi ſelegiſti, referam? Te ne mea cauſa has horas commodis reipublicæ ſuffuratum eſſe? Quid aliud dicam, niſi pro tanta comitate me totum debere me tibi? Quos notaſti te reperiſſe, omnes accepi, præter paucos quos frater Iudæ Nicolaus ſe exſpectare ait. Neſcis quam immani pretio Bibliothecam mihi parem. Vix habeo vulgatiſſimos libros, vix numerum iuſtum, qui mereat nomen Bibliothecæ: & tamen eos ſumtus feci, quos in rationes expenſi retuliſſe pudeat. Adeo me paupertatis meæ pudet, pœnitet iacturæ. Propediem de Sauaronis Inſcriptionibus ſcribam, qui olim mihi Sidonium ſuum communicauit. Fortaſſe meminerit congreſſus noſtri, quod principium quoddam inſtitutæ amicitiæ fuit. Catalogum Bibliothecæ Palatinæ expecto, cui te præfectum eſſe tam gaudemus, quã ſciamus neminem magis idoneum illi prouinciæ præfici potuiſſe. Conquereris de ſcriptione literarum, quarum multitudine obrueris? Si homo inutilis eſſes, facile hac moleſtia careres. nunc quum omnes operam tuam poſcant, nõ mirum eorum numerum magnum eſſe, quemadmodum & vtilitas, quam ex doctrina tua percipiunt, infinita & inexhauſta eſt. Ego, qui mihi pene res ſum, effugere

gere non poſſum, quin tot epiſtolas quotidie ſcribendi incumbat neceſſitas, vt ſæpe in mentem eius Neroniani veniat, *Vtinam literas neſcirem!* Vale, mi præſtantiſſime amicorum. Lugduni Batauorum. Prid. Non. Nouembr. Iuliani.

Salutem ampliſſimo viro Domino Frehero à me, niſi graue eſt, dicas: cui poſt paucos dies ſcribam. Nunc occupationibus obruor.

EPISTOLA CCCCXVIII.

IANO GRVTERO. Ex poſtremis tuis, quibus nondum reſpondi, intellexi, proximis nundinis abſolutum opus Inſcriptionum, cum Indice proditurum. quem exceptis paucis foliis, fere integrum à Clariſſ. viro Lingelshemio acceperam. Sane dubium, maiorem poſteritati fructum, an tibi famam apud poſteritatem iſto heroico opere pepereris, quod non minoris animi fuit incepiſſe, quam gloriæ ad finem perduxiſſe. *Quodque eximiis paucis, id tibi vita dedit.* Vt gloriæ tuæ intereſſes, & quotidie iam viuo tibi tantum nominis comparatum eſſe audires, quantum poſt mortem ad memoriam tuam propagandam ſat erit. Scis, quod tibi ſcribere memini. Indicem illum, inſtar perpetui Antiquitatis commentarii eſſe, eumque alio commentario illuſtrari poſſe. qui non poteſt magis idoneum habere auctorem, quam te. Quis enim hodie melior interpres harum rerum eſſe poteſt, quam tu, qui illas collegiſti, & tam triuiſti, vt vſu tuas feceris? Commelinus abſolutum mihi opus notarum Senecæ dedit. Sed vtinam luculentum eius argumenti librum haberem, vetuſtatis præcipuæ, & eximiæ charactérum elegantiæ: quem olim cum aliis ſcriptis codicibus Cuiacio commodatum quidam peſſima fide ri-

tinuit,

tinent, quamuis furti manifeſti. Eſt & alius apud Clar. V. Claudii Puteani hæredes. Vidi & alibi totum Pſalterium iiſdem notis conceptum. Exſtant & alibi ſimilis exempli, ſed diuerſorum ſcriptorum. Ex illo indice Bibliothecæ Palatinæ, quem à vobis accepimus, cognoui, aut non omnes in illo relatos codices eſſe, aut non omnes exſtare in Bibliotheca, qui olim fuerunt. Nam & quidam codices Arabici deſiderantur. Sed, puto, quum tibi vacabit, iterum Bibliothecam recenſebis, & aliquando integrum indicem publicabis. Vale. Lugduni Batauorum. xv. Calend. Septemb. Iuliani cIↄ Iↄc xv.

Epistola CCCCXIX

Iano Grvtero. Valde me iucundiſſimæ literæ tuæ oblectarunt, quas ex nundinis ad me ſcribebas. Videbam te hilariorem ſolito. Itaque, vt animus tuus, ita fuerunt tuæ literæ. Quia enim functus laboribus, lætus, & alacris ad ſcribendum eas te contuliſti, propterea illæ de animo iam ſoluto curis multum retinebant, vt non fruſtra dictum ſit, Ψυχῆς χαρακτήρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος. Certe hoc ego in epiſtola tua agnoui, quæ te mihi alium prorſus exhibebat. Nam antea literæ tuæ nihil aliud præter operarum typographicarum oſcitantiam, & laborum catenatorum inextricabilem molem tinniebant. Ego certe, mi Grutere, gaudeo illis moleſtiis defunctum ad hilaritatem animum tuum traductum eſſe. Hæc remiſſio fortiorem deinceps ad grauiora munera obeunda præſtabit. Sed quando Bibliothecæ Palatinæ Catalogus edetur? Hocne fruſtra exſpectemus. Meus Euſebius ſub prælo eſt. Sed diu in illo piſtrino hærebit propter molem operis, & tyrocinium operarum, quæ τὴν [illegible] μανθάνουσιν. Antea cuius

Theſes tantum excudebant. Quotidie Scriuerium noſtrum de Martiali vrgeo, qui prope ad finem adſectus in luto hæret: cuius moræ cauſſam ne ipſe quidem Scriuerius reddere poſſit: niſi forte, quia Hollandicum eſt, ſero perficere quod maturius poſſes. Nam certe, ſi rem non ex rigore iuris, ſed ex æquo bono putemus, pridem Martialis ille præterita æſtate prodiiſſe, neque vlla vis facta eſſet. Opto, vt bene valeas. Lugduni Batauorum. Nonis Martii Iuliani CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA CCCCXX.

IANO GRVTERO. Ex poſtremis tuis ſtudium tuum de edendis τῶν *μηχανικῶν* auctoribus, item Athenæo Mechanico, & aliis, quorum interpretationem Latinam adiunges, perſpicere potui. Ego, optime virorum, plurimum omnibus generoſis conatibus tuis faueo. Sed (non enim celabo te) quomodo Mechanica illa recte conuerti poſſint, non video, quia neminem puto eſſe hodie, qui demonſtrationes illas intelligere poſſit, tum propter argumenti difficultatem, tum vocum ac verborum τεχνικῶν obſcuritatem, &, quod caput eſt, quia figuræ pereunt, quod vnicum præſidium ad omnia intelligenda erat. Nam figuræ illæ quæ in ſcriptis reperiuntur, ſciolorum commenta ſunt. Quod ſi illæ, quæ ab auctoribus poſitæ erant, exſtarent, nihil eſſet, quod peritum morari lectorem poſſet. Peritum intelligo, qui in mechanicis & in Geometricis non ſit tyro. Nam quantumuis *Græce doctus*, niſi aliquem harum artium vſum habeat, omnem operam ludet. Hæc tentare, mi doctiſſime amice, periculoſa alea eſt. Iamdudum enim Athenæus, Biton, & alii Latine & Græce loquentes prodiiſſent, abſque illis obicibus foret, quas tetigi. Tu per tuam pruden-

tiam

tiam hæc conſiderabis, & de conſilio mo[i]terum perſcribes. Ego in omnibus obſecundare deces tui tibi. Epiſtolam, quam Eliæ Putſchio ſcribo, oro te, illi recte reddendam cures. Quartum enim ad eum ſcribo, quum tamen nihil literarum ab eo acceperim. Tuum Senecam quo minus hactenus legere potui, in cauſa eſt librarius, cui compingendum tradidi, & nondum accepi. Interea gratias maximas tibi eius libri nomine agimus. Quod Martialis nondum prodit, typographo an Scriuerio adſcribam, an vtrique, neſcio. Vtrique, melius fecero, ſi adſcribam. Vale. Lugduni Batauorum. xvi. Kalend. Sextilis Iulianas cIↃ IↃc IV.

EPISTOLA CCCCXXI.

IANO GRVTERO. Fortaſſe quas nuper ad te ſcripſi, vna cum iſtis eadem opera accipies, ſi nondum illæ tibi redditæ ſunt. Scripſi ad te, quid mihi videretur de auctoribus *τακτικῶν*; opus eſſe, quod non niſi doctiſſimi intelligunt, id eſt, pauci, præſertim Athenæum, quem ne doctiſſimus quidem, & ab omnibus artibus paratiſſimus, digne tractare poſſit. Quare quid laudis putes te conſecuturum, ſi adoleſcentis, quamuis eruditiſſimi interpretatione Latinum factum edas, non video. Neque tamen interea recuſo, quin velim, quod vis. Sed non poſſum laudare conatum quem omnes improbabunt. Aleam tamen iece, & potius tibi morigerus fuero, quam vt de me queri poſſis. Videbo, quid reſcribas, vt ea in re tibi ſatisfaciam. Tuum Senecam Tragicum lego. Agnoſco geminam ſedulitatem, quam in aliis præſtitiſti. Etiam Statium da nobis. Scio eſſe in procinctu. Fac vt cito appareat. Martialis Scriuerii qui ante xi. menſes prodire potuerat, eodem in ſtatu eſt, hoc eſt, opem, non typographi,

Digitized by Google

phi, non enim eius culpa eſt, ſed Scriuerii implorat: cuius moram excuſare nulla ſinit ratio: quandoquidem per illum ſolum hactenus ſteterit, quo minus Martialem habeamus. Quatuor, aut, ad ſummum, quinque tantum foliis, abeſt à fine. Oro te, ſi quid meæ preces apud te valeant, vt Bibliothecæ Palatinæ Indicem edas. Nihil nobis gratius facere potes. Vale. Lugduni Batauorum x. Calendar. Septemb. Iuliani cIↄ Iↄc IV.

EPISTOLA CCCCXXII.

IANO GRVTERO. Memini me tibi aliquando verba de Commentario in Indicem Inſcriptionum conficiendo feciſſe. Id quum nuper recogitarem, & interea Commelinus noſter mihi diceret, te neſcio quid tale moliri, non potui facere, quin iterum te ad id opus hortarer. Nihil neque e Republica literaria, neque ex exiſtimatione tua præſtantius facere potes. Quare ſi animum & conſilium eius ſcriptionis abiecisti; hortor te, vt ne te illius pigeat, ex quo ſolida gloria in te, in omnes ſumma vtilitas redundatura ſit. Sin autem iam operi manum admouiſti, vltro *ἐγκελευόμενος* venio. Potes etiam & de lectione Inſcriptionum, & de vtilitate, & aliis, quæ languentes lectorum ſtomachos reficere ſolent, commentari. Ad hoc ego te enixe hortor, conſcius mihi, qui hæc digne præſtare poſſit, præter te eſſe neminem. Scis Indicem, neceſſarium quantum Antiquitatis eſſe. Quot theſauri in illo? quæ opes Critices & humanioris eruditionis repoſitæ ſunt? Expecto quid tui ſuper hac re conſilii ſit: neque graue ſit, de eo negotio iudicium & voluntatem tuam ad me perſcribere. Vale. Lugduni Batauorum. VI. Eid. Octobris Iuliani cIↄ Iↄc IV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXXIII.

IANO GRVTERO. Vix tuas literas legeram, quum illis reſpondere viſum eſt. Vtinam æqua eſſet poſtulatio eius, qui te deprecatorem delegauit, vt à me exorares, quod neque mihi dare tutum eſt, neque illi honeſtum petere. Ego, mi Grutere, tanti amicos meos, & te in illis præſertim, facio, vt nihil illis negare poſſim, quod quidem aut in poteſtate mea ſit, aut è re mea & illorum ſit concedere illis. Sunt & alii, qui idem à me petiuerunt, in quibus Marcus Velſerus, qui pro ea, qua apud me valet auctoritate, id à me exigere poterat. Ita hominem abſolui, vt perſuaſerim ei iuſte negari, quod iniuſte peti non poteſt. Quod tanto amico negaui, id aliis concedere eſt illum contemnere. Meum Euſebium nemo videre niſi totum poteſt. Et miror, quomodo ii, quibuſcum nullus mihi vſus eſt familiaritatis, nullum literarum eſt commercium, tanti momenti rem à me petere non ſint veriti. Si fieri poſſet, nemo hodie viuit, qui magis à me, quam tu, impetraret. Sed ad Commentarium in Indicem venio. Quis melius præſtare id poteſt, quam tu? Quæ vberior antiquitatis ſeges? In primo capite, quæ de Diis, de dedicationibus, de votis dici poſſunt! In Capite de Militia, & in illo de Sepulchris, quæ miranda ex adytis iuris depromi poſſunt? Itaque habes vbi neruos intendas, vbi induſtriam exſeras, modo animus adſit, qui facere audeat. Nam certe neque vires, neque ingenium deſuturum ſpero. Aude modo. In Capite de Officiis Auguſtæ domus & Magiſtratibus, putaſne aut materiam deeſſe, aut ingenium non ſufficere, aut corpus labori non ſupereſſe? Si bene te ex ſcriptis tuis noui, ſcio ab illis ita bene te comparatum, vt, ſi laborem hunc detrectes, ea hoc à te exigant, vt tam præclarum onus refugere non debeas. [illegible]

ſcio

ſcio neminem ſatis pro dignitate eam editionem præſtare poſſe. In magnis tamen voluiſſe ſat eſt. In tua poteſtate ſitum eſt, facere; tui arbitrii, experiri an labor ille feliciter ſuccedat. Ego omnia, quæ tu vis, volo. Gratias tibi de tuis in Tacitum ago. Scriuerio videor calcar ad Martialem repetendum ſubieciſſe. Promiſit ſe non defuturum. Adhuc tamen ceſſatur. Ad Papinium te non hortarer, niſi mihi conſtaret tibi illum poetam non minus debiturum, quam Martialem & Senecam. Vale. Lugduni Batauorum. XIV. Calend. Decemb. Iuliani CIↃ IↃC IV.

EPISTOLA CCCCXXIIII.

IANO GRVTERO. De Commentario in Indicem, laudo conſilium tuum: & gratum eſt te illam prouinciam ſuſcipere; quam qui melius, quam tu, adminiſtrare poſſit, ſcio eſſe neminem. Interea Inſcriptiones numiſmatum, quia leuis labor eſt, potes addere, ita tamen, vt in præfatione lectorem inſtituti tui de Commentario in Indicem à te inſtituto certiorem facias. Certe hoc Reipublicæ literariæ debes: quia bene ac pro dignitate hoc præſtare potes. Salluſtium tuum ergo exſpectabimus, quandoquidem ita nos ſperare iubes. Statium iamdudum fruſtra prodeuntem ſpectauimus. Martialis Scriuerii iam fere integrum biennium ceſſat: ita prope abſolutus, vt ad ſupremam manum tria tantum aut quatuor folia deſint. Cauſſam ceſſationis nunquam ex ipſo ſcire potui, mihi neque ſpes vlla editionis maturandæ affulget. Quæ pœnitentia aut religio illi inceſſerit, vt opus prope abſolutum in tenebris premat, nondum nobis compertum eſt. Non ceſſo moras caſtigare, obiurgare, flagitare. *Quæ cuncta aerii diſcerpunt irrita venti.* Vale. Lugduni Batauor. Non. Martii Iuliani CIↃ IↃC V.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXV.

IANO GRVTERO. Non potui facere, quin ad literas tuas quas Francoforto mihi attulit Ioannes Commelinus ſtatim reſponderem. Admodum probo conſilium tuum de Indicum editione ſeorſim à corpore Inſcriptionum, cum acceſſione eorum, quæ ex Theſauro & nummis Goltzii, & aliorum, tum & ex Itinerariis Burdigalenſi, Antoniniano, Peutingeriano colligi poterunt, item ex Notitia Imperii Romani: vbi ſine multo ſumptu augendis capitibus regionum, vrbium, & rei militaris, legionum ac cohortium, acceptiſſimus erit ille labor omnibus, &, vt tu ais, lectori ad integras epulas, id eſt, ad ipſum corpus Inſcriptionum, ſaliuam mouebit. Poteris & ſelectiora quædam interpretamenta illuſtrandis illis, quæ aut luce indigent, aut quorum mentio alibi fit, à te ipſo depromere. In Codicibus Theodoſiano & Iuſtinianeo non pauca ſupellectili augendæ illi extant. De Seneca iamdudum tibi ſcripſi, quanti ego operam & ſtudium, quod in illis Tragœdiis collocaſti, faciam, & quanti eum prædicare amicis ſoleam, quæ tu non ſolum in ſcriptorem illum, ſed & alios iam contuliſti. Plurimum, mi Grutere, Latinæ literæ tibi debent; plurimum qui eas amant. Quid factum ſit illis literis, quas ad te de Tragœdiarum illarum editione tua dedi, nondum plane mihi conſtat, neque ſatis mirari poſſum. Exſpectabimus ergo Salluſtium tuum: vt non minor materia laudandæ induſtriæ tuæ ex illo ſcriptore nobis ſuppeditetur, quam ex aliis bonis auctoribus, qui tibi vitam debent. Debes nobis & Statium: quem ineptiſſime cognomine *Surculi* editio Pariſienſis proſcripſit. Mitto tibi aliquot Inſcriptiones, quas puto nondum vidiſti. Vale. Lugd. Batauorum XVIII. Calend. Maii Iuliani CIƆ IƆC V.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXVI.

IANO GRVTERO. Bis ad tuas reſpondi. Tertium has ad te ſcribo. Conſilium tuum de Inſcriptionibus nummorum laudo. Nihil neque fructuoſius ſtudioſis, neque mihi gratius facere potes. Iterum te de Commentario in Indicem appello. Illud condimentum ad reliquas epulas Lectorem inuitabit. Si quis hodie viuit, qui tam præclarum opus præſtare poſſit, tu is es, aut nemo. Et certe, quum tanta ſit meritorum tuorum in rem literariam multitudo, nullo magis doctiorum animos demereri potes, quam iſto. Perge, aude. Nemo tibi hanc gloriam, nemo palmarium hoc eripere poteſt. Literas ad Thebaldum Meulchium Eccleſiaſten miſi, amabo recte curato. Blittersvvickiæ quoque matronæ ſuas dabis. Vale. Lugd. Batauorum XIII. Kalend. Iunii Iuliani CIↃ IↃC V.

EPISTOLA CCCCXXVII.

IANO GRVTERO. Non opus eſt repetere, quæ poſtremis meis literis ad incendendum deſiderium tuum, vel potius ad te hortandum, vt illum Indicem Inſcriptionum numiſmatum conficeres, adhibui. Nihil enim eſt, neque quod editioni maiori Inſcriptionum accommodatius, neque quod reipublicæ literariæ vtilius, neque quod ſtudioſis gratius futurum ſit. Vnum oro, ne animum deſpondeas, vt Scriuerio contigit, qui totum propoſitum & animum de editione Martialis abiecit, quamquam illa proxime à fine abſit; neque pudet eum fidem decoquere, quam toties iam nobis obligauit. Dolet mihi, penuria typographorum, Statium tuum in fundo ſcrinii hærere. non minorem induſtriam te in illo collocaſſe, quam

Digitized by Google

ſe, quam in Martiali, & Senecæ Tragœdiis, vt credam, facit ingens tua mihi perſpecta eruditio & diligentia. De tuis in Tacitum diatribis ſummas tibi ago gratias. Mirus eſt labor ille, & qui *πολιτικῶς* tractare volent, habent vnde plene hauriant. Quid vero à te prodit, niſi eruditum? De Inſcriptione CCCLVIII. 2. video quidem Antonium Quadratum armillis & torquibus bis à Ti. Cæſare donatum, & torques eſſe *περιδέραια*, quæ collo circumdantur; armillæ *βραχιόνια*, aut *περιβραχιόνια* vocantur, quæ armis, hoc eſt, *βραχίοσι*, aptentur, vnde illis nomen. Sed in re militari dicuntur *calbea*, non *armillæ*, quæ militibus dantur, quanquam reuera eſſent armillæ. Sed QVADRATA quod addis, ego fateor me non intelligere, quum in illa Inſcriptione ſolius Antonii Quadrati mentio fiat. Quum primum ampliſſ. virum Mich. Lingelshemium videris, eum meis verbis ſaluta, & quod nullas nunc ad eum literas dederim, occupationes meas in cauſa fuiſſe, dicito: tum me proxime illi ſcripturum. Vale. Lugduni Batauorum, XVI. Calend. Septembr. Iuliani ciↃ IↃC V. Raptim.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

IANO GRVTERO. Ad priores tuas iam ſcripſi; in poſterioribus tuis me de edendo epitaphio in Baronem quendam ignotum mihi rogas. Certe etiamſi poeta eſſem, nollem tamen in pago pollinctus eſſe, vt omnibus opera mea pateret. Nihil eſt quod tua cauſa nolim. Sed vt inciuile eſt, ab homine ignoto aliquid petere; ita ignotis negare nulla lex ciuilis vetat. A me, quicquid libuerit, ſumme amicorum, pete, hoc vno excepto, ne aliis mea opera proſtituatur. Audio τὸν [illegible] Gaſparem Schoppium in noua Varronis editione multa

Loca, &

ſcurrilia in me effudiſſe. Nullus vnquam ſcriptor ad inſaniam tot homines adegit, quot ego. nemo hodie calamo manum admouet, quin ſubito [illegible] ſupponat, obtrectari Scaligero. De Loiolitis apoſtatis non miror. ipſi hoc palam profitentur. Sed inter nos eſſe, qui hunc numerum explere velint, hoc vero inauditæ inhumanitatis eſt. Et tamen quot portenta edunt? quibus ſe ineptiis traducunt? Habes collegas duos, quorum alter homo agreſtis, ineptus: alter paullo cultior, ſed nequior mihi, nihil prius habent quam oſtendere ſe doctos eſſe, ſi me indoctum probauerint. Caſaubonus illis tanti odii [illegible]. Ego neutri obtrectatus ſum vnquam, nihil eſt à quo mores, animus, inſtitutum meum magis abhorreat. Cur igitur tam infeſti? quia ſcripſi. Ex [illegible]. Quia quod feciſſe ipſi mallent, id à nobis occupatum eſſe, hoc illis ægre eſt. Quia quantumuis [illegible] quod non ſunt, non ſunt tamen adeo [illegible], quin [illegible] ſibi conſcii ſint. Intelligunt [illegible] Loiolitas me traduci poſſe ſentiunt, ideo in genus noſtrum nunc inquirunt. Marco Velſero iam ſcripſi. Pater meus Iulius Cæſar à Burden, vel Tonſius à Burden, vocatur à Lilius Gregorius Gyraldus in libello de poetis recentioribus, ut cum prius Burdonium fuiſſe dictum. in quo ille, aut potius typographus errauit. Melchior Guillandinus Sycophanta inſignis, quem [illegible] in Felli inſaniam ſuam exagitari legiſſet, cum in ſuum de Papyro librum animaduertiſſe [illegible], non aliter ſe à me pœnas exigere putauit, quam ſi me non eſſe Scaligerum probaret. Quod enim pater Scaliger non falſo ſe dici vellet, hinc ſequi [illegible], quod prius Burdonius vocatus fuerit. Quid fecit homo acutus? Finxit doctoratus literas, vt vocant, quibus ad gradum medicinæ in Academia Patauina pater meus promouerit. Exemplum illarum literarum habeo. in quibus eo anno ad gradum medicinæ promouetur & in

ea vt.

ea vrbe, in quam vnquam pedem poſuerit neſcio: certe ſibi fuit, non in tuto fuiſſe, mihi ſatis conſtat. Multa alia inepta in illis codicillis magiſterii ſunt, quæ aliquando refellemus. Exemplum illud à tenebrione inepto Roberto Titio publicatum, in ora omnia peruenit. Eorum perfidiam Antonius Riccobonus iuuit, qui Guillandino codicillos magiſterii dictauit. Nunc id Loiolitæ, qui nunquam verum ſolent dicere, exceperunt, atque hoc emblemate Amphitheatrum infamiæ ornarunt. Sed ſim Burdonius, quid tum poſtea? an propterea illi debent eſſe aſini? Sycophanticum illorum librum expecto. Memineris neque Lutherum neque Caluinum tot obtrectatores habuiſſe, quot in me ego excitaui. Cauſam expoſui. Vtinam vera eſſent. Ingenium habere me putant. Sed * * * impudentiores ſunt quam Pontificii. Literas quas Rittershuſio ſcribo, oro te vt reſtent tuto illi cures. Vale. Lugduni Batauorum, Calend. Ianu. Iuliani CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA CCCCXXIX.

IANO GRVTERO. Vidi Inſcriptionem Piſanam hodie aut heri natam. ſatis ingenioſe mentitus eſt, quiſquis eſt, qui Trans-Alpinos nullum naſum habere putauit. Multa enim περιεργήματα vidimus. non aliter pudorem illis imponere poſſumus, quam ſi demus operam, vt illi ſentiant nos non adeo Abderitanos eſſe, vt neſciamus quid diſtent æra lupinis. Spero me Inſcriptiones quaſdam optimas, nondum viſas, ex Prouincia adepturum. vt & correctiones earum, quas à me edidiſti, vbi multa perperam ab illis exſcripta qui illas mihi dederant. Infinitorum quoq; numiſmatum [illegible], Seleucidarum omnium, Dynaſtarum Tyri, Gazæ, Sidonis, Pontificum Haſmonæorum, ante proximas nundinas non adipiſce-

 mur-

tur. Itaq; oro te, vt ſemper indicem numiſmatum communicaſſes, quem quidem commodo tuo quoties facere potes, vt illum acceſſionibus quas mittemus tibi locupletare poſſis. In Inſcriptionibus pag. cccclxxxv. 5. legendum, *Lucar. libitinae redemptum*, quod me docuit is qui Bergomi lapidem *ipſum* conſuluit, a quo illa omnia, quae tum dixi, expecto. Tu, optime & doctiſſime vir, iuuare literas perge. Euſebii *mei* exemplar per Iudam noſtrum accipies. Mirum eſt, quum omnia noſtra ἐπιστημονικῶς a nobis demonſtrata ſint, neminem extitiſſe qui ad rationes noſtras Chronicon conſcriberet, praeter vnum Sethum Caluiſium Lipſienſem, qui id praeſtitit. Vt nullum hactenus prodierit quod eo nomine dignum eſſet praeter illud. Certe praeſtantiſſimum eſt opus. Neſcio quem habetis, qui monſtroſam parturit Chronologiam, & Berealdina ſomnia pene intermortua e ſterquilinio nunc excitat. Orationem eius non minus ridiculam quam ineptitam vidi, quam his diebus confutam; atque amico, qui eam mihi oſtenderat, elenchum ipſum vna cum oratione illa ſtramentitia dedi. Hoc genus hominum non minus literis pernicioſum eſt quam Loiolitae. alteri enim nihil aliud curant quam vt mendacia ſua obtrudant, alteri, vt veritatem euertant. Poſſunt ne euertere magis, quam cum Graecos & Latinos hiſtoricos nunquam vera ſcripſiſſe dicunt. Lege ambo quae de iſtis ſcarabeis, quos Prophetiſſeco, in Prolegomenis Canonum Iſagogicorum dixi. Illum, de quo loquor, quanquam iam primum de nomine notum, inter illos numera. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Cal. Quintilis Iuliani cIɔ Iɔc vi.

EPISTOLA CCCCXXX.

IANO GRVTERO. Iam tempus erat aut me tibi gratias agere de praeſtantiſſimo tuo *Tacito*, aut ingrati poſtu-

lari

ſari apud te, quod id facere hactenus diſtulerim. Sed ſero mihi à librario cui compingendum dederam redditum ſcias, per cuius negligentiam operam ei libro dare non licuit. Poſtquam accepi, tantam voluptatem ex tuo indice cœpi, vt nihil prius optem, quam Liuium & Salluſtium ad eundem modum à te exornatos prodire. Iam vero maximas tibi gratias tanti muneris ago. Male opus tuum à typographis exceptum eſſe, iure queri poteras, ſi hoc vni tibi contigiſſet. Sed quia hoc malum tibi cum aliis commune eſt, patienter ferenda tibi hæc iniuria eſt. Vt & nos, quum Euſebium noſtrum tot mendis deformatum meminimus, tam iniquo animo ferimus, ſi aliorum opera non cogitamus, quam conſolamur nos, quum idem aliis accidiſſe recordamur. Ideo ſecundam editionem cogito: cui exornandæ (præſtantiſſime & optime amicorum) non verebor implorare opem tuam, vt ſi quid in Bibliotheca Illuſtriſſimi Electoris à te animaduerſum ſit, quod ad ea, quæ iam à nobis edita ſunt, addi poſſit, id non pigeat nobis impertire. A Bibliotheca Regia maximum fragmentum *Ὀλυμπιονικῶν*, & Regum Sicyoniorum, Athenienſium, & Argiuorum, ex illo magno corpore Euſebii auulſum habui; cuius incremento non parum ornamenti editioni noſtræ acceſſit. Si quid ſimile in veſtra Bibliotheca opulentiſſima exſtat, quod aut ad Olympiadas, aut ad *ἄρχοντας* Athenienſium, aut denique ad argumentum Chronologicum pertinet, magnam non ſolum à me, ſed & à poſteritate gratiam inieris, ſi nobis illa non inuideris. quod conſecuturum me, non ſolum ex tuo in me amore, ſed & ex illo ſtudio, quo promouere literas non ceſſas, facile mihi perſuaſi. Habes veterem amicum noſtrum Meurſium, quo vti potes, vel indice, ad eruenda illa monumenta, vel ſocio, ad dignoſcendum, quæ vobis videbantur mihi vſui ad opus noſtrum locuple-

tandem. De illis vero Epigrammatis Græcis à Planude caſtratis, quantam ſaliuam nobis mouiſti: vel ex illis paucis, quæ ad me miſiſti, antiquiſſimis certe, *ſed non illius* Battiadæ, cuius Hymnos hodie habemus. *Multi* Callimachi fuerunt: quorum princeps Battiades, cuius character omnino alius à charactere horum Epigrammatum. quæ certe tanti facio, vt ex quo illa accepi (acceperam autem nudius tertius) nihil aliud in votis habeam, quam omnia illa adipiſci quæ à Planude caſtrata ſunt. Igitur per amicitiæ noſtræ ius te oro, vt vel quæ iam deſcripta habes, ad me mittas, quæ breui bona *fide* tibi reddentur, vel vt meis impenſis deſcribenda cures. Quicquid annotabimus, omne tecum communicabimus: ſed quid ſuper editione deliberandum ſit, meum iudicium tibi exponam. Hoc tantum fac, ne fruſtra à te hoc ſperauerim. Audiui non ſemel ex Franciſco Porto Cretenſi, optimo & eruditiſſimo ſene, ſe in manibus Nicolai Sophiani hominis Græci integrum *ἀνθολογίας* codicem ſummæ vetuſtatis vidiſſe: in quo omnia illa Epigrammata, quæ narras, extabant, quæ non dubium eſt, propter prætextata verba & obſcenitatem à Planude monacho damnata fuiſſe. Me ſane beatum prædicauero, ſi tanti beneficii compotem me feceris. Itaque oro, vt per mercatores poſt vernales nundinas ea ſi quidem tibi commodum eſt accipiam. Scripſiſſem Meurſio, *niſi* cõfiderem maius pondus commendationem tuam, quam meas literas habituram. Certe non dubito quin quædam deprehendi in ea Bibliotheca poſſint, quæ ſecundam Euſebii noſtri editionem, meliorem efficere poſſint. Pagellas, quas Vulcanio ſupplendo in Procopii corpore mihi ſuffectas fuiſſe, & gaudeo, & tibi gratias ago. Puto paruum elenchum noſtrum orationum Chronologicarum Parei his nundinis prodituum, &c. Vale. Lugduni Batauorum, IX. Calend. Martii Iuliani CIↃ IↃC VII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCXXXI.

IANO GRVTERO. Epigrammata Græca exoptatiſſima tandem tuo & Salmaſii beneficio accepimus. Ille operam deſcribendi contulit, tu fauoris tui aura vela illa inflaſti. Quare vtrique maximas gratias ago. Auctor ſum illi, ſi tibi videtur, vt integrum Anthologiæ volumen vna cum iis edat, quæ ex antiquo Palatino codice hauſit, reſectis illis, quæ propter verba prætextata ferre caſti oculi & aures non poſſunt: quæ quum ſint pauciſſima, non admodum magna eorum fuerit iactura. Sed quæ illi ſuper iſtis ſcripſimus, & quis de eis ſit animi mei ſenſus, ex ea, quam ad eum ſcripſi, epiſtola intelliges. Nam ſine te vllum de illis capi conſilium nefas eſſe duco. Non poſſum pagellas illi tuto, niſi ad proximas nundinas remittere. Iam video illum codicem eundem eſſe, quem Nic. Sophianus habebat. Nam præter alios codices inerat & integer Stephanus ἐθνικογράφος, cum toto K. & Λ. quæ hodie imperfecta circumferri non ignoras. Sed codicem Iſocratis idem Sophianus habebat, qui Panathenaicum tribus foliis auctiorem continebat quam qui hodie in manibus noſtris verſatur. Præſens aderat Henricus Stephanus. Impreſſum illi Panegyricum Sophianus oſtẽdit, locum, à quo abſunt illa folia, interpretari iubet. quẽ quum diligenter is perpendiſſet, palam, ſe non intelligere, profeſſus eſt, quum tamen antea ſuſpectus ipſi non fuiſſet. Poſtea, explicato codice Græco, indicauit quãtum in vulgatis editionibus deeſſet. An ille codex nunc in Bibliotheca extet, magni fecerim ſcire: &, ſi ita eſt, cum vulgatis conferre Salmaſius poterit; ne tibi homini in melioribus occupato tantum tædium deuorandum ſit. Aliquando ex ipſo Stephano audiui, propter hanc lacunam ſe editione Iſocratis deterritum fuiſſe: quam tamen poſtea cum interpretatione Latina excudit. Ibi Sophiano idem

nobilem & nomen & cognomen commune cum eo fuiſſe, qui Græciæ tabulam confecit, ne forte quis eundem pu-tant. Sceleſtiſſimum & mendaciorum refertiſſimum librum Schoppii habemus. Sequemur illum Sapientis, Secundum ſtultitiam ſuam ei reſpondeatur. Cardinalibus, quorum lances ille canis lambit, quomodo gratiam reponamus, deliberabimus, &c. Vale. Lugduni Batavorum. XII. Calend. Iunii Iulian. CIƆ IƆC VII.

An Græcam inſcriptionem nobiliſſimam nuper non longe Roma effoſſam videris, ſcire aveo. Eam noluit mihi mittere Caſaubonus, niſi prius commentario ſuo illuſtratam. Itaque eam avidiſſime exſpecto.

EPISTOLA CCCCXXXII.

IANO GRVTERO. Binas à te accepi, ex quo ad te ſcripſi. Allatæ vna ſchedæ Epigrammatum Græcorum. Leidenſe negotium eſt, cuiuſmodi monachorū omnia. Tamen propter hiſtoriam retinenda potius ſunt, quam amanda: neque quicquam horum ita a nobis aſpernandum, vt ad omnia nauſeare, neque tanti faciendum, vt iudicio carere videamur. Pluris fecerim Ioannem illum Grammaticum Gazenſem videre. Quamuis enim vehemens, & torrentis inſtar, *Spumantes nullo margine fundit aquas*, tamen propter dignitatem argumenti quod tractat hiſtoriæ gratiam merebit, quam à poeſi non potuit. quanquam ex eo ſpecimine, quod à Salmaſio noſtro accepi, melior & caſtigatior poeta Nonno videtur. Sed vt plenius de eo iudicetur, totum opus nobis legendum eſſet. Ideo oro te, vt quam primum ad nos mittatur. Fieri enim non-poteſt, quin multa notare poſſimus, quæ editionem eius operis meliorem & gratiorem concinnare poſſint. Vel-

lem

lem equidem in Anthologia Epigrammatum iuuare te, & iſta quæ in illo libro animaduerti olim, mittere. Sed ea in Gallia relicta ſunt: ſi modo relicta dici poſſunt, quæ omnino periiſſe iudico. Quod ni potem periiſſe, quæ neque memoria teneo, neque, ſi velim, fugitiua retrahere poſſum. Quod in alteris literis à me indicem Bibliothecæ Vaticanæ exigis, ſcito me illu ad tres horas tantum vſum. in quo ego nihil prorſus reperi niſi vulgaria omnia, præter tres aut quatuor mathematicos, quos in Bibliotheca veſtra & Regia exſtare ſcio. Reliqua eiuſmodi ſunt, vt te ignorare ea præſtet quam vnius horæ iacturam in illis legendis facere. Statim librum reddere coactus ſum. Erat enim auctio facienda. & ſtatim emtorem ſtultum reperit. Sed de Indice veſtræ Bibliothecæ iterum tibi antem vello. Vale. Lugduni Batauorum, die biſexti Iuliani cIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

IANO GRVTERO. Noli mirari breuitatem literarum mearum. Clariſſ. Bongarſius, prius pene diſceſſurus erat, quam veniſſe ego ſcirem. Sed propediem longiores ad te dabo. Indicem Bibliothecæ veſtræ Bonutio reddam. Occupatiſſimus hos dies fui in ſcripto, quod aduerſus Burdoniſtas adorno. Nomen non apponam, neq; meum qui ſcripſi, neq; eius, quem anonymum huius auctorem facio. Itaq; odorẽ huius rei ad quenquã emanare nolo, ne furcifer dignum ſe putet, qui *Aenea manu cadat*. Omnino opus fuit Buidones & Burdonios de gente Scaligera expungere. Scito me non accepiſſe Gazam Grammaticum vel poetam, quem ſe miſiſſe ad me Salmaſius noſter ſcripſit; cui me nõ poſſe nunc ſcribere tam doleo, quam neque longiores ad te dare. Sed hoc alias compenſabimus.

mus. Scribere enim malui, quum nihil haberem quod ſcriberem, quam nullas communi amico noſtro Bongarſio dare. Eum ad cœnam, cum clariſſ. Hippolyto à Collibus expecto. Cras autem ipſe Bongarſius ad vos cogitabat. Dominos Freherum & Lingelshemium, à me, ni piget, ſaluta. Vale. Lugd. Batauorum III. Eid. Iunii Iuliani CIↃ IↃC VIII. Raptim, quod lituræ indicant.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

IANO GRVTERO. Indicem Bibliothecæ veſtræ ſedulo legi. Locupletior eſt & meliorum librorum, quã Vaticana. Itaque voluptati fuit legiſſe. Remittam vero proximo autumno. Recuditur Satyra Heinſii, triente quã altera editione auctior. addita eſt Confutatio Burdonianæ fabulæ. Nullum mendacium facilius, felicius, magnificentius profligatum vnquam fuit. Simul proximis his nundinis prodibũt. Monſtrorum pater eſt hoc ſæculum. Nemo non vult haberi doctus, nemo tamen vel labro tenus bonas literas deguſtauit. Iuuentus noſtra, quæ ſtudiis Theologiæ dedicauit ſeſe, à Grammaticis ad μεταφυσικὰ ſtatim confert ſe: & in his vepretis totam ætatem abſumit. quo fit, vt neque bonarum literarum aliquem ſenſum habeat, neque verba ſacrorum librorum aſſequatur. Pudet me magni cuiuſdam viri, magnique in Theologicis nominis, qui ignorat, quæ puerum neſcire nefas eſſet. Ego totũ me literis dedidi, quum eæ vigerent, & maximi in illis florerent viri, quorum exemplo quiuis ad eas excitari poſſet. Nunc non mirum eſt, iuuentutem has artes contemnere ad quarum amorem nullius exemplo excitatur. Ego tamen, quem tam ingratum ſæculum à virtute deterrere poterat, non committam vt hoc exiguum vitæ quod mihi ſupereſt, in his ſtudiis non tranſigam,

Digitized by Google

giam, in quibus primam pueritiam exegi. Nulli tamen auctor fuerim, vt liberis ſuis plus temporis in literis ediſcendis indulgeat, quam quantum Latinæ linguæ percipiendæ ſatis eſt: vt inde ad aliud inſtitutum vitæ ſeſe conferant, quod melius audiat, & fructuoſius ſit, quam literarum ſtudium, quo hodie nihil deſpicatius, nihil inutilius. Quare quod quereris de hac huius æui inſania, non ſolum te hic tangit dolor; multos in eo ſocios habes. Sed propterea bonæ artes deſerendæ non ſunt, vt earum hoſtibus rem gratam faciamus. Impenſius colendæ ſunt, vt iſtis oculi doleant. Itaque noli queri de eo, in quo nullus proprius dolor tuus eſt, ſed communis cum bonis. De Cyclopibus vero ne manum quidem verterim. &c. Sed hodie omnia vulgi iudicio ſtantque caduntque. Si Iohannem Gazenſem mihi curaueris, magno me beneficio obſtrinxeris. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Eid. Iulii Iuliani cIɔ Iɔc VIII.

Epistola CCCCXXXV.

Friderico Tavbmanno, *ſuo Salut.* Literas tuas humaniſſimas Partholinus veſter mihi reddidit. Si, quoties memini tui, tot epiſtolas à me acciperes, non tam raras ſcriberem. Scribo autem, quum, cui recte dem meas, reperio. Iſtum igitur alumnum veſtrum ſine meis ad vos redire nolui. Prius ad te ſcripſi. Gratias quas potui de tuo Plauto egi. Quia illæ literæ bene curatæ ſunt, non dubito tibi redditas eſſe: nec quod ad illas adiiciam, habeo: niſi quotidie mihi in mentem venire honoris, quem mihi Plauti tui dono habuiſti. Cauendum, quantum video, tibi erit a nebulone neſcio quo Schoppio: quia enim ille, vt gloriolæ aliquid pariat ſibi, trimmouros illos, quibus Plautum tuum miſiſti, impudentiſſimis ſcriptis allatrare

inſtituit, non dubium eſt, quin te, qui illorum amicus es, cum cauſa noſtra coniungat. Reſpondebitur illi à duobus, qui ſuperſunt; quandoquidem à Lipſio, qui ad plures penetrauit, *nihil reſponderi* poteſt. Nos iſta literarum & virtutum carcinomata, vna cum Amphitheatro Burdonum de piſtrino Loiolæ plorare iubemus. neque tanti ſunt, vt noſtros ſomnos interpellent. Hic annus nobis Rhodomanum, Lipſium, & ſummæ ſpei adoleſcentem Eliam Putſchium abſtulit. Deus ſeruet reliquias: quarum princeps Iſaacus Caſaubonus: qui totus eſt in Polybio ſuo. Vale. Lugduni Batauorum, v. Eidib. Iunii Iulian. cIɔ Iɔc vi.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

FRIDERICO TAVBMANNO. Vltimas tuas literas ſero accepi. Alteras, de quibus mones, nullas accepi. Non enim meas deſideraſſes, aut vllũ officiũ meum, ſi prius accepiſſem. Præterea vnum tempus, & vna via tantũ eſt, qua aut ad vos literas dare, aut à vobis accipere poſſimus, hoc eſt, Nundinæ Francofordienſes: alias raro contingit; & ſi contingit, id in lucro deputamus. Te operam in Plauto emendando collocare, tibi gratulamur. quia ſcriptorem illum emendatum dare nõ cuiuſuis eſt, & cuius eſt, eius & magna laus eſt. Quare τεῦχε καὶ ἔρδε, ſed ſpero tibi *ἀμαλλὸ ἰσεσ χαλεπὸν τι εἶναι*. Et certe iamdudum tantus & tam priſcus Latinæ ſcenæ autor, aliquem, vt tu recte vocas, Ἡρακλέα deſiderat. Ego contextum ipſum purum, nullis in ora notis adpoſitis edi cuperem, vt vulgo fit: ſed quomodo recte olim vnicus Plauti Æſculapius popularis tuus Ioachimus Camerarius edidit; qui puro & emendato proximum nobis dedit, quæ non ſunt Plauti; qualia illa olim Amphitruoni infulta, prologus

prologus Bacchidum, & reliqua, non recentiores quidem, ſed ſequioris tamen æui, in priuatum locum conijci debent. Fragmenta præterea omnia, ſedulo ad calcem ponenda & illuſtranda. Hoc modo luculentum Plautum promittere potes. Et quanquam per te ſapere confido, hæc à me interea habe; tanquam ab optante, non à ſuadente. Vale, & nos ama. Lugd. Batauor. x. Cal. Septembr. Iuliani cIↄ Iↄ xcv.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

IOHANNI DE LAET ſuo S. Iam accepi quas ad me prid. Calend. Februar. Gregor. dediſti. Statim, quod facere ſoleo, reſcripſi. Nudiusſextus alias patri tuo dedi. Nihil illis addo, niſi vno verbo, quod pluribus à te contendi, vt Biblia illa, & nouum Teſtamentum Hibernicum, quod Thomſon promiſerat, mihi curétur. Quas tibi dederam ad Caſaubonum, ipſe nullas accepiſſe ſe conqueritur. Aut igitur illas ei mitte; aut, ſi in Galliam profectionem paras, ipſe deferto. Quas iterum à me ad eundem petis, quandoquidem ita voluiſti, parebo voluntati tuæ. Quid tibi negare poſſim, qui mihi nihil negaſti? De libris quos Lutetiæ parare decreuiſti, non poſſum melius dare conſilium, quã quod tu à Caſaubono ipſo ſperare potes. qui, qua humanitate eſt, in ea re operam ſuam libenter tibi pollicebitur. Tu, ſi nos amas, cito redi. Nam præter magnitudinem vrbis, & populi innumeram multitudinem, quid te capere poſſit, non video. Vaſtitatem illius Academiæ ita miraberis, vt aut ea cauſa eſſe nec debuerit cur Lutetiam inuiſeres: aut ea cauſa eſſe poſſit, cur tam cito deſeras. Vnus Caſaubonus te morari poſſit. Hoc excepto, habes cur Lugdunum Batauorum in media Lutetia requiras. Vale. xii. Cal. Martii Iuliani cIↄ Iↄc iv.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

IOHANNI DE LAET. Te Lutetiæ fuiſſe, non prius ſciui, quam, in Angliam ex Gallia iterum traieciſſe, amici nobis ſignificarunt. Acceſſerunt Caſauboni noſtri literæ, quas ab eo poſtremas accepi. Ex quibus intellexi, ei ægre fuiſſe, quod per properum diſceſſum tuum erepta ſibi occaſio eſſet, te explendi quod verbis tibi propter commendationem meam fuerat pollicitus, cuius fructum profectio tua tam feſtina eripuiſſet. Nihil tamen hinc deperiiſſe tibi, quia omni tempore ab illo exſpectare potes, quod primo aditu præſtare non potuit. Prolixe enim eo & præſens & per literas vteris, quoties tibi vſus operæ, gratiæ, aut eruditionis eius veniet. Cæterum, quum quamprimum te ad nos conuolaturum putarem, de eo deſperare cœpi, quum parentem tuum ad vos proficiſci videam: niſi forte ea gratia ſuſceperit hoc iter, vt te inde ad nos traducat. Thomſoni noſtro ſcribo, quem iamdudum in Hiſpania eſſe ſomniabam, hoc enim mihi literæ perſuaſerant, quas anno ad me dederat; tam calidas, vt vix putarem ante profectionem Hiſpanienſem meas accepturum, quam fruſtra eum adornaſſe, *ſero* tandem reſciui. De Bibliis iterum autem vellem, ſi poteſt ſuccedere. Sin autem, verbum non amplius addam. Tu quum animum rerum tranſmarinarum paueris ſpectaculo, vide, ne, vt λωτοφάγοι illi, iſtic conſeneſcas, & Batauiæ obliuiſcaris. Saltem, quum illarum rerum ſatias te ceperit, bona quædam huc fortuna te traducet; vt hic toto te in poſterum fruamur. Vale. Lugduni Batauorum. IV. Eid. Mai Iuliani ciɔ Iɔ CIV.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXXIX.

IOHANNI DE LAET. Non diu eſt quum ad te ſcripſi, & trium librorum nomine egi gratias; Catalogi Bibliothecæ nouæ, Lectionarii Illyrici, & hiſtrionici commentioli Lydiadæ motionis mirifici: quo nullus imperitior & confidentior ad literas has tractandas ſeſe contulit. Tribus verbis eius ſomnia in Prolegomenis canonum Iſagogicorum traducemus. Sed illis prioribus, quas ad te ſcripſi, ſummopere à te contendebam, vt de hoc Satyro diligenter inquireres, quid hominis ſit, quam artem promittat: an in vitæ genere eandem quam in ſcribendo ſtultitiam profiteatur. Itaque iterum obſecro te, vt deſiderium meum expleas. Idem à Thomſone in literis petiui quas vna cum iis coniunxi quas ad te miſi. Ex quo tempore Chronologica tamdiu ignorata publicauimus, nemo extitit, qui aut horam lectioni librorum noſtrorum impendere, aut rationes noſtras probare voluerit. Vnus tandem, qui inſtar omnium erit, accuratiſſimus & harum literarũ peritiſſimus Sethus Caluiſius, Germanus, nuper eruditiſſimum & conſummatiſſimum Chronicon edidit, quod totum rationum noſtrarum inſiſtit monimentis: opus heroicum, & quo oculi ſimiolis noſtris dolebunt, illi mulo Anglico præſertim, qui quum ſit per omnia ſimius noſter, tamen omnes rationes noſtras, quæ demonſtrationibus nituntur, euertere voluit. Illud Chronicon Caluiſii, ab ipſo auctore ad nos miſſum eſt, nam ad nundinas illuc perferri non potuit, quod ineuntibus illis tantum in lucem prodiit. Eſt opus æternitate dignum. Caphiam Arabicam habeo; eandem quam deſignas. Gaudeo non ſolum, Saluianum tibi placuiſſe, ſed & iudicium noſtrum de illo, voluptate illa quam in eius lectione percepiſti, comprobatũ fuiſſe. De Bacaudis in Euſebianis ampliſſime diximus. De Doſitheo, verum eſt,

illud

illud ex III. libr. Macchabæorum. non videtur tamen idem. neque profecto eſt. Ineptis Iudæis de tempore eius non conſtat, ſiquidem is eſt quem Duſtai vocant: eumque aiunt, à Sennacheribo Rege, Cuthæis ad docendum eos legem, eſſe miſſum. quæ ſunt aſinina. Eum fuiſſe filium Iannæi cuiuſdam dicunt. Sed quis Iudæorum ἀναχρονισμοὺς καὶ αὐτοσχεδιασμοὺς neſcit? Literas tuas & reſponſum à Thomſone expecto. Spes eſt, te Euſebium meum ante primam ciconiam viſurum. inter primos habebis. Certus eſto, amicitiam tuam plurimi me facere. Vale. Lugduni Batauorum. Non. Nouemb. Iuliani cIↃ IↃC V.

EPISTOLA CCCCXL.

IOHANNI DE LAET. Ad binas poſtremas, quas ad te ſcripſi, reſponſum exſpecto. Quærebam ex te, quis eſſet iſte inſignis nugator, Thomas Lydiad. quod ſi neſcis, id vt ab aliis ſciſciteris, magnopere à te contendebam. Eſt longe imperitior quam credi poſſit. & ſane portentoſa eſt in eo non nimis inſcitia quam confidentia. Tribus verbis, vt poſtremo ad te ſcripſi, illius vitam hominis retundam. Thomſon ſcribit, ſibi ignotum eſſe. Ego iſtis, quas ad illum ſcribo, & vna cum tuis ad te mitto, oro eum, vt diligentius de illo, quod poterit, expiſcetur. Nam intereſt, me eius & ſtudium, & ætatem, & domicilium non ignorare. Mirum vero, Thomſoni, homini Anglo, ignotum eſſe: quum tamen omnibus nundinis de eius ſterquilinio aliquid prodeat. Nihil mihi gratius facere poteris, quam, ſi id de homine hoc, quod peto, ex te intellexero: aut vt à Thomſone ſaltem literas elicias, quæ omnem hanc ſolicitudinem mihi adimant. Præterea de hac inhumana, inuſitata, & Cerberea cõſpiratione Thomæ Perſi quid actum ſit, quis illi auctor fuerit tantæ crudelitatis

delitatis audendæ, quibus præſidiis, qua & quorum fide fretus, hoc facinus animum induxerit, vt ordine mihi exponas, etiam atque etiam oro. Certe, homo priuatus, niſi magni alicuius conſilio aut pollicitationibus motus, tam arduum facinus inſtituere non potuit. Id ex te ſcire aueo. Meus Euſebius grauiter procedit. niſi aliquod vitium interuenerit, proximo menſe Martio claſtra perfungere poterit. Vale. xi. Cal. Decemb. Iuliani cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA CCCCLXI.

IOHANNI DE LAET. Tuas vna cum Actis conſpirationis nefandæ accepi, quo nomine gratias ago. Sed illa Acta, quæ Belgice à te miſſa ſunt antecedenti die Latine concepta legi. Non poteſt mihi perſuaderi, homines priuatos tantum ſceleris ſuſcepiſſe, ſi maiorum gentium autorem non haberent, cuius hortatu moti, hoc deſignare auſi ſunt, & cuius freti opibus ad exſequendum ſeſe compararint. Sed prudenter auctores celari Reipublicæ intereſt. neque dubito, quin omnia ſuo tempore tuto tandem vulgari poſſint. De Paradiſo quod quæris, abunde lib. v. De Emend. Temporum diximus. Idem ſitus plane hodie eſt, qui à Moſe deſcribitur, ſine vlla mutatione. Primus, qui feliciter *τοῦτο ἐσχεδίασεν*, is eſt Iohannes Caluinus. Primus, qui vas ſincerum incruſtare auſus eſt, Matthæus Beroaldus, multos hoc æuo qui eius deliria ſequerentur habuit. in quibus quidã Anglus, Lydiado meo ſimillimus inſulſam & ridiculam apud Raphelengium Paradiſi deſignationem excudi curauit. Nos, quid [illegible], quid פישון ſit, expoſuimus. Et ſane, qui mediocriter aliqua Coſmographiæ aura afflatus fuerit, in verbis Moſis nunquam hæſitabit, ſi modo aliquod adhibuerit iudicium. Plane, vt dixi, is eſt hodie eorum fluminum ſitus qui

quia à Moſe deſcribitur. Anſam tam ſtupidæ dubitationis modus loquendi apud Moſem dedit, *Et flumen exibat.* B eſt fons Euphratis. C Tigris caput. D Phiſon cadens in Per-



ſicum ſinum. E Gihon eodem ſinu exceptus. A eſt flexura fluuii Euphratis, poſtquam excepit Tigrim. Illa flexura à Ptolemæo dicitur καμπὴ τῷ ζεῦξ, quæ pluſquam vnius diei itinere in occidentem recedit, adeo vt, qui intra punctum A fuerit, principium vnius fluuii eſſe putet, qui in quatuor capita diuidatur B. C. D. E. Vide omnino quæ in v. lib. noſtri Operis notamus. Narro tibi, me hominem ineptiorem Lydiado non vidiſſe. Lectori candido pauca illa placebunt, quæ inſulſitatem eius proferentur. Nunquam plus voluptatis quam in lectione illius ſtercorei libri me cepiſſe memini. Gaudeo, Thomſonem in Cenonas Zonaræ incidiſſe, quos miſſurum ſe promittit. Simulac accepero, patri tuo nummos ſoluam. Vale. Lugd. Bat. Cal. Ianuarii Iulianis cIↃ IↃC VI. Mitto ad te verſus in Amphitheatrum Satanicum. Quæſo te, vt illos etiam Thomſoni noſtro impertias.

In Amphitheatrum ſceleſtiſſimum Paganorum Sycophantarum.

LEgibus infamis gladiator habetur, & omnis
Cui titulum inuiſæ laudis arena dedit.

Gen

Gens infeſta bonis, placidæque inimica quieti,
Sueta pium probris ſollicitare genus,
Qui ſcriptis homines iugulas, cui ſtricta licenter
Inuadit ſummos improba penna viros;
Videris an ſperare æquum tibi præmia. ſi quem
Illaudata ferent amphitheatra tibi,
Non alius merito tibi debitus eſſe videtur,
Quam locus infamis quem tibi præſtet, HONOS.

Item:

Amphitheatrali qui ſe dignatur honore,
Amphitheatrali dignus & ipſe nota eſt.

Item:

Patibulum arenaque ambo ſunt infamia,
Ambo nocentum deſtinata cædibus.
Si fas HONORIS *eſt* ARENAM *dicere,*
Et fas HONORIS PATIBVLVM *ſit dicere.*

Item:

In hac arena lancinandos beſtiis
Nos Chriſtianos pædagogus obiicit.
Si Chriſtiani beſtiarii ſumus,
Qui Chriſtianos lancinant ſunt beſtiæ.

De ſtultis & inſipidis verſibus, barbariſmis, ac mira Latinitate, Amphitheatri.

Qui ſpurca gente prodis circulatricis,
Qui barbariſmos legeris & ſolœciſmos,
Nolite id, aut id aut vtrumque mirari.
Non probra poſſunt ſcribere, aut malos verſus,
Niſi peſſimi hominum, peſſimi poetarum.

Item:

Amphitheatrali Socii gens digna triumpho
Non plus doctrinæ quam probitatis habet.

In fabulam Melchioris Guillandini de Burdonio.

Patris equi Burdo genitor eſt, & matris aſella,
Confuſum ſpurio ſemen adulterio.

Gentem ex Marrana mixtam, Chriſtumq; profeſſa.
Burdonis ratio dicere nulla vetat.
Hoc pacto neque ego Burdonius eſſe recuſem,
Si modo Burdonum cædere terga datur.

Item:

Non eſſe poſſum burdo, non Burdonius.
Tam dedecet me nomen hoc Burdonii,
Quam Loiolitis apta burdonum nota eſt.
Sed ſi hoc ſit aut id eligendum, maluim
Burdonius quam Burdo. nam burdonii eſt
Inferre dorſis flagra, burdonum pati.
Præſtantiorem huic adde virtutem alteram:
Vt agaſo aſellis omnibus, burdonius
Sic præſtat vnus omnibus burdonibus.

Item:

Quod Guillandini nebulonis plaſma ſecutus
Affingis generi nomina vana meo,
Quid tibi falſa foris emendicare neceſſe eſt?
Naſcuntur Sociis omnia falſa domi.

Item:

Quid falſa mirum nunc volentes proloqui
Qui vera nequeunt vel volentes dicere?

Item:

Quæcunque fieri iura Naturæ vetant,
In alta terram tendere, ignem in infima,
Tunc poſſe fieri, tunc futura credimus,
Quum Loiolitam vera contingit loqui.

Item:

Perperam contra verum, Loiolitæ, proloqui,
Flos Falernian vaſe putri triſti aceto vertitur.
Veritas more veſtro mutat in mendacium.

Item:

Quis Lapponenſis ſcenæ miracula iactant,
Multaque in Europa non merituræ fidem.

Xaue-

Xaueriticuſpidas & Lapponenſia vincent
Dramata, ſi poſſent dicere vera ſemel.

Melchior Guillandinus, poſtremus nebulonum, à porco profeſſore Patauino adiutus, vt, quæ Ioſephus Scaliger in ſuo Feſto in Guillandinum dixerat, vlciſceretur, fabulam de Burdonio in Academia Patauina in Doctorem Medicinæ promoto finxit, quia legerat apud Lylium Gregorium Gyraldum, Iulium Cæſarem, prius Burdonium, deinde Scaligerum fuiſſe dictum. Ex eo barbarus ſemi-Moſchouita, adiuuante Antonio Riccobono, acute collegit, falſo dici Scaligerú, qui prius dictus fuerit Burdonius. Hoc plaſma adeo ventilauit, vt primum à tenebrionibus quibuſdam, deinde à ſycophantis paganis in Amphitheatro per præconem beſtiis lacerandum obiectum ſit. At nunquá ille Burdonius, ſed Iulius à Burden, & Tonſus à Burden dictus fuit. cuius non ipſe, ſed Michael, patruelis eius, Bonifacii filius, erat dominus. Tam acumen quam veracitas Loioliitarum hinc colligitur. Ex hoc plaſmate horridior Amphitheatro liber inſtructus eſt, qui proximis nundinis proditurus eſt.

Suidas Κέρκωπες.

Ψεῦσται, ἠπεροπῆες, ἀτάσθαλα τ' ἐργάζοντες.
Ἐξαπατητῆρες· πολλὴν δ' ἐπὶ γαῖαν ἰόντες,
Ἀνθρώπους ἀπάτασκον, ἀλώμενοι ἤματα πάντα.

EPISTOLA CCCCXLII.

IOHANNI DE LAET. Poſtquam tuas accepi literas, ſcito, nihil mihi antiquius eſſe, quam vt illis ſtatim reſpondeam. Itaq; quum ad poſtremas tuas & Thomſonis noſtri reſpondiſſem, eas Patri tuo dedi. Si eas nondum accepiſti, ſaltem vna cum iſtis accipies. Et ſane diu eſt quum eas ſcripſi. Eodem enim die, quo tuas accepi, illæ datæ ſunt. Noli putare, me priuatum aliquod ſcriptum

in phreneticum Lydiadis librum editorum: non enim, aut tantum nobis otii ſupereſt, aut tam exiſtimationis noſtræ negligentes ſumus. Sed obiter quædam obſeruabimus, quibus miſellus ille & famelicus ſcriptor, ſuo ſe gladio iugulat quæ non minus faſtidio & voluptati lectoribus quam ipſi ignominiæ erunt. Ne vnum quidem comma in illa farragine eſt quod ineptiſſimum non ſit. Tecum de libro Eccleſiæ Anglicanæ ſentio, tamdiu dum illum habeo & multa ex eo didici quæ neſcire nollem. Locũ Marci ante multos annos amicis & expoſui & probaui. Vetuſtiſſima menda illum occupauit, quam nemo odoratus eſt, quum tamen lectio vulgaris ineptiſſima ſit. Nam quid eſt ἁλίζειν πυρί? Scio veterum & recentiorum ſuper illo portentoſo genere loquendi ſententias. Melius tacuiſſent. Quod Matthæi 5, 13, Lucæ 14, 34, Dominus dicit diſcipulis ſuis, *Vos eſtis ſal mundi, aut terræ*, non exponitur cauſa quare id dictum ſit. At Marcus prius propoſuit ea verba, ex quibus infertur, Apoſtolos eſſe ſal mundi. Verba enim illa ſunt ex 11. Leuitici: *Omne holocauſtum ſale ſalietur.* Ait igitur Dominus: *Scitis, ſcriptum eſſe:* OMNE IGNIARIVM SACRIFICIVM SALIETVR: item, OMNE HOLOCAVSTVM SALE SALIETVR. *Ex quo rurſum ſal putatis eſſe illud? Vos eſtis ipſum ſal. Vos eſtis ſal terræ.* Ita igitur ſcripſit Euangeliſta: Πᾶσα πυρὰ ἁλὶ ἁλισθήσεται, καὶ Πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Vtrumque teſtimonium, vt dixi, ex 2 Leuitici, in quo אשה feliciſſime ab Euangeliſtâ redditum eſt πυρά. Nam, vt ſcis, אשה eſt πῦρ, quaſi dicas, ignitariam oblationem. At inepti homines, qui hunc locum deprauarunt, hoc comma cum ſuperiore coniungere voluerunt, in quo πυρὸς ſit mentio. &, quum, quid eſſet πυρά, non intelligerent, πυρὶ legerunt. & , quia putarunt, duo illa commata vnum tantum eſſe, γὰρ, vt vinculum vtriuſque commatis eſſet, intulerunt. Quam recte autem, te ipſum iudicem fero. Nam, quid habent commune, τὸ πῦρ & ἁλί-

ζειν?

[illegible] *Quid eſt ſal regni? Vbi eorum ignis non extinguitur; nam omnis ſalietur igni.* Pulchrum commentum! Hæc eſt vera huius loci interpretatio; quem, vt dixi, fœdiſſima menda ab incunabulis vſque ipſius Chriſtianiſmi inuaſit. Sunt & alia paſſim in textum Euangelicum ab vltima vetuſtate vitia admiſſa, quæ nemo præter me indicauerit. Et hoc, quod iam aperuimus, præcipuum eſt ex omnibus. Docti viri, quibus iamdudum hoc oſtendimus, multum laudarunt, vicli vero & maligni quidam theologaſtri, qui ſe nihil ignorare putant, multum obtrectati ſunt. Tu vero caue ab huiuſmodi prophetis. Nam, qui aliquo ſenſu communi præditus eſt, non poteſt non laudare ſententiam noſtram. Nihil enim verius eſſe poteſt. De illo Lipſiomaſtige Scoto, oro te, vt quamprimum eius librum videam. Poſtremis verſiculi in Onanitarum Amphitheatrum additi erant. Abunde mihi ſatisfactum putabo ſi tibi placuerint. Eorum vſuram Thomſoni noſtro noli inuidere. Ad Thomſonem poſtremis illis ſcripſi, vt tibi τὰ τοῦ Ζωναρᾶ εἰς τοὺς κανόνας ἀποστολικοὺς tradat. Scripſit enim mihi, ſe nactum fuiſſe. Ego precium patri tuo ſtatim numerabo. Vale. Lugduni Batauorum, x. Kal. Febr. Iuliani CIↃ IↃC VI.

Epiſtola CCCCXLIII.

IOANNI DE LAET. Quum tuas accepi, amicorum cariſſime, iam menſem integrum cum languore mihi res erat, qui hoc anno morbus eſt multis ſenibus familiaris. Sentio tamen, malum remittere; neque tantam ἀνορεξίαν, quantam antea, experior, qui fere menſem integrum nihil edi: cuius languoris tanta vis fuit, vt omnia, quæ corpuſculo recreando facere poſſent, faſtidierim. Sed Deum Opt. Max. miſertum eſt mei, cuius benignitate me-

[illegible]ſcule habere cœpi. Ægre tamen pauca hæc, propter imbecillitatem ex longa inedia cõtractam ad te ſcripſi. De libro Georgii Thomſoni gratias ago. Mitius illi cum Lipſio agendum, & alia via cum illo congrediendum fuit. Nam petulantiam illam & gladiatoriam violentiam non laudo. Non enim tanquam vindex veritatis, vt ipſe profitetur, ſed tanquam vltor offenſæ alicuius, eo coagit. quum tamen ab eo nunquam ne verbulo quidem vllo læſus aut perſtrictus fuerit. Sed huius ſeculi eiuſmodi ingenia ſunt. nihil ſcribunt ſine contumelia. In quo genere Loiolitæ familiam ducunt. Sed ſi illi palam conuiciolum genus ſcribendi profitentur, hominibus tamen modeſtis, & qui aliam religionem profitentur, eorum balonum exemplum ſequendum non eſt, præſertim aduerſus eos à quibus iniuriam non acceperint, & quos amice caſtigare quam ſine cauſa contumelioſe accipere, glorioſius eſt. Sed manus deficit. Vale. Lugduni Batauorum, IV. Non. Martii Iuliani CIƆ IƆCVI. Quid de Loiolitis in carcerem coniectis fiat, quamprimum poteris, certiores nos fac.

EPISTOLA CCCCXLIV.

IOHANNI DE LAET. Libellum Nicolai de Clemangis, item de Sophiſticis Ieſuitarum reſponſis, vna cum literis tuis accepi. quo nomine & gratias tibi ago. Notiſſimus ille iuuenis, & multarum bonarum rerum peritiſſimus, qui mihi tuas reddidit, vna & quas à Ioh. Boſwelo accepi, attulit, qui hodie Regi eſt cariſſimus, & prandenti ac cœnanti ſemper ad menſam aſſiſtere ſolet. Oro te, vt literas hic incluſas, quas ad illum mitto, [illegible] cures [illegible] atque migrans eſt, eius literas, quas ad me [illegible] detulerit, [illegible] te illi ſignifices, neque [illegible] quam

quam, & citius quam tibi, eas poſſe dari. Vna Euſebium noſtrum accipe, quem tibi calentem è fornace mitto. Nunquam putaſſem, ad tantam molem peruenturum. Poſtquã acceperis, vno verbo te accepiſſe ſignifica. Walafridus Strabo mihi pernecеſſarius eſt. Sed, quia ingens volumen eſſe dicis, ſi quidem bona conditione emere poſſim, cum parare mihi poteris. Ego Patri tuo, poſtquã ſignificaueris quanti indicatus fuerit, ſtatim precium refundam. Diu eſt, quum auctorem illum fruſtra quæro. Ἀντιλήψεις in priore ad Corinthios recte *opitulationes* Latina vetus interpretatio vertit. quanquam ἀντελάβετο male vertit *ſuſcepit*, Luc. 1. 54. eſt enim quod Hebræis תמך, *lapſum manu apprehenſa ſubleuare*. Δώρημά τι φῶς dabatur τοῖς ἐν σταδίῳ νικήσασιν, auctore veteri Scholiaſte in Apocalypſin. Ἐπιούσιος ἄρτος elegantiſſime formatum ἀπὸ τῆς ἐπιούσης ἡμέρας. non, vt maior pars veterũ & recentiorum, ἀπὸ τῆς οὐσίας. quod eſt ineptiſſimum. Tunc enim dicendum fuiſſet ἐπούσιον, non ἐπιούσιον. Igitur ἄρτος ἐπιούσιος eſt, quod Hebraiſmus multis verbis circumlocutus eſt, לחם חקנו דבר יום ביומו, ἄρτον τὸν μέτρον ἡμέτερον τὸν καθ' ἡμέραν. Omnino bene quotidianum vetus interpres vertit. Et Galli noſtri dicerent, *du iour au l'endemain*, דבר יום ביומו. nam ἡ ἐπιοῦσα eſt craſtina dies. Itaque Dominus, qui de Gratia Dei deſperare nos vetat, vt ne craſtina quidem curemus, panem in diem hodiernum ab ipſomet Deo petere nos iubet. Miror, doctiſſimum Bezam ab ἐπὶ & οὐσία deduxiſſe, & tamen *quotidianum*, vt vetus interpres, vertiſſe: quæ ſunt pugnantia. Edictum Regium de crabronibus omnibus ex Britannia exigendis, accepi. Vtinam hoc aliquando in Gallia contingat. ſaltem vt ea leuitate in Morboniam ablegentur Loiolitæ qua in Galliam reſtituti ſunt. Vale Lugduni Batauorum v. Non. Quintil. Iuliani cIↄ Iↄc vi.

Alphabeta illa, quæ miſiſti, ineptiſſima hominum impe-

peritorum commenta ſunt. Ea primus Ambroſius Theſeus Papienſis edidit, ab eo nuper Angelus Rocca Auguſtinianus in libro de Bibliotheca Vaticana in librum ſuum exſcripſit. Qui hæc non ſentiunt ab otioſis conficta, nihil in literis vident. Veteres Iudæi, ac poſt eos Chriſtiani, ſomniant, Eſdram, & legem & literas has, quibus Iudæi hodie vtuntur, tradidiſſe. legem quidem, quæ antea perierat, memoriter reſtituiſſe, & literis prodidiſſe; literas autem commentum fuiſſe. Quia hæc ſunt otioſiora quam vt refelli mereantur, ideo nulla faciemus. Iterum vale.

EPISTOLA CCCCXLV.

IOHANNI DE LAET. Si te vxoris tuæ obitus conſternauit, ſcito me non minus dolore tuo conſternatum fuiſſe. Sed quam tibi conſolationem à ſapientia tua petiueris, ea ego ex imitatione tui vtar. Quare æquo animo feramus quicquid accidit, cum ſciamus nihil niſi iuſſu Dei fieri. De relinquenda vero Anglia conſilium tuum laudo. Mihi, quod quidem commodo tuo fiat, nihil carius eſt, quam te hic videre: imo, ne quid diſſimulem, malo hic, quam illic te eſſe. Nolo enim ignorare te, poſtquam diſceſſiſti, nullum mihi iucundum diem illuxiſſe. Reditu tuo, puto, ac ſpero, omnes lætitias mihi reſtitutum iri. De literis quas ad me Middelburgo miſiſti, gratias ago. Eæ erant ab ampliſſimo curiæ Rotomagenſis Præſide. Gratum nobis feceris, ſi quid ex Thomſone literarum elicere poteris, vt de Euſebio meo eius aut aliorum ſententias intelligam. De lemmatibus pſalmorum dubitare noli, vulgaria cantica eſſe, ad quorum modulationem pſalmus, cui titulus ille aut ille præpoſitus eſt, canebatur. Et iam hoc à vetuſtiſſimis Iudæis notatum eſt. De Proſperi opuſculis, noli obliuiſci. Ego ſtatim nummos refundam. Vale.

Digitized by Google

Vale. Lugduni Batauorum VIII. Calend. Octobr. Iuliani cIↄ Iↄc VI.

Epiſtola CCCCXLVI.

Iohanni De Laet. Acceptis iucundiſſimis literis tuis, nihil prius habui quam ad illas reſpondere; quanquam occupatiſſimus eram. Libro enim ſceleſtiſſimo τ̃ [illegible] illius Scioppii operam dabam, quo nullum ſcriptum exſecrabilius poſt natos homines prodiit. Nam præter conuicia, quibus & meretrices puderet vti, incredibile, quot, quantas calumnias, quas ſtrophas ſycophantiarum furcifer ille conuolauerit. vt eum multos auctores ea tantum de cauſa legiſſe putem, vt ex illis omnem fæcem contumeliarum hauriret quam in me effunderet. Miſeret me horarum, quas in tam nefando opere perdere neceſſe eſt. Conuicia nunquam illi, quæ reſeruet ſibi. Locos tantum quibus agit de Burdonio perſtringam: quæ refellere, ipſum opus eſt euertere. Puto, pluſquam quinquaginta ei ad illam farraginem operas contribuiſſe. Etiam Antvverpiæ cenſuræ quædam, auctore Martino delRio, inuidentiſſimo monſtro, καὶ ζηλοτυπωτάτῳ in me cuduntur. Te ſaluum iſtuc appuliſſe, gaudeo. Me ſcito commoda valetudine vti, benignitate Dei. De Proſpero gratias ago. Viri pereruditi Iohannis Rainoldi exceſſum ignoraui hactenus: qui magna, vt tu quidem ais, Anglicanæ Eccleſiæ, vt ego iudico, omnium Eccleſiarum, iactura contigit. Quanti ego doctrinam eius fecerim, non ſemel ex me audire potuiſti: & certe, vicem potius noſtram, quam illius, doleo, qui ad portum quietis delatus, nos in tempeſtatibus reliquit; quas euadere facile eſſet, ſi illis lectiſſimis plantis exciſis, aliæ meliores, aut certe non deteriores, ſuccreſcerent. Cambdenum, opti-

amicum & doctiſſimum virum, nondum vidiſſe te, vt illum meo ſalutares nomine, dolerem, niſi quorũ hæc ſcribebam, te id feciſſe crederem. Quotieſcumque iudicium meum de illius eruditione videbis, & amorem erga ipſum, aperies; & omnem operam meam, vbi vſus illi fuerit, prolixe verbis meis illi promittes. Quantos in eius Britanniç editione progreſſus fecerint typographi, fac vt ſciam: & an propediem exſpectare eam debeamus. Quantum ægrotarit Buzenuallius, ex eo ſcire potes, quod in ſalus eius deſperata fuerit vt teſtamentum facere compulſus ſit. Nunc meliuſculus eſt, ita tamen, vt propior ægroto ſit quam valenti. Quantum iudicare ipſe & collegæ eius poſſunt, tota æſtas in legatione hac teretur. nam prius qui in Galliam mittantur legendi ſunt: deinde reditus eorum exſpectandus. Magnæ moratum ambages. & ſane, magnæ molitionis negotium eſt. Inducias, ab Ordinibus ſe inconſulto pactas, Rex Chriſtianiſſimus expoſtulauit; ne forte & Regi magnæ Britanniæ diſpliciuiſſe factum mireris. Pacem quidem plebs auide expoſcit. Quam ſapientes minime his regionibus conducere arbitrantur. & recte iudicant. Atq; equidem in illorum ſententiam pedibus diſcedo, qui nunquam aliter de pace ſenſi. Sed nulla fiet, quantum iudico. Vale. Lugd. Batav. Idib. Iunii Iuliani cIↃ IↃC VII. De effigie Garneti fac memineris.

EPISTOLA CCCCXLVII.

N. N. *ſuo*. *S.* Binas à te accepi literas. Priores iniuſtiſſimæ querelæ plenas: poſteriores aliquam animi moderationem præferebant. Ad priores quid reſpondebo tibi quod non magis te offendat quam poſtremæ meæ? qui quum te pro amore meo in te, pro ætate illius, & vſu rerum, quo te antecο, niſi inepte id diſſimulare velim,

velim, amice monuerim: tamē iniuriam feciſſe tibi videor, quod te officii monuerim, adeo vt id quod Græci νουθεσίαν appellant, atrocitatem tu vocare auſus ſis. Epiſtolam meam alicui oſtende qui aliquem & bonarum literarum & humanitatis ſenſum habet. Is ſi aliquid atrocitatis à me in te dictum eſſe dicat, ac non potius, eam eſſe libertatem quæ amicis citra vllam offenſionem conceſſa eſt; cauſam non dico, quin & tu viceris, & ego dignus ſim qui vapulem. Sin autem (quod quidem verum eſt) tātum abeſt vt vllam tibi fecerim iniuriam, vt potius magnam à te inire gratiam eo nomine debuerim. Effugere, mi *** non potes, quin & tuarum partium, & meę dignitatis, & amicitiæ oblitus ſis. Quare ſi illa tibi diſplicent quæ ego in vtilitatem tuam tibi dixi, age, ne illis vtitor, modo incolumi amicitia & ſaluo humanitatis iure omnia facias. Nam per me quidem, quidquid ſuggeſſerit voluntas, facere, dicere, aut ſcribere tibi licet. Vtitor iure tuo. Verbum non amplius addam. Poſterioribus literis obiurgationem vocas quod atrocitatem antea vocabas. quare bene mecum agitur, quod atrocitatem illam, leniore verbo molliuiſti. Nam obiurgatio, loco & tempore facta, iuſte reprehenſionem incurrere non poteſt; offenſionem fortaſſe poteſt. apud illos præſertim, qui errores ſuos diſſimulari malint quam tolli. Quid prętereà? *** mihi dedicaſti. quo nomine & egi & porro tibi gratias ago. Noluiſſem factũ, propter maledicorum huius ſæculi virulentiam, qui, ſi benefeceris, tantum honorem habitum mihi inuidebunt; cui inuidię vereor ne par eſſe poſſim: ſin autem male, non eſt dubium, quin in me potius hæc faba quam in te cudatur. Sed quia aliter fieri non poteſt, & iam abſolutus eſt liber, age ſub nomine tuo prodeat, vt tibi, quandoquidem ita voluiſti, in perpetuum deuinctus ſim. Cæterum, in poſterum memineris, quidquid huius à me factum eſt, in commune bono

mo-

moderationem ſequutum, vt, quum tuæ vtilitatis rationem haberem, amicitiæ non obliuiſcerer. Id ſi tu aliter interpretaris, amicitiæ noſtræ, dicam iterum, iniuriam facis. Quare hæc in perpetuum ſepiuntor. Quod ſcribis de * * *, amo te, atque oro, vt per nautas veſtros ea ad me deferantur: & videas, vt probo homini, cuius tibi ſpectata ſit fides, tradatur; non ſolum propter ipſum librum, qui cariſſimus mihi eſt; ſed & ob nummos quos illi quanti tu mihi ſcripſeris indicatum fuiſſe tradam. Quum igitur trades illum, vna ad me precium ſcribatur, vt nautæ refundam. nam tradi tabellario, tum propter molem, tum propter latutæ pretium non debet; quod ſine dubio immane eſſet, ſi per illum ad me deferretur. Tu pro tua prudentia omnia adminiſtrabis. Vale. Lugd. Batauorum, VIII. Eid. Auguſti Iuliani cIↄ Iↄc III.

Luctor nunc cum typographis pro Euſebio meo. Omnes negotium libenter ſuſcipere volunt, nec detrectant: ſed occupationes excuſant. adeo vt opus fuerit, Academiæ Curatores auctoritatem ſuam interponere. vnde ſpes affulget, poſſe lenitudinem eorum & veternum excitari. Iterum vale.

Epiſtola CCCCXLVIII.

N. N. S. Quæritur quid ſit apud Galenum περὶ τὰ χήραμ[illegible] πνεύματα λέγει. An enim, ſi capax ὁ θώραξ fuerit, hoc non ſolum τοὺς ἀνθρώπους μεγαλοφώνους efficere, ſed etiam πολλὴν φωνὴν δυναμένους, ὥσπερ οἱ κήρυκες ὅταν [illegible] λέγωσι. Sed & quando hoc fiat, alibi non obſcure deſignat, quamuis τὸ πόθεν καλεῖσθαι nomine non expreſſo, quum ait, ὅταν μέλλωσιν αἴρειν τὸ φθέγμα, [illegible]. Certe præcones nunquam maiore vocis contentione vtuntur, neque magis [illegible], ſut τὸ

φθέγμα

φθέγμα μέγιστον, quam cum animos eorum ſilentio præparant, quod *facere audientiam* Latini dicunt. Quando vero μέγιστον τὸ φθέγμα dicunt ἄκουε πᾶς, vel ἄκουε λεώς. Sed ἄκουε πᾶς eſt vſitatius, quæ eſt διποδία ſiue πούς διπλάσιος, vt dubitandum non ſit hunc eſſe τὸν λεγόμενον πόδα. Omnis autem pes conſtat ex arſi & theſi. Præcones vero magno ſpiritu morabantur in arſi ἀκου, vt non ſolum μεγαλοφώνως, ſed etiam πλεῖστον φωνεῖν poſſent. Quod quidem omnes linguæ in ſuis præconibus experiri poterunt. vt Gallis, *Or eſcoutez*. Eſt enim διποδία, vt ἄκουε πᾶς. Et ſcimus quantum immoretur præco in arſi duarum priorum ſyllabarum, in qua maxima ſpiritus contentione opus eſt. Vt hæc vera eſt interpretatio, quam attulimus, ita falſa illa Hieronymi Mercurialis, Medici maximi nominis, qui vt eius verbis loquar DICERE PEDEM nihil aliud eſſe putat, quam ſono & cantu vehementiſſimo ad pedes vel in pugna vel in curſu agendo mouendos inflammare. Quæ verba quanquam homini Latine intelligenti negotium faceſſere poſſunt, tamen videntur hoc velle, niſi fallor. & verum eſt, τὸ DICERE PEDEM eſſe ad curſum *pedes incitare*. Quod perinde eſt, ac ſi MANVM DICERE eſſet manum ad pugillatum incitare. Quo non video quid alienius à vero dici potuerit, niſi forte illud, quod paulo ante dixerat. Iam vero quid eſſet VOCATVM PEDEM DICERE, quem decantabant tibicines, tubicines, ac præcones, nondum recte à quoquam explicatum obſeruaui. Putat tibicines & tubicines dicere pedem. Sane dicere non poſſunt, niſi loquantur. Quomodo autem loqui poteſt tibicen, quum tibiam: & tubicen, quum tubam inflat? Certe in veteri prouerbio eſt: *Simul flare & ſorbere difficile eſt*, vt mehercule loqui, & tuba canere. Sed [illegible] concepit verba Galeni ſui, qui nihil [illegible]. Al- [illegible] *habent* [illegible] φω-

-ᾶς

[illegible] τῆς θύρας [illegible] *abeſt) tum tibicines, quum inflant tibias, tum paleſtritæ cum ſpiritum cohibentes inflant corpora; tum etiam præcones, quum dipodiam ſolitam pronunciant.* Oro illum, dicat nobis, quid opus paleſtritæ pedem dicere, cuius actio non eſt loqui; aut tibicini, qui tibiam inflans non poteſt loqui? Quod vero Pollucis locum, quem producit, de hoc pede, de quo loquitur Galenus, puto æque fruſtra quoque eſt. Verba Pollucis ex xii. cap. lib. iii. Καὶ ἦν δὲ ἀγώνισμα σαλπιγκτῶν πρεσβύτερον. [illegible] τῶν ἐπ' αὐτὸ προσελθόντων, [illegible] ἔλεγχον ἔχοντες [illegible] [illegible] [illegible]. Hoc eſt: *Erat etiam tubæ certamen vetuſtius. Ad gratificandum autem iis qui ad hoc certamen deſcenderunt, legibus inſtituti ſunt pedes, quos vocant, quibus longitudo ſpiritus deprehenditur: [illegible] locatio multorum ædificiorum circa templa immolitorum, quæ quidem fuerint ære controverſi.* Galenus loquitur de præconibus, Pollux de Salpictis, hoc eſt, de Tubicinibus. In Galeno opus eſt præconi voce ad pedem dicendum, in Polluce tubicini opus tuba ad experiendum artem. In Galeno de voce præconis agitur, hic vero de privilegio Salpictarum, ad quos ad hoc certamen invitandos legibus comparata diſtantia loci, nulla aliquot pedum [illegible] incipiendo, ne intra ea ædificia immoliri aut [illegible] fas eſſet, à loco nempe ubi certamen committebatur, ad tot pedum intervallum, in quantum ſpiritus flantis tubam extendi poſſet. Nam vix credibile eſt quam in longum ſpiritus [illegible] porrigitur: quod, ne quid de experientia proferam, maxime confirmatur exemplo illius nobilis tubicinis Herodori Megarenſis, qui cum tuba [illegible] vehementia ſpiritus tanquam turbo circumſtantes [illegible] ſonebat. In gratiam igitur ſalpictarum, à loco commiſſionis tantum areæ puræ relinquitur legibus, quantus eſt ἔλεγχος τοῦ πνεύματος [illegible]. Præterea, quum omnia

tubi-

ædificia, quæ circa templa immolita ſunt, intra interuallum, quod legibus ædificiorum exceptum eſt, ærario Pontificum vindicentur, eorum elocatio & reditus cedebat commodis ſalpictarum, vt ex ea pecunia poſt commiſſionem certaminum in commune, aut per contubernia veſcerentur. Nam ea vere ſacra ſunt ludicra, quorum victores habent σίτησιν in publico. Vt igitur & ſalpictis eſſet σίτησις, ea legibus ex locatione illorum ædificiorum cauita eſt. Quod ſi, quid eſſet φιλοτιμία, animaduerſum illi eſſet, numquam τοὺς πόδας arcatum, cum pede aut dipodia præconis confudiſſet. Sed multa illi docto medico, tum in illis Variis Lectionibus, tum in Agoniſtica exciderunt, quæ partim vulgariſſima ſunt, quum tamen noua ſe proferre putet, partim falſa: qualia quæ Mureto obiicit de Theriaca, nobis de aqua petenda, de Corybantiaſmo: & denique maior pars illarum Lectionū, vt aliquando, ne videamur συκοφαντεῖν, illi aperiemus, eiuſmodi eſt, vt melius fuerit nihil ſcripſiſſe. In verbis Pollucis pro ἐνεξετάζειν legimus ἐνομοθετήσαντο, ἐκδόσεις, non ἐκδοσιν, δεομένων, non ἀτεμένων. Illi pedes, intra quos ædificare lege prohibebatur, in veteribus Athenienſium legibus dicebantur ποδῶν προσφοραί. Et lex Solonis etiam in Pandectis Iuſtiniani extat de pedum interuallis in ædificiis, quam legem etiam in XII. Tab. X. viri tranſtulerunt.

Epistola CCCCXLIX.

N. N. S. Lingua Syriaca tam pro genere vſurpatur, quam pro ſpecie. Nam Chaldaica & Syriaca vnius Syriacæ linguæ nomine comprehenduntur: vt apud Iuris-conſultos Adoptio comprehendit ſpecies Arrogationem & Adoptionem; Cognatio, agnationem & cogna-

tio-

tionem. Igitur lingua Syriaca non ſolum dicitur ea, qua Syri, ſed etiam qua Chaldæi uſi ſunt: & in genere Iudæis lingua dicitur *aram*. Quum igitur illius linguæ Aramææ duæ ſint ſpecies, vt iam diximus, Chaldaiſmus & Syriaſmus: Chaldaiſmus purior eſt Syriaſmo. Rurſus Chaldaiſmus duplex eſt, Babylonius & Iudaicus. Babylonius eſt, quo liber Danielis & Eſdræ conſcriptus eſt. Iudaicus, quo Targumim Ionathan & Onkelos concepta ſunt. Nam Iudæi, quũ deportati eſſent in Babylonem, quamdiu in exilio fuerunt, puro Chaldaiſmo vſi ſunt. Poſtquam in patriam reſtituti ſunt, commercio finitimarum Syriæ gentium nitorem Chaldaiſmi, qui in Daniele & Eſdra conſpicitur, contaminarunt. Et tamen nitida & elegans eſt ea dialectus, quæ à temporibus Eſdræ, ad excidium templi, familiaris fuit Iudæis, qui elegantius loquebantur. Nam alia eſt dialectus longe contaminatior, qua Hieroſolymitanum vulgus vtebatur, & qua Targum Ieroſolymitanum Legis, Iob, Prouerbiorum, & Pſalmorum conceptum eſt. Longe enim deficit a puritate & nitore illius Chaldaiſmi, quo vtuntur Ionathan & Onkelos. Itaque quemadmodum linguæ Aramææ duæ ſunt ſpecies, Chaldaiſmus & Syriaſmus, ita Chaldaiſmi duæ ſunt, Babylonius, & Iudaicus. Item duæ ſunt ſpecies Iudaici Chaldaiſmi, Chaldaiſmus Onkeli & Ionathan, & Chaldaiſmus Hieroſolymitanus. Quia enim Chaldaiſmus ille quo vtuntur Ionathan & Onkelos venuſtior & elegantior eſt, eo vtebantur aulici, docti, & homines elegantiorum aurium. Eaque dialectus potius in libris Doctorum quam in vſu vulgi conſpiciebatur. At dialectus Hieroſolymitana in vulgo locum habebat, & in conuerſationibus & commercijs ruſticorum, & in fæce populi. Hic autem dubium, quum ſacra Biblia omnia in linguam Aram conuerſa ſint, videndum an vna dialectus eorum ſit, aut plures. Lex & Prophetæ Chaldaiſmo puriore conuerſi ſunt

quam

Digitized by Google

quam reliqua Scripturæ volumina; ideoque vetuſtiora ſunt quam reliqua, ſaltem vetuſtior eſt dialectus Ionathan & Onkeli, quam ea, qua reliqui libri Scripturæ conuerſi ſunt. Non enim ſtatim ſequitur, ſi dialectus Ionathan & Onkeli ſit antiquior dialecto Hieroſolymitana, ideo vetuſtius eſſe Targum Onkeli & Ionathæ Thargum Ieroſolymitano. Quamuis enim dialectus Onkeli non erat in vſu tempore Chriſti, tamen & tempore Chriſti, & poſt Chriſtum aliquis potuit tam Chaldaice quam Ieroſolymitane loqui, vt hodie tam Latine quam Italice conſcribuntur libri; cum Italicus idiotiſmus, recens ſit, Latina lingua iamdudum apud vulgus eſſe deſierit. Nobis Paraphraſeon Biblicarum, quatuor auctores eſſe conſtat, Onkelon, Ionathan, Ieroſolymitanum, qui Prouerbia, Iob, Pſalmos; & quartum, qui reliqua Hagiographa conuertit. Ieroſolymitani illius neque tempus neque nomen adhuc eruere potuerunt Thalmudiſtæ. Nam quod quidam dicunt auctorem Ieroſolymitanum eſſe Ioſephum Cæcum, futilibus coniecturis nititur. Duo igitur ignorantur; Ieroſolymitanus, qui conuertit Iob, Pſalmos, Prouerbia; & quartus, qui reliqua Hagiographa. Tamen vetuſtas Ieroſolymitani ignorari non poteſt, cum legimus in Talmud Aba Chalphota, quum inuiſeret Gamalielem ſeniorem, deprehendiſſe eum legentem Targum Iob. Atqui Gamaliel ſenior, eſt is, quem audiuit Paulus Apoſtolus, & quem omnes Thalmudiſtæ fatentur ante excidium templi fuiſſe. Ionathan autem, qui Prophetas tantum conuertit, eſt paulo antiquior Onkelo. Erat enim diſcipulus Hillelis ſenioris, qui natus eſt anno primo Chriſti. Itaque Targum Ionathan vt minimum congruit æuo Chriſti; Onkelos autem qui legem conuertit, fuit æqualis illius æui, & vidit Ionathan. Itaque fere eodem tempore Ionathan ad Prophetas, Onkelos ad legem conuertendam ſeſe contulerunt, Sed ali-

quot annis Ionathan ante Onkelon. Atque hæc ſunt quæ de linguæ idiomate ex ipſis Targumim, & de vetuſtate paraphraſticorum ex priſcis Iudæorum monumentis eruere poſſumus. Notet vero lector, quemadmodum Chaldaiſmus Ionathæ & Onkeli purior eſt; ita Chaldaiſmum Ieroſolymitanum colluuie multarum dialectorum contaminatum eſſe, præſertim Græcarum & Romanarum vocum, quæ multæ ſunt in illa paraphraſi, item aliarum barbararum nationum. Summa κεφαλαίων omnis: Aramææ linguæ duo præcipua faſtigia, Chaldaiſmus & Syriaſmus: Chaldaiſmi duo ſunt, Babyloniaſmus, & Iudaiſmus; Rurſus Iudaiſmus vetuſtior, quo vtuntur Ionathan & Onkelos, & recentior qui vocatur Ieroſolymitanus. Syriaſmi vero multæ fuerunt propagines: ſed illa omnium nobiliſſima Syriaca dialectus, qua Vetus & Nouum Inſtrumentum apud Maronitas & Neſtorianos conſcriptum eſt, quæ & elegantiſſima & puriſſima. Tempore Chriſti ea in tractibus Antiochiæ Cœloſyriæ & Meſopotamiæ in vſu erat. In Galilæa alia dialectus erat, & in aliis partibus alia, quæ omnes vno nomine Aram comprehenduntur. Qui Apoſtolos ea vſos dicunt, falluntur. Apoſtoli ad Iudæos verba cum facerent, Iudaico Syriaſmo, ad alias gentes alia dialecto vtebantur. Nam lingua Chriſti Galilæa non eadem cum ea; qua Maronitarum, & Neſtorianorum libri haſtenus conſcripti ſunt.

EPISTOLA CCCCI.

CORNELIO van DALE, *ſuo S.* Quid te tamdiu in illis locis deſidere, vbi nos non ſumus, obſtinauerit cauſſam melius tu nobis dixeris, quam nos diuinare poſſimus. Domeſticum funus cauſſari non potes: quia & ſi hoc obiicis, meminiſti, & viduæ non licuiſſe vltra decem

cem menſes virum lugere: & eius manes lachrymis ſolicitare non debes, quæ te beatior eſt. Supereſt, vt te reſtituas nobis, & repetas dulcia membra conuictus tui. Quod te à Bibliotheca Putſchii retineri ſcribis, vide num mutos amicos viuis præferre piaculum ſit. Quum à fratre diſceſſeris, non inuenies, quibus plus debeas, quam qui te fratris loco habent; adde, qui & filii loco, vt matre amiſſa, plane te orbum non putes. Primo iſto luctui tuo hanc moram indulſimus. Sed poſtquam incipis vota noſtra morari, iam in noſtro ære es: & flagitatores importunos habebis omnes, quos hic reliquiſti. Si literæ, quas ad Wouwer noſtrum ſcribo, in manus tuas inciderint, vide vt recte illi curentur. Sane cum à te conuentum eſſe plurimi fecerim, vt, ſi ad nos redire inſtituiſti, aliquid litterarum ad nos ab eo exigas. Ad Tertulliani editionem eum hortor. Tu eum ad id tantum verbis tuis excita, quantum nos literis noſtris excitamus. Vale. Lugduni Batauorum, III Eid. Februarij Iuliani cIↄ Iↄcv.

EPISTOLA CCCCLI.

PETRO SCRIVERIO, *ſuo S.* Tria genera Grammaticorum: alij τεχνικοὶ, alii ἱστορικοὶ, tertium genus κριτικοὶ vocantur. τεχνικοὶ elementa & primores literas docent. Item partes orationis, ſtructuram verborum, & & ſimilia. Eos Græci γραμματιστὰς potius, quam γραμματικοὺς: & Latini *litteratores*, non *litteratos* vocant. Catullus.

Munus dat tibi Sylla litterator.

Ars autem non Grammatica, ſed litteratura. Hiſtorici in fluminum, montium, regionum nominibus occupati ſunt: abſtruſas hiſtorias, aut μυθολεγόμενα, aut παλαιὰ θεολογούμενα explicant: genealogias Deorum, ac priſco-

ſunt Hiſtoricorum diligenter rimantur. Hinc illud quod [illegible] Iuuenalis,

Et legat hiſtoricos, auctores nouerit omnes,
Tanquam vngues digitoſq; ſuos, vt ſorte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamq; nouercæ
Archemori; dicat quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Eadem quoque in Philoxenico Grammatico ridet Lucianus ἐν τῷ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Sed quamquam hæc ridentur ab illis, tamen propria ſunt huius partis Grammaticæ, quæ ἱστορικὴ vocatur. Nobilior vtraque κριτική. Nam Critici tanquam cenſores quidam, & veterum librorum Senatum legere poſſunt. Vt ille apud Auſonium:

Quique ſacri lacerum collegit corpus Homeri.

& non probos tribu mouere. Vt apud eundem:

Quique notas ſpuriis verſibus addiderat.

quia περιγεγραμμένα, ἐμβεβλημένα, νόθα, & ſimilia deculpare, vt eorum verbo vtar, ſolent, & notis culpæ appoſitis damnare: neque tantum quæ perperam ab auctoribus dicta, ſcripta, pronunciata ſunt, [illegible], ſed & aliorum Criticorum temere ſcita notare ac caſtigare, quam [illegible] vocabant. Iidem etiam duplices & ambiguas lectiones recenſebant, quas διπλᾶς γραφὰς dixerunt. Nam χρήσεις, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum, ſunt auctoritates & ſcita. Sed præcipua huius ſtudii pars, tranſpoſita in auctoribus ſuis ſedibus vindicare, vt fecit ille, *Qui ſacri lacerum collegit corpus Homeri*: quod nomine μεταθέσεως τῶν γραφῶν valde celebrarunt. Et conciliatio ſententiarum etiam in Philoſophia ad eos pertinebat. eiuſmodi ſunt συμφωνίαι τῶν δογμάτων in Platone à veteribus Criticis notatæ. Sunt & eorum ἐκλογαὶ [illegible] γραφῶν, quæ ſunt ab illis in quodam auctore venuſte nouata: huius enim artis & hæc pars eſt. Criticæ

pars

Digitized by Google

principes apud Græcos ſunt Ariſtophanes, Crates, Ariſtarchus, Callimachus. Apud Hebræos *Maſoreth* ſunt, qui apud Græcos Critici. ii incertas ac vagantes artis Grammaticæ regulas in ordinem coegerunt: Bibliorum ſacrorum ſcripta apicibus ac punctis vocalibus, quæ Hebraiſmi anima eſt, exornarunt. *διττὰς χρήσεις*, quas ipſi vocant legenda non ſcripta, & ſcripta non legenda, *συμφωνίας, διαφωνίας, [illegible]*, & ſi quæ ſunt his cognata, in illorum Criticis Commentariis hodie paſſim videmus. Denique *ἡ κριτικὴ* apud eos *Maſora* vocatur. Apud Latinos nobiliſſimi Critici ſunt Varro, Santra, Siſenna: ſed omnium Priuceps Varro. Eius Critica docuit, ex multis fabulis vnam tantum & viginti Plautinas eſſe, quæ poſt-Varronianæ dictæ ſunt. Cum enim Plautinarum fabularum cenſum ageret, eas nominauit, cæteras præteriuit. Hæc ſunt quæ de Critica habui. Plura habebam: ſed pauciora quæ ad rem facerent, ex tempore delegi.

Epistola CCCCLI.

Iſaacus Caſaubonus, *Viro Illuſtriſſimo* Ioſepho Scaligero, Iul. Cæſar. F.

POſtquam de tua valetudine anxius perdiu & ſupra modum ſollicitus fuiſſem; quum nihil certi de ea haberem compertum; ſed incertis rumoribus, qui de graui tuo morbo erant ſparſi, aures meæ quotidie perſonarent; accepi tandem Heinſii noſtri literas; quæ maiore ne dolore me perculerint, an virtutis tuæ admiratione affecerint, nondum equidem conſtitui. Illam ſane partem quæ de languore tuo erat, nobiliſſime virorum, ſiccis oculis & ſine ingenti animi cruciatu non legi. neque vero meo priuatim periculo magis moueor, quam vniuerſæ Reipub. literariæ, quam tu, magne ſenex, ſolus prope mortalium tot iam annos dignitate ornas, & diuini ingenii tui luce illuſtras. Cogito dies noctesque quantum

in vno capite literæ omnes meliores periculum adeunt. Sed Deus meliora: neque vero ad vltimum adhuc periculi eſſe ventum Heinſii epiſtola narrabat. Oro enixè toque ſupplex Dominum Ieſum, vt Reipub. literariæ miſereatur, tuique vſuram diuturniorem bonis & veræ doctrinæ ſtudioſis velit concedere. Nemo hic eſt, qui literas amet, qui non Deum pro ſalute tua mecum fatiget. Omnes interim tuum illud animi robur, & piam in morbo conſtantiam, quam ex literis Heinſianis cognouimus, miramur, eoque nomine Deo Optimo Maximo gratias agimus, & tibi gratulamur. Hoc eſt vere pium eſſe, id velle, quod magnus Imperator iuſſerit, non triſtis, ſed duci: &, quod pauci faciunt, hominem ſe natum, tempore neceſſario meminiſſe. Immutam hoc eſt, ἄξιον [illegible] βιωμένου [illegible], Enimuero, non poterat Scaliger, Scaliger non eſſe. Quam ſemper hactenus ſupremo numini fueris charus, quum ſciant omnes mortales, ipſe non potes ignorare. Confide, ſenex venerande, proprium & perpetuum hunc eiuſdem erga te numinis fauorem futurum. [illegible], bonum certamen certaſti: fidem ſeruaſti: reſtat nunc illa ἀμάραντος corona, in cuius ſpem tuliſti tam multa. Iterum iterumque [illegible] obteſtor, vt tibi adſit: dolores tuos ſuauiſſima crucis ſuæ recordatione leniat: priſtinam tibi valetudinem reſtituat: te faciat ex animo velle quod ipſe voluerit. Parce affectui meo, & ἔρρωσο, ſapientiſſime Scaliger. Lutetiæ Pariſ. xv. Kalendas Febr. cIↃ IↃ C IX.

EPISTOLA CCCCLII.

I. Caſaubonus Viro Clariſſimo Danieli Heinſio [illegible] S.

NOn poſſum inducere in animum, præſtantiſſime Heinſi, vt credam nihil te literarum ad me dediſſe,

ex quo diuinus vir ὁ μακαρίτης Scaliger τὰ χοϊκὰ reliquit. aſtruo tamen tibi ſuper re tanta nihil me ex te didiciſſe; quum ex illo tempore ne minimum quidem epiſtolium à te acceperim. Itaque de obitu tam chari viri tantum ſcio, quantum fama ἀδέσποτος & incerta nunciauit. *Scripſere quidem* Raphelengii fratres ſuper ea re nonnihil: verum id ea breuitate, vt cupiditati meæ ipſorum literæ non ſatisfacerent. Te, mi Heinſi, tacuiſſe ſi poſſem credere, poſſem illud quoque credere, ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔγωγε, plane ex animo & memoria tua meum nomen excidiſſe. Hoc quum nihil iam triſtius euenire mihi queat; vt liberem tuam fidem, alienam accuſo. Perſuadeo enim mihi, literas periiſſe, quas ſuper tanto caſu ad me ſcripſeras. Ac fortaſſe meæ quoq; parũ bene curatæ, quas & ante obitum & poſt obitum diuini Herois ad te exarraui. Peto igitur à te, ſuauiſſime amicorum, & quanta maxima contentione poſſim oro te obſecroque hiſtoriam illam totam breui compendio mihi narres: neque patiaris me, qui tanti amicitiam tuam æſtimo, ſic neglectum à te videri poſſe, vt ne rogatus quidem deſiderio huic meo ſatisfacere volueris. Qui has tibi tradet, vir nobiliſſimus & amore tuo digniſſimus eſt. per illũ vberiore ſcriptione beare me potes. Scio curaturum probe, quicquid ei tradideris. Ego multa de ſtatu meo narrare poteram, ſed eo ſermone ſuperſedebo, donec tuas acceperim. Vale mi Heinſi, & me, ſaltem propter magnum amicum noſtrum, τὸν νῦν μακαρίτην, amare perge. Lutetiæ Pariſiorum, ad diem XIII. Kalend. Maias cIↃ IↃC IX.

Epiſtola CCCCLIII.

Viro Clariſſimo, Iſaaco Caſaubono, *ſuo S. D.* Daniel Heinſius. in qua de morte Illuſt. viri Ioſephi Scaligeri.

VIR Clariſſime, Si vllo modo reus eſſem criminis illius cuius me ſuperiores tuæ accuſabant, hoc eſt, niſi qua-

ter aut quinquies de obitu communis amici & parentis nostri τοῦ νῦν μακαρίτου diligentiſſime ad te ſcripſiſſem, & illius commendatione, cui amicitiam tuam debeo, & ea ipſa amicitia, cui omnia meritò ſemper poſtpoſui, indignus eſſem. Nunc cum infelicitate mea factum ſit, non culpa, vt de negligentia mea conqueſtus ſis, dabo operam, vt quam de me opinionem, ex aliorum culpa concepiſti, hanc viciſſim meæ diligentiæ condones. Et quandoquidem, οἰχόμενον κλαίω, è diuinis eius viri virtutibus, quas æque ambo colimus, nihil præter recordationem nobis reſtat, faciam, vt hoc ὑπόμνημα meum, qui tam quidem quamdiu in hac vrbe vixi, numquam autem illius ſub mortem, ab eo diſceſſi, magna parua quæque obſeruare & audire ex eo potui, mecum tibi ſit commune. Quamuis enim fieri non poſſit, quin qui talem tantumque amicum, qui parentem, præceptorem, qui nutricium amiſit, ad commemorationem ſingulorum vehementius commoueatur, quod admonitu non parum recrudeſcat luctus, tamen vbi idem ille aliquantulum remiſit, & iam rationi pluſculum de ſe permiſit, non voluptate aliqua meminiſſe eorum vix poſſumus, quæ quo magis ſunt præclara ac heroica, eo dolorem adhuc crudum ac recentem vehementius accendunt. Cuius generis non pauca ex diuini ſenis ore excepi: qui a paulatim morti ac naturæ ceſſit, & à morbo potius conſumptus quam oppreſſus eſt. Menſes admodum ſex ſunt cum de editione Plauti, vrgente Raphelengio noſtro, qui non ignoraret, quantum apud eum prope ſolus poſſem cum eo cœpi agere. Qua in re, ſiue amori meo, ſiue precibus hoc dedit, vt, quod conſtantiſſime omnibus negarat, meâ cauſa & typographi ſuſciperet. Itaque inter nos conuenerat, vt vterque hoc ageremus: ego, editionem adornarem, certiſſima quæque è codicibus, pauca & quæ firmis niterentur rationibus, aut poſtea à libris confirmata eſſent.

Digitized by Google

eſſent, è doctorum emendationibus in textum reciperem, ac deinde ſingula cum eo communicarem: ille Comicum percurreret, & quæ olim partim adnotarat, partim in memoria, qua plane incomparabili, vt noſti, vtebatur, repoſita haberet, partim & legendo reuocaret, nobis traderet. Sed heu! paulo poſt, cum dies aliquot continuos, vt ſæpe alias, ſcribendis ad amicos literis dediſſet, de ἀνορεξίᾳ ſubita καὶ ἀηδίᾳ vehementer queri cœpit. Ita vt ab omni prope cibo abſtineret. Nec poſt illud tempus, quod rariſſime, nec niſi alicuius morbi grauioris victus vi aut pertinacia, conſueuerat, muſeum ingreſſus eſt. Ita ſine manifeſta aliqua mutatione, menſem integrum ad focum in cubiculo ſedebat, vt amicis tantum qui accederent, vacaret. neque minus tamen de literis ſemper cogitare, & libellum penes ſe habere, quo & morbi tædium & temporis legendo falleret, & è ſtudiis Muſarum, quas feliciore nemo coluit ſucceſſu, vltimam hanc voluptatem caperet. Porro hoc loco poſitus, cum minus minuſque cibum quotidie appeteret, magiſque ac magis ſimul animo & corpore langueret, cœpit, quod res erat, neſcio quid mali grauioris ſuſpicari. Eſt huic aeri familiaris quidam morbus, ſiue languor, quem ſcorbutum vulgo vocant. Plinius ſceletyrben & ſtomacacen à Medicis ſui temporis dictum fuiſſe notat. Hunc per ſe ipſe, de Medicorum iudiciis ſecurus, præſenſit. Neque fruſtra vnquam fuit viri prudentiſſimi vel ſpes vel metus. Nam vt hoc malum ex priori, ita ex hoc ipſo tertium ſibi imminere, ſæpius dicebat: hydropem nimirum. &, quod magis admirati ſumus, certam eius ſpeciem, τὴν τυμπανίαν nempe. Quæ vt aliis pleriſque, ita viro huic maximo fatalis fuit. Sunt in hac vrbe Medici aliquot clariſſimi, & vt τῆς ἰατρικῆς ὕλης admodum gnari, ita τῆς ἐμπειρίας εἰς τὸ ἄκρον ἐληλακότες. Inter quos maxime familiariter Ælio Euerardo Vorſtio, nunc Magnifico apud nos Re-

ctore vtebatur: viro, præter Medicinam, rerum plurimarum egregie perito: cui è baptiſmo filiolum, optimæ indolis puerum, ſuſceperat. Hic primum, vt ſolitus, cum adhuc medicos auerſaretur, muliere aliquoties ad eum cœpit, & vt maiorem ſui rationem habere vellet, partim precibus, partim conſilio & rationibus ab eo poſtulare. Quod cum ægre impetraret, (vehementer enim omnem Medicorum opem, ac præſertim potiones, reſpuebat) collegam ſuum virum præſtantiſſimum Reinerum Bontium, circumſpectiſſime adiunxit ſibi: partim illius memor, Σύν τε δύ' ἐρχομένω: partim, vt ſi tanto viro præter expectationem, quod futurum omnes iam videbant, grauius quid eueniſſet, nihil ab vno prætermiſſum putaretur, quod præſtari à duobus poſſet. Ita ſimul ſummi hominis conſtantiam aggreſſi ſunt: qui vix vlla ratione adduci poterat, vt mortem, quam effugere vix poſſe videbatur, ſaltem differri pateretur. Qui initio, qua erat in his quoque rebus peritia, oppugnare eorum conſilia quam ſequi malebat: neque ſcio, an quicquam perperam, nihil certe ſine ratione dixit. Vtriſque quoque, quibus commiſſa ſalus eius eſſet, nihil eſſe difficilius, quam viro tam multarum rerum gnaro, aliquid præſcribere, non ſemel inter ſe conquererentur. Nam præterquam quod & nomina herbarum & vires, ex frequenti τῶν βοτανικῶν lectione, ad vnguem didicerat, optime de morbo ſuo iudicabat: quem talē eſſe aiebat, vt humana ope curari non poſſet. Interim, quantum corporis, quod iam ἀτροφίᾳ penitus emaciatū erat, infirmitas permitteret, animum, quaſi in ſtatione, ſemper erectum habebat: ac ne eum quidem, vt nihil ageret, à ſe impetrare potuit. Exiſtimo poſtremos, quibus ante mortem vſus eſt, autores Polybium & Lipſii De re Militari libros fuiſſe: quorum in altero, qui penes me eſt, infinita emendauerat, ac, inter cætera, pauciſſimis, antequam penitus lectulo affixus iaceret,

iaceret diebus, pilum Romanum ex auctoris doctiſſimi deſcriptione manu ſua accurate delineauerat: quod in eo omnes qui Polybium illuſtrare conati eſſent, erraſſe exiſtimaret. in libello, nonnulla, in quibus diſſentiret, annotauerat. Cæterum, cum indies iam malum gliſceret, ac conſtans ἀϋπνία vires amplius conſiſtere nō ſineret, tanquam miles iam emeritus, volente ita ac iubente natura, quod ab eo obtinere nec amici potuerant nec Medici, omni abdicare ſe ſtudio coactus eſt. Qua de re plerumque apud me conquerebatur. Dolebat enim aliquod perire ſibi tempus, neque amplius ſe viuere, ſed ſupereſſe ſibi quotidie conquerebatur. Toto morbi tempore, cum de morte nunquam dubitaſſet, ardentiſſimas ad Deum preces fundebat. & ſiue ſolus, ſiue cum amicis eſſet, magno ardore ac intentione animi delicta ſua deplorabat. quæ quidem ἀναρίθμητα eſſe, tamen fiduciam, quam in eo repoſitam haberet qui peccatum nobis factus eſſet, longe maiorem eſſe, aiebat. Sæpe repetebat, certo quidem ſcire ſe, inſtare ſibi mortem. Abeſſe autem tantum, vt communem illum terminum naturæ ac viri ſapientis portum, ſubterfugeret aut detrectaret, vt nihil aliud à Deo peteret, nihil aliud iam cogitaret, niſi vt quam minimo dolore & breuiſſimo his vinclis ſolueretur. Æternæ vitæ gaudia præcipere ſe animo ac iam ſentire. Non dubitare ſe quin agnum omnibus mactatum, τὸν μονώτατον σωτῆρα, τὸν ἐν πᾶσι πάντα, cuius deſiderio langueret, breui iam viſurus eſſet. Reliqua ſordere ſibi, neque quicquam eſſe, cuius cauſa, vel ad horam, vitæ huius vſum prorogari ſibi vellet. In his vocibus ac cogitationibus non ſemel eum deprehendi. Nihil humile, aut vulgare, aut abiectum loquebatur. qui & voces tales & ſolatia auerſabatur. quædam & cum indignatione accepit. aiebat enim puerum ſe iſta didiciſſe. Si quis ſpem vitæ ſupereſſe diceret, petebat, vt hanc ſpē ſeruaret ſibi. nō enim ſenis intereſſe;

eſſe, quando moreretur: cui ſemel neceſſarium, ſemper
tempeſtiuum eſſet mori, multo minus Chriſtianum, cuius
eſſet bene mori. Quodam tempore cum omni ſtudii &
virtutis genere ornatiſſimus clariſſimusque ſenex Clu-
ſius noſter, qui iam aliquamdiu, partim propter ætatem (octo-
geſimum enim annum & aliquot expleuit) partim ex de-
bilitate pedum domi ſe continuit, famulum ad eum mit-
teret, peteretque, vt excuſatum ſe haberet, quod in hoc
officio deficeret, reſpondit, non libenter modo ſe ignoſ-
cere illi, ſed & ſingularem animi beneuolentiam ample-
cti, neque opus hoc officio nunc eſſe. Futurum enim fru-
ſtra, cum vterque breui in eundem locum conuenturi eſ-
ſent, vbi alter alterum ἀγήρως καὶ ἀθάνατος complecteretur.
Nam præcedere ſe quidem, illum autem ſequi. Inter reli-
quas virtutes eius, ſemper prudentiam miratus ſum, nun-
quam cum aliis in rebus tum in hoc potiſſimum teſtatam
eſt, quod fere annis ſingulis ſupremam voluntatem con-
ſignaret, & in teſtamenti tabulas referret, ſi quid vel mu-
tare, vel prætermiſſum eſſet, quod poſt obitum præſtari
vellet, ne aut teſtamento veteri aut ἀδιαθέτως decederet.
Idem ſub initium morbi cum in animo haberet, Biblio-
thecæ ſuæ indicem ad me miſit, petiitque, vt ex eo libros
ſeligerem quos vellem, certo enim ſcire, finem vitæ iam
inſtare: ideoque tempus eſſe, vt de amicis cogitaret. Hæc
ἀπαθῶς & admodum conſtanter. Quod cum peteret
(nam & antea de tota nobis relinquenda mecum egerat,
in quo pietatem meam ac modeſtiam expertus fuerat)
non ſine lachrymis, quæ coram illo imbibendæ erant, pe-
tere me dixi, Pietatis meæ ac pudoris rationem aliquam
haberet. nec præcipuas delicias ac voluptates ſuas, qui-
bus vitam ſuſtineret, ante mortem aliis tranſcriberet.
Frueretur illis diu, quibus maxime delectaretur: & quod
vitæ ſupereſſet, ſine curis ac moleſtiis non neceſſariis
tranſigeret. Solum illum ſcire, quantopere eum ſemper
reve-

Digitized by Google

reuerentius fuiſſem. Funeſta eſſe dona, quæ amiſſione ac diuortio tam venerandi capitis penſanda eſſent. Supereſſe alia non pauca, per quæ meminiſſe illius poſſem. Vitam præ reliquis, quam emendate, & ad exemplum omnium egiſſet: tum non pauca quæ ex eo didiciſſem. Ad quæ ille maxima ſeueritate (erat enim δεινὸς περὶ τὰ τοιαῦτα) recuſantem eo perpulit, vt quoſdam in ſchediola notarem. Idem duo ex præcipuis amicis fecerunt, cæteris nonnullos ipſe, quos relinqueret, elegit. Inter eos quorum rationem habuit, vt de vtroque noſtrum nihil dicam, præcipui fuerunt Vir Ampliſſimus Cornelius vander Mylius, Academiæ Curator, quem mirificè amarat ſemper, Clariſſimi viri Dominicus Baudius, Iohannes Latius, Grotius ὁ θαυμάσιος, & Iohannes Rutgerſius, iuuentutis noſtræ, ſiue ingenium, ſiue eruditionem, ſiue ſpem quam de ſe quotidie maiorem præbet, videas hodie Princeps. Reliqui (exceptis his quos Academiæ legauit) diuenditi ſunt, è quibus æs haud ſane modicum confectum eſt, quod œconomo illius, qui fideliter τῷ μακαρίτῃ annos plurimos inſeruiit, ex voluntate eius ceſſit. Ipſe, quia verecundum nimis ac modeſtum in eligendo, iudicabat, quod prætermiſſum à me fuerat, ex ſupellectile argentea ſuppleuit. à qua quod cariſſimum habuerat, reliquit. Sed ad mortem redeo. Aliquot diebus ante ſummum ac fatale tempus (vide heroicam ac ſummam circa τὸ χρεὼν ſecuritatem) cum ad eum acceſſiſſem, de verſiculis quibuſdam ſuis, cum antea ne mentionem quidem eius rei ferret (nemo enim magis ſua contemnebat) vt cum eos editurus eſſem, perfunctoriè quæſiuit. Cum fateor enim me dixiſſem: Scazontem, inquit, quendam qui prætermittendus non erat, primæ Manilii editioni præfixum inuenies. Metuo me tamen alibi memoria lapſum eſſe. Igitur pro illo,

Rex Celtiberæ Tarraconis Alfonſus,

reponendus erit ille,

Caſtella

Castellæ moriens rex venisset Alfonsus.

Hæc oculis languentibus, ac fractis morbo viribus, moriens, vt tum quidem videbatur, mori, integerrimis tamen ſenſibus dicebat. Quæ, cum domum rediſſem, perculſus miraculo, in meo codice, vt iuſſus fueram, notaui. Verum ad oſtendæ huius vel tranquillitatis vel ſecuritatis, niſi ἀθαφοβίαν vocare malis, eo morbi tempore plurima quotidie amicis exempla dedit. E quibus vnum, quod in mentem nobis nunc venit, apud te diſſimulare non poſſum. Solebam, quoties aliquid carminis aut ſermone conceperam, minus occupato id recitare. Quæ res tanta voluptati illi erat, vt plerumque quæreret, quid noui attuliſſem. Eſt Hagæ Comitis, vir nobiliſſimus, neque minus eruditionis, cum ſit ipſe eruditiſſimus, [illegible] amans, Principi noſtro à Secretis, *Iohannes Milander Prodecorum Dominus*, qui cum exquiſitæ formæ atque ætatis floridæ vxorem, ipſe ſenex duxiſſet, nuptiali carmine amicum proſecutus eram. Vno menſe circiter aut paulo amplius ante obitum, cum more ſolito languentem acceſſiſſem, maximo cum gaudio accepit venientem. & cum frigus vnice metuendum eſſet, togam promi iuſſit: quam cum puer attuliſſet, et in lecto [illegible] liter diſpoſuit, ac ipſe togā me accepit, [illegible] interna ſecuriſſime. In qua quamuis æger, quamuis conclamatus, quamuis [illegible] morbi nonquam de ſuo [illegible] ius dubitaſſet, ſed & ſæpius acerrimi cruciatus [illegible] cos [illegible] extenuarent, aut ſpem vitæ ſecerent, quamuis denique omni cibo ipſe abſtineret, & ſpectatum cœnæ tantum eſſet, maxima hilaritate me excepit. Paulo antequam accubuiſſem menſæ, quod ad[illegible] hortere videbam, carmen illi, quod conſcripſeram, prælegi. Quod cum placuiſſe ſibi, et ſalebras, [illegible] [illegible] Bene, inquit, alterum epithalamium ſcribendum erit. Cum tacerem, neque aſſequerer quid vellet

dictum

iterum, Ioſepho, inquit, Scaligero & Aquæ intercuti, vide vt alterum, Amice ſcribas. Ita enim præter expectationem meam in re capitali ſua lepide iocari ſolebat, vt nonnunquam nouum ſe Diogenem diceret. nam vt illum, ita ſe in dolio iam habitare. de ventre autem loquebatur, qui non parum prominere cœperat. Die quodam, cum mœſtiſſimus ad eius lectulum ſederem, quod paulatim Solem iſtum nobis eripi, nec procul eſſe occaſum eius ex indiciis quampluimis colligerem, poſtquam de nonnullis mecum libere egiſſet, aliquamdiu me intuitus, Illud affirmare cuiuis, inquit, tibi perſuadere potes, Ioſephum Scaligerum neminem æque amaſſe ac Danielem Heinſium. Et vtinam, quod ſæpe dixi, Pater meus Iulius te noſſet, quam efflictim te amaſſet! Non ita multo poſt, die alio cum rediſſem, & de valetudine interrogaſſem, Fili, inquit, Daniel extrema vides. Vix dolori par ſum. Corpus, ex aſſidua hac decumbendi conſuetudine & morbi inclementia, exhauſtum eſt. Manet idem vigor animi. Inimici mei ſi me videant, diuinæ iræ hoc aſſcribāt. Noſti quid de aliis iam diuulgarint. Tu de his teſtari potes. Perge vt cœpiſti. Et hoc age, vt memoriam illius qui tantopere te amat, ſancte tuearis. Sed & Deus ſine dubio te amat. Et amabit, quamdiu bona tua illi referes acceptum. quæ quo minus oſtentabis, eo pluris erunt. Arrogantiam & faſtum vita. Ab ambitione, quā-tum potes caue. & inprimis, ne aduerſus animi ſententiam, illius cauſa quicquam agas. Quicquid in te eſt, illius totum eſt. *Πέπον φίλε, οἴχομαι.* Fuit tibi tuus Scaliger. Ego, cum ad voces illas aliquid pararem, ita liqui animo me ſenſi, vt in lachrymas effuſus, quas diſſimulare coram eo etiam, voci vix ſuppeditarem. Quare aliquantulum in proximum triclinium ſeceſſi. donec integer & mei compos, denuo me exhiberem. Paucis poſt diebus, cum ob cauſam ſonticam, qui diuturnior eſſet quo-

que

quæ morbum fore ſuſpicarer, Lugduno Hagam, Haga Delphos profectus eſſem, & octauam circa horam domum rediiſſem, ecce tibi ſubito & præter omnem expectationem, amiciſſimi Baudii puer, qui Scaligerum in extremis verſari ſignificaret. Protinus venire, vt me illi ſiſterem. Addebat petere hoc ægrum & obnixe de me illi, quamuis animam agenti, excidiſſe. Ego, quamquam nihil præter finem vitæ ab hoc morbo expectabam, & vidiſſem ipſe, & amicos ſæpe monuiſſem, tamen vehementer animo commotus, iam, vt loquar verum, ignarus mei, propere accurro. Ibi vero ſenem optimum (quod ne nunc quidem ſine lachrymis commemorare poſſum) [illegible] ſine vllo ſenſu ægretudinis iam morientem, inuenio: qui paulatim per momenta ſingula, circa horam tertiam quartam matutinam, poſt ſupremas preces, penitus, & quidem ita placide defecit, vt ſine vlla vel leuiſſima inquietatione, non tam expirauerit quam viuere deſierit: cum tamen ſatis valide atque acriter, tanquam integer ætate ac primæuus, horas plurimas cum morte colluctatus eſſet. Quod & Cæſari Parenti eius (ob immenſum credo & heroicum vigorẽ) euenisse, ſæpius ex eo intellexi. Simul expiraſſe vidi, protinus ad lectulum acceſſi, vt defuncti oculos componerem; quos vltimo aſpectu noſtri ſatiare ante obitum deſiderauerat. Cæterum cum lachrymæ obſtarent, hoc officium fideliſſimus œconomus præuertit: qui & ipſe ingentem lachrymarum vim cum maximo clamore ac eiulatu, &, vt ille Socratis amicus in Phædone, ἀναβρυχησάμενος καὶ ἀγανακτῶν effundebat. qui quo melior vir & hero fidelior ſemper fuerat, eo magis omnibus commiſerationem ac lachrymas commouit: mihi vero animum excuſſit. Non enim, mi Thuane, dubitabis, quid & quantum ſolus pene, in communi hac calamitate amiſerim. qui non neſcis, quid & quantum ex aſſidua fami-

familiaritate tanti hominis, niſi mihi defuiſſem, proficere potuerim. quem ille ex omni iuuentute, quem tantopere diligeret, inſtrueret, formaret, cui omnia optima præciperet, ante annos aliquot elegerat. cui tot magnorum hominum fauorem ac beneuolentiam conciliauerat. Inter quos Ampliſſimum Thuanum, Nobiliſſimum Douſam, te præ cæteris, mi Caſaubone, ſemper habui. Nullus vnquam huc legatus venit, cui non me ſponte commendarit. apud quem non effuſiſſime, nec pro tenuitate mea, ſed pro ineffabili amore ſuo, de me verba fecerit. cum ſine vllius commendatione, annos natus circiter octodecim in vrbe hac primo illi innotuerim. Inter prima tamen pono quod ætatem noſtram, adhuc lubricam ac fluctuantem, ſaluberrimis conſiliis ac monitis direxerat: quod iudicium de omnibus autoribus antiquis, candidiſſime quotidie communicaret. Inter ambulandum, cœnandum, prandendum, omnia de quibus dubitarem ſolueret ac expediret. quædam & de quibus dubitandum eſſet, callide dictaret ac ſuggereret. Nam plerique hodie ne dubitare quidem ſciunt. quibus omnia contemnere ac neſcire ſatis eſt. Omitto omnia maiora quam in homine, quæ ſemper vidi, quibus horis ſingulis interfui. Omitto tot acute dicta, tot heroicas omitto voces quas excepi ac notaui. Vt ab eo nunquam niſi ἔνθεος καὶ οἱονεὶ θεοφόρητος diſceſſerim: ἀκηκοὼς μὲν ἀνδρὸς, ὦ σεβάσμιον κάρα, τοῦ πάσης παιδεύσεως ἐπὶ τῷ τέλει, κατὰ τὸν Πλάτωνα, ὄντος· τὴν φύσιν μὲν δαιμονίου, τὴν κρίσιν δὲ εἰς τὰ ἔσχατα καὶ ὑπὲρ πᾶν θαῦμα ἠκριβωμένου. Τῶν μὲν οὖν τότε οὐ ἥρωος, ὦ φίλε καὶ θεῖε Κασαυβώνιε, τῶν καθ' ἡμέραν σκέψεων ἐστερημένος καὶ ἀπεζευγμένος, οὐ μόνον ἐν τοῖς κύκλῳ μαθήμασι προκόπτειν καὶ περὶ οὐδὲν τι πεπειρηκέναι εἰς τὸ μέλλον, ἐλπίδος ἕνεκα, πρὸς τῷ οἵῳ ἐκείνῳ ἀνδρὶ συνών, τῶν ἐσχάτων δὲ, ναὶ μὰ σὲ τὰ πρῶτα πάντων ὄντα, τῶν ἐπισημῶν ἅπτεσθαι πραγμάτων μοὶ ἐδόκουν· ἐκείνου μόνου παρόντος, πάντα τὰ μαν-

τεῖα καὶ χρηστήρια οἴκοι ἔχειν ὑπολαμβάνων. τὸ δὲ νῦν εἶναι, πολλὰ πρὸς ἐμαυτὸν, οὐκ ἀνδρὸς ἐστερημένος εἰμὶ, καὶ ἐξ οἵων οἵοις περιέπεσον διαγινούμενος, ἀβίωτόν μοι τὸν λοιπὸν νομίζω βίον. Denique, vt cum politiſſimo autore loquar, cum quo nemo lubentius quam ille loquebatur. *Lacrumo, quæ poſthac futura eſt vita, cum in mentem venit Solitudoque.* Nam quæ aliquod ſolatium adferre nobis poterant & aliis adferre credo, ea maxime nos cruciant. cum non modo manum eius quem tantopere dilexi, ſingulis diebus, in legatis eius video & tracto, ſed & nomen meum ea manu ſcriptum inuenio. Tanta enim viri illius ingenuitas ac candor fuit, vt locorum emendationes quas ex tempore ſuggeſſi aut cum eo obiter communicaui, nomine appoſito in margine expreſſerit. Quod in Herodoto Heſychioque factum. Hæc nunc nobis totidem ſunt cruces. Sed hæc hactenus. Quarto die, ſine vlla, vt præceperat, exequiarum pompa, ſolis præeuntibus maiorum inſignibus, tanto omnium ordinum, omnium ætatum, tanto vtriuſque ſexus concurſu ac ſtudio elatus eſt, vt viæ incedentibus anguſtæ, templum ab effuſa multitudine occupatum eſſet. Ego, quanquam excuſari maluiſſem, tamen exigentibus id à me Academiæ Curatoribus, ante omnia officii & pietatis ratione, qua ſola excuſari quoq; potui, oratione publica à funere defunctum proſecutus ſum; cuius concluſio lachrymæ fuerunt. quibus ἐμφατικώτερον quam voce cum præirem ipſe, eas auditoribus expreſſi. Sepultus eſt in templo Gallico, vulgo D. Mariæ dicto, iuxta locum ac ſubſellia è quibus conciones audiebat. Sepulchro ſuo verba hæc inſcribi iuſſit.

IOSEPHVS. SCALIGER. IVLII. CÆSARIS.

A. BVRDEN. FILIVS. RESVRRECTIONEM.

HIC. EXPECTAT.

Ex

Ex quo modeſtiam diuini viri, ex quo pietatem & τὸ ἀπείνητον, quod ſemper præ ſe tulit, facile agnoſces Monumentum illi publicum, aut potius Inſcriptio, à Curatoribus decreta eſt. quam cum Oratione noſtra & Epicediis accipies. Hic fuit exitus illius viri, quo maiorẽ aut qui plura ſciret, vix fuiſſe vnquam, ſemper iudicaſti. Certe nunquam ætas iſta, nunquam Academia hæc plus amiſit: quia Academiam amiſit quod de eo olim Nobiliſſimus vir Ianus Douſa Academiæ Curator publice teſtatus eſt. Hoc affirmare tibi poſſum, vos amicos eius, qui ex ſcriptis eruditionem eius æſtimaſtis, vix viceſimam illius partem ſatis perſpexiſſe. Præter enim omnium ætatum, & locorum, præter omnium temporum ac gentium hiſtoriam, præter omnium linguarum ac diſciplinarum ſcientiam, quod maxime in eo ſemper admirati ſumus, promptitudo fuit & memoria extemporalis: quæ tam bonum illi nomen erat, vt quæcunque legeret, teneret ac reconderet; de iis autem quæ recondidiſſet, quouis loco quouis tempore interrogatus reſponderet. non inter eruditos tantum, ſed & inter eos, qui in Rebuspublicis & aulis toti occupantur. Vt non modo res quæ quotidie geruntur, in Gallico præſertim regno, ſed & ſingulorum qui aliquo in eo eſſent loco, inſtituta, mores, ingenium ac conſuetudinem, in numerato haberet. Quæ res Præſidẽ Ianinum, cum hic eſſet, in ſtuporem dedit. qui deceptum ſe fuiſſe ab amicis affirmabat. Expectaſſe enim virum, ex eorum commendatione, eruditum: inueniſſe hominem qui nihil ignoraret. Nihil enim ſtudioſi hominis, nihil ex vmbra habebat. Forma eximia fuit: niſi quod collapſa tempora ac caua, ſæpe materiem iocandi illi darent. Statura non tam alta ac procera quam mediocri ac habili: quod non niſi ex aſtantis alicuius qui procerus eſſet comparatione deprehẽdebatur. Oculis ſagacibus, & qui illum animi vigorẽ præ ſe ferrent. Acutis autẽ adeo, vt vel

minimos quoſque ductus, minima quæque ac moroſiſ-
ſima Orientis puncta atque apices, qui, vt noſti optime,
aut offendunt vehementer oculos aut fugiunt, ad mortē
vſq; aſſequeretur. Mundiciarum in cultu ſummam ſem-
per rationem habuit: ab omni illuuie & ſquallore ad ſu-
premam vſque ætatem alieniſſimus. vt ne ſordem qui-
dem vllam aut capillum eminentem ferret. Barbam in
Batauia ſub ſenectutem tantum aluit: quæ & reliqua non
parum commendabat. Nam in Gallia, quod optime ami-
ci eius meminerunt, ſtrictius tondebat. interim & rade-
batur. Valetudine haud parum firma etiam hic vſus eſt.
niſi quod de duritate alui ac moroſitate ſæpius conque-
reretur. vt non aliam mortis ſibi cauſam fore apud me
non ſemel auguratus ſit. Interdum catarrho, nonnun-
quam & dolore coli tentabatur. Dentes, cum cætera
conſtarent, raros habuit: aliquamdiu ante obitum pro-
pe nullos. Vt panem ſiligineum, quo ſolo vti cogebatur,
ægre conficeret, interdum vix confectum in ſtomachum
demitteret. Sobriatatem & abſtinentiam in victu (quo
cum amicis exquiſito, ſed frugali, vtebatur) ſolus cum eſ-
ſet, nimiam plerumque adhibuit. Vt in cœna ſæpiſſime,
poſtquam diem integrum in ſtudiis fuiſſet, quod inpri-
mis in conficiendo nobiliſſimo Inſcriptionum Indice,
eueniſſe illi ſæpius recordor, nihil præter paucas paſſulas
& exiguum diluti guſtaret: plerunque Batauorum aqua
tenuiter cum frugibus cocta, ex more huius populi, con-
tentus. quod non dubito, quin ſtomacho ſenili, hominis
præſertim Galli, plurimum nocuerit. Amicitias vt ſancte
ſemper coluit, ita paucos amicorum loco habuit. Pau-
ciores admiratus eſt. ſed eos vehementer. Vt occaſione
qualibet eorum meminiſſet: ipſe candidiſſimus, & ab o-
mni adulatione auerſus. niſi quod non minus improbos
odiſſet, quam præclaros homines admiraretur. Et neu-
trum diſſimulare potuit. Nam ingenio vt viuido & i-

gneo,

gneo, ita heroico & aperto erat. Vt ſæpe cum adeſſem, de illo Philoctetæ apud Sophoclem (quem æque ambo mirabamur) cogitarem:

> Ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς,
> Οὔτ' αὐτὸς, οὔθ' (ὥς φησιν) οὑκφύσας ἐμέ.

Iræ incontinentior, ſed placabilis erat. Iniurias non paucas fortiter tulit. Conditionibus ex Gallia honeſtis huc vocatus fuerat: quibus cum diutiſſime reluctatus eſſet, neque tamen contemptum quorundam euaderet, qui non alia de cauſa eum oderant niſi quod tantus eſſet, magno animo contempſit. Et cum aliquando quædam eius generis quæ mihi eueniſſent, apud eum cum dolore depromerem, adducta fronte, Filii, inquit, Dei ſumus: exules ſumus. libertatem maximam hic conſecuti ſumus. quid vlterius deberi nobis putas? Tantum vellem, vt vel quidam eum irritaſſent parcius, aut ipſe rarius eorum meminiſſet. Nam contemptu vindicari poterant. Famam enim, eruditionem, mores, ingenium, vt longe ſupra cæteros euexerat, ita longe ab imperitorum contemptu & laudibus in tutum receperat. Quorum maledicta ægre ſi feras, finem ſuum conſequuntur: ſpreta, aut ſi riſu vlciſcaris, exoleſcunt & infamiam autoribus relinquunt. Adde quod reſponſo ſerio & graui magis irritantur. Sane ex omnibus quos eruditionis cauſa habuit infenſos, nemo fuit, qui, non dicam, paria in maximis cum eo fecerit, ſed qui tria Publii monoſticha, quæ me in ſtuporem ſæpius dederunt (neque ignoro quid tu iudices) aut duo Dionyſii Catonis diſticha, eadem venuſtate hactenus repræſentauerit. Probitate, pietate, caſtitate, vitæ temperantia, contemptu fortunæ, à qua ſemper generoſitate animi ac magnitudine ſe vindicauit, parem non habuit. Nobilitatem, aduerſus quam aliquid licere ſibi voluit improbitas, non ſcriptis tantum, ſed & vita, quotidiana conſuetudine, moribus, geſtibus, verbis ſingulis præclariſſim-

riſſime tutatus eſt. quæ inuicta argumenta ſunt. Maieſtatem enim nemo mutuatur, ſed exhibet. Et vt vixit, ſic deceſſit. Amicorum omnium, inter cæteros & tui, vt ex Raphelengianis, viris doctiſſimis probiſſimiſque, quos ſupremam voluntatem ſuam exequi voluit, præcepit, rationem habuit. Cæteris, τὸ κλαίειν καὶ οἰμώζειν reliquit. Pædagogica ingenia ad arrogantiam ac oſtentationem nata, odio fatali proſequi ſolebat, neque vnquam inter ſuos habuit. quibuſdam domo & familiaritate ſenſim interdixit. Atheos, & qui de verbo Dei parum reuerenter loquerentur aut ſentirent, odio inexpiabili proſequebatur. quos ſeueritate vultus & intuitu auerſabatur. vt ne mentionem quidem ferret. Et non vnum noui quem ex vultu oderat. qui & poſtea iudicium illius confirmarunt. Plurima denunciauit nobis quæ quam plurimis poſt obitum illius annis forte exitus probauit. quod diebus prope ſingulis in multis experimur. De calamitate Reipublicæ poſtrema ac recentibus his malis, quorum vix initia videmus, plurima prædixit: quæ quo euentura ſint expecto. Verſiculos non paucos, ſenex, admodum inuitus ac quorundam importunitate victus, edidit. quos ſenium ſpirare ac languere querebatur. Nos & Græcos vere & Romanos eſſe ſcimus, nam hoc proprium habebat. Iambi enim, quos edidimus, Moreles, ſicut ſponte ſcripſit, ita extra aleam ponendi ſunt. In quibus τὸ ἡρωικὸν καὶ δεινὸν, ſplendide ἐπιπολάζει. Græcos, paucos numero quos ſcripſit, ab antiquitate ſcriptos dicas. Nam quos vellet ex antiquis, vt volebat, exprimebat. Expedite & prompte, ſed indifferenter Latine loquebatur. Quod initio moleſtum illi erat: quia Galli lingua ſua ſæpius vtuntur. In epiſtolis quas concitatior aut tanquam editurus ſcripſit, admirandus ſplendor, αὐτοφυὴς δεινότης, vere ei propria, reſplendet: vt ex magnitudine fortunæ ſuæ & Scaligerorum

digni-

dignitate loqui videatur. In cæteris quæ ad amicos & ex tempore ſcribebat, ſumma caſtitas ſermonis & ſimplicitas elucet. Nam & raro circumducit, & nominibus plerunque verba ſingula ſubiungit. quod quemadmodum exiguam, vt Rhetores loquuntur, compoſitionis curam arguit, ita nihil minus quam anxietatem teſtatur. & interdum maxime eſt inimitabile. Quanquam de idiotiſmis eius ſcio quid inepti homines obiecerint. noluiſſe tamen edi omnia, quæ ita ſcripſit, cætera euincunt. Autorem nullum Græcum aut Latinum legit, quem non πρὸς ἀθέτησιν & deſignandam culpam, obelo notauit. Sed & locorum emendationes & interdum διπλᾶς χρήσεις, & μονήρεις λέξεις, & τὰς συμφωνίας, tam quæ res quã voces ſpectãt, & τὰς μεταθέσεις, aliaque id genus, ſedulo in margine aut calce libri quẽ legebat, ſemper deſignabat, quales habeo non paucos. Teſtamentum bis condidit: ſemel ante annos aliquot Latine: ſemel, ac poſtremo, Gallice, non paucis immutatis. quo & diſceſſit. Nam ne veteri diſcederet periculum non erat, quia voluntatem ſuam vt nonnunquam, quod iam dixi, immutabat, ſic mutatam ſemper teſtabatur. Scripta propria & Patris, quæ adhuc imperfecta erant, aut quæ edi alia de cauſa noluit, in publica Bibliotheca, cui præſum, ſeruantur. Quæ vero edi iterum voluit, aut emendata reliquit, fidei meæ credidit. Inter reliqua ſunt & πολυθρύλητοι illi Iulii Scaligeri in libros De Hiſtoria Animalium Ariſtotelis Commentarii. de quibus ipſa verba hic ponam: *Schedia Patris mei in dolio condidi, vna cum Commentariis eius in libros Ariſtotelis De Hiſtoria Animalium, quos maximi fecerim à Daniele Heinſio accurate recenſeri, & Prolegomenis præmuniri, vt ita in publicum emittantur: quod vt faciat, eum etiam atque etiam rogo. Quod ſi quid obſtiterit, quominus Heinſius illam editionem præſtare poſſit, tunc illi Commentarii intra Bibliothecam publicam contineantur: donec idoneus reperiatur qui editionem illam*

digne tueri poſſit. Quæ in vtroque teſtamento ſic leguntur. Atque in hoc opere non minus diligenter quam ſollicite verſari cœpimus; quantum tamen hactenus colligere potui, plura ſunt, vel tranſpoſita, vel mutila, vel alieno loco poſita, vel nondum abſoluta, quam vt ſit ſperanda editio. Quod non ignoraſſe τὸν μακαρίτην exiſtimo, qui non ſemel hoc nobis confeſſus eſt. Vt vehementer mirer, cur ſperare ab alio voluerit, quod tanto ipſe temporis ſpatio pro deplorato habuit. Non quin edi poſſit, ſed quod in tanti viri opere, non pauca, vel aliena, vel ab ipſo nondum expolita, ideoque exiſtimatione tanti hominis indigna, ſæpius edenda eſſent. Quod non temere ipſi committemus, qui non ignoramus, quantum permiſerint ſibi, quantum maximorum hominum exiſtimationi detraxerint, qui poſthuma eorum ſcripta diuolgarunt. quod Cuiacio & aliis hoc tempore euenit. Vtinam adeſſem tibi! Multum opera, conſilio, eruditione, ac iudicio, iuuare nos poſſes. In hoc opere præſertim, in quo multa ſunt δαιμόνια & plane tali viro digna, qui nuſquam tam libere, ab Ariſtotele, quem ſolum ſemper coluit præ reliquis, diſſenſit. Habes, vir maxime ac amiciſſime, non modo niſi fallor quod optabas, ſed &, quod fortaſſe nolles, omnia ἀπὸ τύχης, καὶ καθ' ὑπομνήματα, vt in mentem quæque veniebant. Reſtat, vt vterque noſtrum firmiora, partim quidem è memoria virtutis tanti viri, partim ex amore eius, quo, dum viueret, nos proſecutus eſt, ſolatia petamus: ita enim magis nos coniungi puto. Nam vt alterum præ reliquis dum vixit admiratus eſt, ita alterum teneriſſime dilexit. Vale, & amare me, vt ſoles, perge, ô maximum ætatis noſtræ decus, & qui omnium iudicio, ſublato ex humanis rebus illo Sole, Rex & Princeps rei literariæ relictus es. Lugduni Batauor. XXVIII. Martii CIↃ IↃC IX. Iterum vale. Et vt cum Ampliſſimo Thuano hæc communices, à te peto. qui & quanti fecerit τὸν μακαρίτην & me amet, ſatis noſti.

Meminit

Meminit huius Epiſtolæ Iacobus Auguſtus Thuanus libro De Vita ſua II. his verbis *Cum eo erat Siluius Ioſephi grandior natu frater. ad quem Iulius Pater poeticam ſcripſit, homo bonus, neque illiteratus. qui Commentariorum Patris in libros Ariſtotelis De Hiſtoria Animalium mentione iniecta, rogatus fuit à Thuano, vt eos recenſeret, nec diutius publico inuideret. Quod & ille in parte fecit, libro decimo publicato, quem Io. Stephano Durantio Senatus Toloſani primario Præſidi dedicauit. Ceteri poſt Siluii obitum in Ioſephi manus venerunt, qui eos ſecum in Batauos aſportauit, & Danieli Heinſio alumno ſuo moriens vulgandos reliquit. Sed ita confuſos & incaſtigatos, ſicut ipſe poſtea Heinſius ad Caſaubonum ſcripſit, vt de eorum editione deſperetur.*

Epistola CCCCLIV.

Is Caſaubonus Dan. Heinſio S.

Vir Clariſſime, Poſt longam & moleſtiſſimam tuarum expectationem, tandem illam χρυσοδαίζαξίαν epiſtolam accepi, quæ ſuper obitu τοῦ μακαρίτου ἥρωος ad nos ſcripta eſt. O quas ego tibi gratias referam pro tali officio! Quid rependam tibi ἀντάξιον vnius illius epiſtolæ? quicquid à me fuerit profectum, minus erit tuo munere. Gratias igitur agam tibi quantas poſſum maximas? Illum vero diuinum parentem noſtrum μακαρίζω τῆς τελευτῆς: in qua veræ pietatis & conſtantiæ tot edidit teſtimonia. Plura tecum de rebus meis cupiebam: ſed narrabit tibi hic vir honeſtiſſimus, quanta cum celeritate ipſo præſtolante hæc mihi exaranda fuerint. Plura igitur alias σὺν θεῷ: qui te & omnes amicos ſeruet. Inprimis Dom. Baudium. cuius epiſtola de rebus Theologicis iſthic turbatis magno mihi dolori fuit. Deus omnia componat, &

vos ſeruet. Vale. & me ama. Raptim, vi. Eid. Maij. clↄ Iↄc ix.

Amice Lector.

Sequentes epiſtolas, quæ poſt editionem cæterarum in manus noſtras venerunt, vt ſuo loco reponas, rogamus.

EPISTOLARVM APPENDIX.

Ex muſæo Petri Scriuerii.

EPISTOLA CCCCLV.

FRANCISCO DOVZÆ IANI F. S. Satis iam ſatis reporia vos habuerunt. Tandem noſtri eſtis. Gratulor vobis omnibus fauſtum reditum, atque adeo ſpero coram aliquando, quod nunc intra me capio, vobis profeſſurum gaudium de omnium veſtrum incolumitate. Interea mitto tibi epiſtolam patris mei, quam Ritterſhuſio debemus, cuius etiam tibi literas mitto. Non vacauit mihi illam deſcribere. Quare ſine impetrem à te, vt illam mihi deſcribas. Præterea quantum temporis occupationibus tuis ſuffurari poteris, id omne vt deſcribendis patris mei Commentariis impendas, oro atque etiam obteſtor. Quidam mecum de mora editionis expoſtulant, quaſi ea mea ſit ceſſatio. Nam odor illius operis ad eruditos iam vſq; peruenit, & feruet ſerio deſiderium illius editionis. Triduo ante aduentum veſtrum ſcripſit ad me Franckera Lydius, multos in Friſia bellum ciuile ſpirare, propter magiſtratuum inter ſe periculoſas dimicationes, quæ nihil quam exitium & internecionem parturiunt.

Digitized by Google

turiunt. Vos certiores nos ea de re facere poteſtis, qui nuper hinc pedem extuliſtis. Vale. Parentem vtrumque, & fratres à me, ni graue, ſalutabis. Lugduni Batauorum. vii. Cal. Septemb. Iuliani cIɔ Iɔc.

Epistola CCCCLVI.

Amſtelradamum.

Petro Scriverio. Ex binis tuis literis didici quomodo te exceperit Ardelio. Non me feſellit, neque enim potuit aliter homo nulli fidei hominem probum. Aliam viam tento, quo illi eripiam bolum ex faucibus. Non tantum rei æſtimatio, quantum nebulonis improbitas me tangit. Sed talem reperiſti & expertus es, qualem tibi depinxeram. Ego vero, mi Scriueri, magnas gratias tibi ago, quod mea cauſſa volueris cum illo monſtro verba de meo negotio facere. Nam quod aliter ſucceſſit, improbitati eius accepto ferendum. Itaque Magum iſtum miſſum faciamus. Scito, ex quo tempore me non vidiſti, mihi peſſime fuiſſe: & nunc, quum hæc tibi exarabam, magno in languore eram. Sed paulatim hæc remittunt. Omnino ſanum me & bene valentem primo tempore videbis. Vale, mi Scriueri. vii. Eid. Ianuarii cIɔ Iɔci.

Epistola CCCCLVII.

Petro Scriverio. Heri, mi Scriueri in colloquio noſtro oblitus ſum tibi vellere aurem de illo Gloſſario, quod ais eſſe apud Commelinum, vbi citantur Cæcilii & aliorũ veterũ teſtimonia. Memineris ergo inſpicere, ne fortaſſe ſit quod pueri in faba. Præterea audio apud eundem Commelinũ eſſe venales Syneſios Græcos

typis

typis Regiis. Si ita eſt, oro te, vt mihi vnum compares. Statim vbi attuleris, pretium perſoluam. Vt melius noueris libros, quos habet Commelinus, opus eſt, vt te in conclaue illud conferas, vbi ſunt libri quos Lutetia Hieronymus Commelinus ſecum detulerat. Ibi, oro te, nota num aliquos Græcos, quos non habeam, videbis. Nam retinendo nomina eorum, facile indicare poteris mihi. Vale, & nos ama. v. Calend. Decembr.

EPISTOLA CCCCLVIII.

PETRO SCRIVERIO. Mitto ad te, mi Scriueri, epiſtolam communis vtriuſque noſtrum amici optimi viri I. Gruteri. qui non ſolum expoſtulat tecum moram editionis Martialis, quam certe excuſare non potes; ſed etiam quia putat tibi conſtitutum eſſe eam premere, à te rem iuſtiſſimam, lectiones varias Codicis Thomſoniani exigit. Si publicationem Martialis nobis negare potes, hoc tamen amicitiæ non potes. Vide quid ſtatueris de iis omnibus, quæ in Gruteriana ad me epiſtola concepta ſunt. Certe vt in hac parte illi ſatisfacias, quod quidem effugere non potes: at iuſtiſſimas querelas de ſuſpenſa Martialis editione non declinabis, præſertim Domini Legati, qui non ceſſat me obtundere de hac editione, quia ego nomine tuo meam fidem obligaui. Hodie mane Grutero antequam eius literas acciperem, ſcripſi. Decreui ei reſpondere. An & tu vna tuas miſſurus ſis, quamprimum fac me certiorem, vt ſi quid ad eum mittere decreuiſti, id ego in faſciculum meum coniiciam. Vale.

EPI.

EPISTOLA CCCCLIX.

Amſtelradamum.

PETRO SCRIVERIO. Aduenienti nunc mihi Haga oblatæ ſunt literæ tuæ: quæ vt mihi iucundæ fuerunt, quod ex illis perſpexi tibi bene eſſe inter tuos & in quotidianis conuiuiis; ita non mediocri ſolicitudine me affecerunt, quod per illam abſentiam tuam Martialis tuo prodire non licet tamdiu ab omnibus expectato. Quod ſi tantum me poſſe putarem ab eloquentia, vt meis verbis te iſthinc extrahere poſſem, certe neque copiæ verborum parcerem, neque nimis longam putarem eſſe orationem, quæ modo poſſet expugnare neceſſitatem illam, quæ te compede vinctum inter iſtos θρασῶτας detinet. Quæcunque illa eſt, ſiue vis maior, ſiue voluntas tua, quæ te nobis ſurripit, non poſſum facere quin Martialis vicem doleam, quem iam prælo datum putat Gruterus noſter: cuius literas miſi nudiusſextus. Eas te accepiſſe non ſignificaſti literis tuis illis, quas modo accepi. Miſerat præterea libellum Epigrammatum Chriſtianorum, quæ in Baſilica Petri & aliis Eccleſiis Romæ leguntur: de quibus quid mei iudicii eſſet, exquirebat, & an digna eſſent, quæ cum reliquis Inſcriptionibus ederentur. Mihi viſum vt propter argumentum potius, quam propter characterem ſermonis ederentur. Nam quum nulla in illis elegantia ſit, multis vero maculis & barbariſmis inquinata ſint, videbantur non tanti eſſe quanti ea charta, in qua excuderentur. Sed quia multa hiſtorica in ſe habent, quæ nuſpiam extare puto, certe maior pars ignoratur, propterea auctor illi fui, ne cum aliis edere vereretur.

Quod de illa quadriga doctorum hominum quæris, de qua Arnaldus in ſuo νουθετικῷ ad Regem innuit; ego neminem puto aliunde ſcire poſſe quæ ea ſit quam ex

ipſomet

ipſomet, qui illam nobis diuinandam propoſuit. Maffæus ille, de quo agebat tecum, quiſquis eſt, vir eloquentiſſimus eſt, ambitioſæ tamen magis, quam caſtigatæ facundiæ. Nam multum luxuriat eius oratio. Scripſit Hiſtoriam rerum Orientalium ſub Regibus Luſitaniæ geſtarum. quod argumentum vir & ipſe facundiſſimus antea executus erat Oroſius. Sed vere dicam: ego multos L** doctos ſcio eſſe, neminem tamen in ea ſocietate expediuiſſe iaculum vltra terminum, neque eum gradum attigiſſe, ad quem peruenerunt, qui L** non fuerunt; qui non tantum laudem, vt illi, ſed & admirationem meruerunt, quam illa ſecta nondum meruit.

Sed quid tu ἐν τῷ λοιμοῦ πεδίῳ facis? Anditius hiccebis? Puta & illam luem & in conuiuiis poſſe locum habere. Tu videris. Vale. XI. Calend. Decemb. cIɔ. Iɔc II.

EPISTOLA CCCCLX.

PETRO SCRIVERIO. Ergo ſtat ſententia iſthic hærere ſemper? quaſi * * * ſit ſontica cauſſa, cur tuam fidem liberare non debeas, quam ego præſtare teneor Grutero, & omnibus, quibus ſpem editionis nouæ Martialis feci? Iam ſub prælo opus eſſe putatur, & vos veſtros * * * * * *. Totum menſem te iſthic moraturum alteris literis ſcribebas, qui iam prope ad exitum ſpectat. Sed vereor, ne & Genialis December te totus totum ſibi vindicet. Tu videris.

Epigramma in Pompeium, non eſt Martialis, ſed illius qui Pompeium vidit. Nam tot annos ita ſcribere de Pompeio, tanquam præſente, ridiculum. Eſt Pub. Varronis Atacini.

Quis Turſellinus ſit iſte, cuius iam primum nomen audio, quis Serarius, & Quadriga, iuxta cum ignariſſimis ſcio.

ſcio. Neq; libenter L* opera lego, qui nihil noui me docent, & præterea maledicis ſcriptis ſuis & virulenta lingua me à ſui lectione tanquam furcillis aſpellunt. Ego illud genus hominum nihili facio. Tu de Martiale cogita. Vale. Lugduni Batauor. IV. Kalend. Decemb. clↃ IↃc II.

EPISTOLA CCCCLXI.

PETRO SCRIVERIO. Mi Scriueri, prouocor à Grutero & Thomſone reſpondere ſuper iis, quæ ambo in poſtremis ſuis ad me literis de Martiale tuo ex me quæſiuerunt, neque poſſum illis ſatisfacere priuſquam conſilium tuum ſciuero. viſum eſt mihi te iterum compellare, quid me cenſeas illis reſpondere; vt ſi non promiſſione aliqua eorum animos expleam, ſaltem vt aliquo ſpecioſo reſponſo meam fidem liberem. Nam, quæ tua eſt in ſupprimenda illa editione perſeuerantia, ego deſperaui vna cum omnibus vtriuſque noſtrum amicis, illum Martialem in lucem proditurum. Et quamuis hæc ſummo cum dolore ad te ſcribo, qui non minus exiſtimationi tuæ faueo quam publicæ vtilitati, oro te tamen, vt mihi præeas quid ſcribam tam illis quam Senatoribus Pariſienſibus, Marco Velſero, & aliis optimarum artium vindicibus, apud quos promiſſa tua mendacii me obligarunt. Vale.

EPISTOLA CCCCLXII.

IANO DOVZAE *Curatori Academiæ*, S. Nobiliſſime Douza, quid ego in me admiſerim quare ego deteriore conditione ſim, quâ alii, non video. Hodie quamuis ſero, tamen omnes Academici ſtipendia ſua accipiunt. Ego

relictus

relictus in ſubſiciuis quid ſperare debeam, niſi tu & amplissimus collega tuus cauſam mihi aliam expoſueritis, equidem neſcio. Heri adiuua Theſaurarii famulum meũ conuenit: quominus nummi mihi dinumerentur, nullam aliam cauſſam eſſe, niſi quod nullam iuſſionem à vobis ex more acceperunt. Nam ὁ δεῖνα, cuius partes erant eam dare, nullam dedit, cum Reipublicæ cauſſ. Hagæ eſſe; neque ante octo dies rediturum. Si mihi, mi Douza, ſub tam lentis maxillis comedendum eſt, malo profecto eſurire, quam quod vobis acceptum refero, aliis debere. Oro igitur, niſi vobis graue eſt, vt nobis illam ordinationem veſtram tam annui honorarii, quam penſionis ædium, mittatis. Iam finis Februarii inſtat, & tamen hactenus res Academicis ſoluta non fuit: quod pudendum vobis bene eſt: mihi vero dolendum, quod quando mihi ſoluetur, neſcio. Vna ſpes eſt in vobis, quos penes omne ius eſt. Neque alio mihi confugiendum eſt. Nam illis, qui me pro non nato habent, certum eſt me nunquam ſupplicem fore. Cæterum opus, quod in manibus habeo, quodque prope affectum eſt, & lucem videre geſtit, fidem implorat veſtram, ne vnius hominis negligentia in ſalebris hæreat, & pudore lateat iniuriæ, quæ auctori facta eſt. Vale, mi nobiliſſime Douza. Lugduni Batauor. IV. Calend. Martii cIↄ Iↄc III.

EPISTOLA CCCCLXIII.

CORNELIO van DALE, *ſuo S.* Quam iucundæ mihi fuerint literæ tuæ, quam me hoc facto tuo deuinxeris tibi, melius ex me ipſo audies, quam ex his literis intelliges, quibus gaudium meum committere non potui, quia nunquam tantum, quantum cepi, exprimere poſſunt. Rumor de valetudine ſummi viri Iuſti Lipſi valde me &

me & amicos conturbauit: neque iſtis finibus conſtitiſſet dolor meus, niſi literæ tuæ melius nos ſperare iuſſiſſent: quibus hoc debemus, vt lugere deſinamus, & diuturniores fructus & amicitiæ tanti viri & induſtriæ nobis promittamus. Oro te, mi Corneli, ſi incideris in Io. Wouvver Antvverpienſem, vti eum à me ſalutes. & illi dicas me ſtatim ad illius literas reſpondiſſe, atque meas vander Milio noſtro dediſſe, qui recepit ſe recte illas curaturum. Velim ſcire, an eas acceperit. Nam nihil eſt, quod magis metuamus, quam ſuſpicionem negligentiæ incurrere. Ad omnia enim amicorum ſcripta ſtatim reſpondemus, tam officii cauſſa, quam, vt dixi, ne nos aliqua ſuſpicio perſtringat. Ex iis, quas ad Scriuerium noſtrum dediſti, intellexi, Iuſtiniani Nouellas, cum Iuliano Anteceſſore te curaſſe, quem librum fruſtra diu quæſiui. Gaudeo te amici deſideria non neglexiſſe. Nummi tibi ſtatim reddentur. Sed non minorem à me gratiam inieris, ſi Burchardi Decretum, Coloniæ olim excuſum, & Muhamedem Albateni Aſtrologum, nanciſci poteris, quos libros neque Francofurti neque hic reperire potui. Vbicunque ſint illi; ſcio non alia de cauſſa latere, quam quia vulgo negliguntur. Sed tu fac cito redeas; & Andream longe optimum & doctiſſimum virum, atque illud ſidus literarum Iuſtum Lipſium, meis verbis ſaluta. Lugd. Batauor. VIII. Cal. Iuni. CIↃ IↃC III.

EPISTOLA CCCCLXIIII.

AMICO CVIDAM, *Salut.* Nudius-tertius accepi quædam excerpta ex Scholiaſte malo Iuuenalis, neque malo tantum, ſed imperitiſſimo. Dicis te in Iuuenalem aliquid moliri. Ego, ſi mihi qui te longa ætate prætereo vllam fidem habes, autor tibi ſum, vt antequam aliquid

edas, prius deſcendas in te ipſum, & perpendas, quid ferre recuſent, quid valeant humeri. & vt vno verbo dicam, diſce prius quam doce. Nam ſi ii, qui totam ætatem in litteris triuerunt & optime de illis meriti ſunt, non potuerunt effugere morſum Momi, ſi inquam non raro illis contingit humanitus peccare, quid de te fiet, qui neque ad eam ætatem peruenisti, quam poſtulat ratio, vt doctus vel mediocriter euadas, neque eam eruditionem conſecutus es, quam non potes ſine ea ætate? Nuper poſtremis meis tibi gratias de tuo Arnobio egi. Noli putare me tibi gratias agere de libro, ſi aut errores per ætatem commiſeris, aut ſi non ex dignitate talem autorem exornatum dederis, vt non ſit locus reprehenſioni. Non, inquam, pro eo ago tibi gratias, ſed pro bono in me animo tuo, quo potes quidem per me contendere cum iis, quibuſcum fortaſſe non potes eruditione. Sed amice, vter noſtrum maius ludibrium debebit, tu qui auſus ſis autorem, quem vix docti attrectare audent, tanquam meliorem à te factum edere, an ego, quem tu in tua præfatione vltro appetiiſſe amicitiam tuam dicis? Quid amici mei dicent quibus bene notus ſum, adeo me pauperem amicorum fuiſſe, vt neceſſe fuerit me ambire amicitiam tuam, quod te prius noſſem quam tu me? Quod verbum tibi excidit? Vis, mi Amice, rem gratam mihi, tibi perhonorificam facere? Ede tuum * * ſine Epiſtola, aut ſaltem elige aliud nomen, quam meum, quo proſcribas frontem editionis tuæ. Ego malo animum tuum, quam * *. Poſſum etiam ſine te potiri eo, ſed te nolim carere amico meliure tamen conditione quam iſta. Tu audes multa quod ego non auſim, non alius qui meliore ſit ingenio, non dicam quam ego, ſed quam quiuis bene doctus. Paterno animo hæc tibi dico, tu cape filii obſequio. Sin autem, vide ne facias, quorum te pœnitere neceſſe ſit, ſed tunc cum

Digitized by Google

tum locus non erit pœnitentiæ. Oro te per amicitiam noſtram, vt nomen meum tollatur de tuo * *. Si feceris, ex animo amicum magis efficies. Si non, quidquid ſequitur ex hoc euenerit, eius omnem in te, non in me culpam deriuato. Diſce modeſtiam perſequi, dum habes qui te paterna beneuolentia moneat. Itaque quamprimum exſpecto quid ad hæc reſpondeas. quod vt facias, etiam atque etiam oro. Vale. v. Non. Quintilis Iuliani cIↃ IↃc III.

EPISTOLA CCCCLXV.

FRIDERICO TAVBMANNO, S. Tuum Plautum, quem meum ex parte quoque eſſe voluiſti, accepimus Taubmanne. Gratias tibi agere non dubitarem, ſi me tanto honore dignum eſſe arbitrarer. Quia vero, quantum ab eo merito abſum, mihi conſcius ſum, nullas alias agere poſſum, niſi quas fateor me non poſſe agere. Hac imbecillitatis meæ confeſſione plus grati animi profitebor, quam ſi vllo teſtimonio meo me tanti beneficii magnitudinem æquare poſſe confiderem. Continebo igitur me intra fines modeſtiæ, & me in tuo ære eſſe, & non poſſe diſſoluere, ſat eſt, ſi tibi probare poſſim. Sane non oportebat vt ad bigam illam me funalem equum adiungeres. Illi poſſunt ſuſtinere dignitatem honoris, quem illis habuiſti: ego, quomodo tertius illis accedere debui, nõ video; niſi quia, id iudicio à te factũ, alii fortaſſis exiſtimare poſſint. Ego vero, amore potius in me hoc accidiſſe, interpretari malim, quam meum cũ illorum captu contẽdo. Vtut hoc acciderit, bis me à te obrui ſentio: &, quod mihi vigilias tuas dedicaueris, &, quod tam præſtantium virorum pari me adiunxiſti. De iſto autem tuo Opere nihil aliud dicam, quam, in eo vbique & iudicii & ingenii,

Digitized by Google

& induſtriæ tuæ manifeſta exſtare veſtigia: vt, cum in illud omnium ſuperiorum interpretum labores contribueris, plus præſtiteris, quam ipſi. quod ii quiſque pro parte ſua Plautum ſibi deuinxerint; tu ex omnium illorum lucubrationibus totum tuum feciſti. Habeo igitur illum Comicum, non ſolum, vt antea, comitem, ſed etiam magiſtrum: quia ex tuo Commentario non minus doctus, quã ab eius lectione hilaris fieri poſſim. Quũ hæc ad te ſcriberem, vix defunctus eram moleſtiſſimo languore, qui me pene totum exinaniuit, vt vix iſtis ſcribendis manus ſufficeret. Itaque longiores ad te ſcriberem, ſi per imbecillitatem liceret: quam vt excuſes, & meum benegratum animum boni conſulas, etiam atque etiam oro. Vale. Lugduni Batauorum, III. Eid. Martii Iuliani cIↄ Iↄc VI.

EPISTOLA CCCCLXVI.

PETRO SCRIVERIO, *ſuo S.* Remitto tibi, *mi Scriueri*, Martialis recentem editionem. Pueri Hiſpani, *cuius* Hypomnemata acceſſere, præclarum ingenium eſt, & bona indoles: ſed quam deprauare poſſit φιλαυτία. Cuius rei non pauca in hoc Commentario veſtigia reliquit, partim magnis viris inſultando, partim locos veterum ſcriptorum alio verſum, ac oportet, detorquendo. Quare tuum eſt, ſi videtur, indicare ſtrictim omnia & lectorem incautum admonere; idque cum maiore modeſtia quam ipſe fecit. Nam, vt caſtigationem meret propter iuueniles, vel potius pueriles inſultus; ita propter egregiam indolem ratio eius habenda eſt. Sed non diſſimulandum quoque, eum multa denuo inculcare, quæ iam notata ab aliis ſunt & obſeruata, auctoribus celatis. Quod vitium ei commune eſt cum Marcilio. Tamen in

Gallia

Digitized by Google

Gallis iam doctiſſimi nomen aſſecutus eſt. Quid mirum? Vulgus non inuitum ſolet laudare, quod ab iis, quos ipſum laudat, proficiſcitur. Inprimis, vbi ipſe petulanter Grutero obtrectat, ſerio monendus eſt: ſed ſobrie, idque cum cumulo laudum Gruteri potius, quam cum præfracta obiurgatione adoleſcentis. Certe, quod dixi, ſi luxuriem illam ingenii aut ætas maturior aut doctorum caſtigatio coercere poterit, frugem faciet. Video enim, eum Italice, Gallice, Belgice, peritum eſſe. Ideo tum maxime laudandus eſt quum à te caſtigabitur. Vale, mi Scriueri, & hoc age, Lugduni Bat. cIↄ Iↄc VII.

EPISTOLA CCCCLXVII.

MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, *ſuo S.* Qui factum ſit, quo minus literæ meæ priores ad te peruenerint, non minus miror, quam doleo. Eæ ex Germania ad me remiſſæ ſunt, & aliquot menſes ſepoſitæ à nobis, dum captamus occaſionem illas iterum ad te mittendi neque profecto illas periiſſe puto, ſed quum ex alteris ædibus in has inigraremus, vna cum aliis ſcriptis meis locum mutarunt: vt non minor labor quærere ſit, quam deſperatio eas inueniri poſſe. In illis igitur gratias tibi agebam de Parænericis tuis, quod opus valde me oblectauit: atque vtinam plura huiuſmodi à te impetrare poſſimus. Quia igitur amiſſione priorum literarum accidit, ne gratias tibi agerem quas debui, ego iſtis dupliciter tibi eas agere debeo, tam nomine eius libri, quem ad me miſeras, quam eius, quem proximis nundinis autumnalibus à te accepi. vtrumque munus diuerſo tempore acceptum eodem tempore me gratias tibi agere poſtulat. Quidam reſpondent Furiæ illi, cui tantum otii ſuperfuerit ad mentiendum, vt omnia portenta veteris memoriæ,

& monſtra vicerit. Sed ita eſt ſæculum, vt omnis impunitas maledicendi ſit, de Republica autem literaria benemerendi nulla merces relicta, præter eam quæ à ſycophantis expectanda eſt. Venimus ad ſummum, mi Goldaſte, vt quidquid operæ in publicum bonum contulimus, eius nos pœnitere debeat. Certe pro tot vigiliis nihil mihi relictum eſt, præter pœnitentiam vitæ in literis tranſactæ, quam felicius in otio peragere poteram. Tu vero propterea noli deſpondere animum, quandoquidem cœpiſti ita, vt deſinere honeſte non liceat. Vale, Lugduni Batauorum VI. Calend. poſteriores Martii Iuliani CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO. In alteris literis, quas ſimul cum his accipies, excidit mihi res, quam in extremis ponere non debeo, tantum abeſt, vt obliuione præterire. Habeo in animo ſecundam Euſebii editionem inſtituere, & in ea periodum Victorii Paſchalem edere. Eius periodi exemplar habeo, ſed multis partibus mutilum, & vſu detritum. Oro te, mi Goldaſte, vt tui mihi copiam facias, & per mercatores, qui ex nundinis reuertentur, fac vt quam primum accipiam. Hoc beneficio non ſolum de nobis, ſed etiam de Repub. literaria bene merebere. Si proximis nundinis illud exemplar accepero, autumnalibus illud vt recipias, ſedulo curabo. Vale. Kalendis Martii Iuliani CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA CCCCLXIX.

Sequuntur Epiſtolæ quas habere potuimus, quæ ad vocationem viri Illuſtriſſimi in Bataviam pertinent: inter quas & aliquot ipſius.

IANVS DOVSA, DOMINICO BAVDIO, *ſuo* S. Doctiſſime Baudi, Lipſii abitu quantam Academia noſtra plagam acceperit, non te præterit. Et nunc ſucceſſor quæritur. Sed quis ille tantæ perſonæ capax? niſi tu Scaligerum illum dicas. de quo adipiſcendo, quum tu per Crucium nobis ea quæ maxime volumus atque optamus, denuntiari curaueris, viſum eſt faciundum, vt priuſquam tanti viri vocationem publicitus inſtitueremus, ſententiam priuatim prius eliceremus tuam: quam ne diutius nos celes, te, veterem Academiæ noſtræ alumnum, & publice & priuatim obteſtamur. Eius rei cauſa hæc legatio potiſſimum ad te inſtituta per iuuenem, non indignum, cuius fidei, ſi quid de Scaligeri voluntate propius compertum atque exploratum habueris, audacter ſine cura omni credere poſſis. Tuo enim hic nobis conſilio inprimis opus; teque haud illubenter Lyceo noſtro gratificaturum hanc gratiam, perſuaſiſſimum habemus: cætera & prudentiæ tuæ & Tuningii noſtri (id enim ei nomen, qui has adfert, Iuris in Academia Lugdunenſi Profeſſor) perſpectiſſimæ fidei atque induſtriæ relicturi. Tuum porro fuerit adiuuare in partem, vt impetrabiles ſimus; quod ſi conſequimur, omnia à te nobis data putabimus, mutuum facturi, quum voles. Vale, mi Baudi, ac Douſam tuum ſolens ama. Raptim, Hagæ-Comitis XIV. Calend. Octob. CIƆ IƆ XCI.

EPISTOLA CCCCLXX.

Curatores Academiæ Lugduno-Batauæ, & Conſules eiuſdem Ciuitatis, Illuſtri ac Nobiliſſimo viro Ioſepho Scaligero, magni illius Cæſaris filio, Literarii Senatus Principi S.P.

QVod nunquam ſperaueramus, id neſcio quo fato ex tranſuerſo nobis ſubito obiectum, Vir Illuſtris ac Nobiliſſime. Lipſius noſter, abdicato in perpetuum docendi munere, quo annum iam decimum tertium Lugduni noſtræ glorioſiſſime perfunctus eſt, profeſſioni ſuæ renunciauit, ad auitos Eburonum fontes profectus: atque huic Academiæ ſupremum vale dixit. Cauſam requiris? Valetudo obtenditur, morbus hypochondriacus ſcilicet; cui plus quam ſontico ex ſoli mutatione leuamentum, è Spadanorum laticum vſu remedium quæſitum. Sed enim humana humanitus ferenda: & nos (quoniam Lipſiano animo obfirmatum videmus non redire) tanti Doctoris deſiderium ſpe valetudinis eiuſdem conſolamur: quam quotidie in melius ire (vti nobis ex ipſius literis compertum) & Lipſio & Muſis in commune gratulamur. Diſtractionem dolemus; eo acerbiorem, quo dignum huic Alexandro ſucceſſorem reperiundi tenuior ſeſe ſpecula oſtendit. Etenim Semonum iſtiuſmodi quam cara hodie annona ſit, vides. In qua cura anxie dum verſamur, ecce tibi auſpicato noſter Baudius, qui interuentu ſuo Academiæ caliganti bonæ ſcæuæ faculam alluxit primitus: neque nos, penes quos Academiæ cura, ſollicitos eſſe diutius paſſus eſt; plena fiduciæ ſcilicet Lipſium Scaligero commutandi ſpe oſtenſa; ſtudium præterea ſuum in te nobis conciliando commodatum haud ſomniculoſe pollicitus; curamq; adhibere omnem, vti impetrabiles, votique compotes fieri, haud indigni exiſtimemur. Operam proinde noſtram à ſtudioſis haud deſiderari diutius paſſi, vocationis huius ergo Senatum

fre-

frequentem in ſuffragium mitti, operæpretium iudicauimus. nec multis tamen ſermonum lenociniis ad perſuadendum opus fuit, ita pronis animis, ita ſolenni plauſu & gratulatione omnium, hæc relatio excepta. Quid quæris? diſceſſio ſtatim ac decretum in eam ſententiam facta, vt eius rei ergo ex corpore Academico hanc legationem ad te, vir Nobilium doctiſſime, ac Doctorum nobiliſſime, publico nomine, Gerardum Tuningium & Dominicum Baudium mitteremus: vtrumque apud nos legum Doctoris titulo cohoneſtatum, illum etiam Inſtitutionum profeſſorem. Summa conditionis, quam deferimus, hæc eſt: vt in Lyceo Lugdunenſi Lipſianam, hoc eſt, vnicam hiſtoriæ Romanæ reique antiquariæ profeſſionem, tanto Atlanti ſuccidaneus Hercules, pro dignitate ſuſtineas. Reliqua ex Tuningio & Baudio noſtro cognoſces, quorum hac in re fidem minoris caue quam publicam ducas. Etiam Tuningio hoc negotii publicitus iniunctum, vt te, donec res tuas in Galliis conſtitueris, iſtic præſtoletur: videlicet vt ſit, qui te ad nos proficiſcentem deducat, ac proſequatur, ſed tamen quod commodo tuo fiat. Quid reſtat igitur, niſi, vt quantum poteſt, è tempeſtatibus iſtis plus quam decumanis, in hunc tranquillitatis portum te conferas, luminis tui ſplendore Batauiam noſtram irrigaturus? Quod vt facere properes, vniuerſi ac ſinguli, publice priuatimque te quæſumus atque obteſtamur; per gloriam maiorum tuorum; per Scaligeræ gentis genium; per magni parentis merita in rem literariam; per Lipſium tuum denique, quem, ſi quidem etiamnum adeſſet nobis, alii nemini, quam tibi hanc lampada in decurſu traditurum fuiſſe, perſuaſiſſimũ habemus: quod quoniam locorũ queis diiungimur prohibet intercapedo, quæ præſenti vtiq; haud grauatim fueras gratificaturus, abſenti certe non denegabis. Aue Galliæ tuæ Phœnix, nec (ſi tibi placuerit hæc conditio)

rei literariæ candidatos tuæ eruditionis deſiderio obſanguere diutius patere. Lugduni Batauor. CIↃ IↃ XCI.

Ex Decreto Curatorum & Conſulum.

EPISTOLA CCCCLXXI.

IANVS DOVZA Q. SEPT. FLORENTI CHRISTIANO *S. dico.* En iterum à Lyceo noſtro ſuccidanea ad Scaligerum veſtrum *Legatio*, cum mandatis ſolennibus, hoc eſt, publica Batauiæ *Ordinum* auctoritate. Hui, tam tarde? inquies. Fateor, mi Chriſtiane. Sed quid agas? vtcumque in alto ventus eſt, exin velum vortitur. & vide, obſecro, *σύζευγμα*. Poſt Tuningii noſtri è Galliis reuerſionem vnus nobis labor etiam reſtare viſus, ad obtinenda ea quæ petebamus, vt rationem iniremus, ſcilicet, qua difficultates itinerum ſuperari, ac Semoni huic veſtro cum Theſauris ſuis librariis tuto ad nos euadendi commeatus præſtari poſſet. Neque enim iam de tam ſinceri animi voluntate planius percognoſcenda vlterius nobis laborandum videbatur: de qua non ſolum Tuningii relatio, ſed vero ipſius Scaligeri literæ, Academiæ nomini inſcriptæ, abunde nobis fidem fecissent. In qua cogitatione dum verſamur, ecce tibi de improuiſo vnus & alter ſuſurrones, quibus Parthorum ritu tela auerſis iacere, & quidem venenata, conſuetudine iam pridem in naturam vertit. Hi Scaligeri dictorum comitatem aliouorſum, hoc eſt, aulicum in morem, pro ingenii ſui verſutia interpretantes, bonum publicum corruperant, glaucoma eorum luminibus obiecta, penes quos id temporis potiſſima Academiæ noſtræ curatio. ſed hunc nimbum cito tranſiiſſe lætor, poſtquam iſtorum tenebrionũ fucus ac malignitas detecta; ſimulque à gubernaculis depulſi illi, quorum inconſulta cre-

dulitate

dulitate effectum, vt ob paulam pæne ſemeſtrem Scaligeræ vocationi interpoſitam, negligentiæ patrocinium neceſſario nobis quærendum videretur, niſi apud iudicem tam beneuolum ceſſationi huic noſtræ veniam paratam eſſe, ſatis acceptum haberemus, cum nobilitatis eius genio, tum tua potiſſimum interceſſione confiſi. quam rei porro literariæ gratificari v. perſeueres, multis adeo precibus exambirem, niſi ipſe omne hoc blanditiarum genus ex noſtræ amicitiæ neceſſitudine non ita pridem ſublatum eſſe voluiſſes: operam tuam hac in re vltro nobis deferendo, ſine fuco & fallacia omni, more maiorum, miſſis inſuper priuatim electiſſimis libellis tuis, non modio, neque trimodio, verum ipſo horreo. quorum lectione ego neque Perſarum montes, neq; vniuerſos Arabum theſauros commutauerim. In his igitur acquieſco, & vix eſt, vt vel Philoctetem tuum, vel Irenam vnquam de manibus ponere ſuſtineam. nam de Tetraſtichis iſtis Pibrachianis quid dicam, quæ quidem ego propemodum legendo ac relegendo contriui? Tantum Septemthebanam addidiſſes vellem, faxim ne quid ſcriptorum tuorum in Batauia deſideraremus. Viden vetuſtæ familiaritatis fiducia quid facit, qua ſane ego apud animum meum nihil carius habeo. Quid? enim oblitum me arbitrare conuictus illius Muſici ſuauitate, qui mihi tecum ante annos triginta Pariſiis fuit? Qua quidem felicitate, ſi diutius perfrui ex ſententia licuiſſet,

Rex fueram. Regem quid loquor? imo Deus.
Hoc faciunt Veneres & millia multa leporum,
Quaque verecunda gratia fronte ſedet:
Hoc mores meruere probi, hoc facundia, quodque
Geſtares ſtudiis corda propinqua meis.

Dabis veniam, vir Clariſſime, quod nouo atque incompoſito literarum genere te compellare auſus fuerim,

præ-

prætextatæ amicitiæ fiducia adductus potiſſimum, cuius ruminatione apud animum meum nihil carius habeo.

EPISTOLA CCCCLXXII.

IOSEPHO SCALIGERO, S.P. Vt nihil nobis acerbius fuit, vir Illuſtris, quam te literarum noſtrarum alloquio, ſic rurſus nihil iucundius, quam non omnino nos fructu deſiderii noſtri caruiſſe. Quod iam amplius quam deſiderium. Etenim certiſſimæ ſpei atque exſpectationi allucet facem. Itaque quantum nobis moleſtiæ attulit literarum, è quibus mentem noſtram abunde perſpicere potuiſſes, amiſſio, tantum fiduciæ tribuit ad hanc petitionem tuarum lectio, in quibus egregiæ cuiuſdam ac ſingularis erga nos beneuolentiæ ſignificatio continebatur. Nam vt illius incommodi cauſſam fortuna, non culpa ſuſtinebat, ita hoc benigniſſimæ voluntatis tuæ teſtimonium non niſi certæ cuiuſdam felicitatis eſſe iure exiſtimabamus: quod non nobis ſtudium tuum, ſed tempora ſtudio tuo defuiſſe declarabat: quodq; te, cum ſine literis animi noſtri teſtificationem tam illuſtri gratia exceperis, non aſpernaturum ipſius Academiæ vocem nobis promittebat; quæ quidem in ſinum tuum tanquam in portum confugit; vt fugam antiquitatis ac literarum ſiſtas in his locis, cuius auſpiciis ductuque fugatæ iampridem barbarorum cohortes. Cui quidem tanto operi ita te ſuffecturum ſcimus præſentia tua, quam ſolicito exoptamus, vt nihil ſit nobis præterea requirendum; ita nos gratos futuros ſpondemus, vt nihil à nobis præterea requiſiturus ſis. Neque enim aut tibi deeſſe, cum abeſſes à crudo illo diuo, aut popularibus tuis potes cum nobis aderis, qui in te omnia reliquiſſe præter te videbuntur, cum luminis tanti vſuram etiam illis impatiens qui procul

procul ſiti. Quamobrem ſi huc veneris, quod quidem exorari te pateris, & illorum voluntati, qui omnia à te poſuerant, tuam iunges, & perculſa iam proſtrataque teterrimo bello Gallia, reſtitues hic literarium regnum, cum præſentia tua, tum ſcriptorum tuorum Genio, quæ perfecta iam aut affecta diutius à te deberi non poſſunt communi literatorum deſiderio. Sed & his ne qua calamitas interueniat; quæ in pulcherrima herba præripiat tantam gloriæ ſegetem noſtris temporibus, tantum adiumenti futuris, equidem caueri decet. Neque enim maius vllum eximiæ literaturæ decus, quam multis profuiſſe. Quod vt facere pergas, non es hortandus, tantum vt ſedem hanc eligas virtutibus tuis, in qua cumulatius eas exercere poſſis, etiam atque etiam te rogamus per illa ipſa, quæ velut lumina exſtinctis cæteris in hoc orbe lucent, nobilitatem, ingenium, doctrinam, humanitatem tuam. Vnum hoc addemus non impudenter à te peti, quod an placeat tibi, ad tempus experiri licebit, neque enim vt auribus tuis, ſed oculis credas volumus, an pœnitenda tibi videatur manſio in his regionibus: quas ſi acceſſeris, neque te pœnitebit, & votorum noſtrorum audicati magna ex parte ſatisfactum putabimus. Vale, vir Illuſtris, & Inſcriptiones Antiquas ab Academia noſtra tibi miſſas æqui boni conſule. Lugduni Batauor. Calend. Nouemb. CIↃ IↃ XCII,

Ex Decreto Curatorum & Conſulum.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

FRANCISCO VERTUNIANO, *S. P.* Et præſtita à te officia Academiæ Lugdunenſi in commune, primatim Tuningio noſtro, quum illic in re præſenti eſſet publico nomine, remunerationem, aut ſaltem indicationem aliquam

quam grati animi, deſiderabant; & deſideria noſtra non contenta hac ſint conſiſtere, magis magiſque hoc votiuo pignore tibi obſtringi cupiebant, vir Clariſſime. Eoque, ne ingrati videremur, non merendi nobis viſa eſt audacia ſuma, vt tametſi prioribus tuis officiis nondum ſatisfecerimus, debere tamen cupiamus noua. Scis equidem, quam de incomparabili viro Ioſepho Scaligero pertrahendo in has oras iampridem ſategerimus, quæ in te, & tunc temporis animi noſtri ardorem adiuuit egregia ac ſingularis tua voluntas; & vt eadem nos proſequatur ad effectum tanti operis, obnixe à te petimus: non quod de beneuolentia tua quicquam diffidamus, ſed ne videamur tributa iam nobis beneficia ſatis digne agnoſcere, niſi cum efflagitatione pene exegerimus exhibenda. Quæ non in ſterili agro obſeuiſſe te intelliges, ſiquidem nobis huiuſmodi aliquo hæc remunerari, & tanti nominis nexu rebus non verbis liceat coniungere. Vale, vir Clariſſime. Lugduni Batauorum Kalend. Nouemb. CIↃ IↃ XCII.

Ex Decreto Curatorum & Conſulum.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

CAROLO [illegible], S. P. Quoniam bonis familiare eſt benignitatis merita cumulare, quorum gratiam ſenſerunt, nos perinde iuſſi ſumus ex nuperæ beneuolentiæ tuæ exemplis ſperare maiora, non contenti hoc gratitudinis teſtimonio pro acceptis beneficiis, niſi nouum ſponderemus pro accipiendis, vir clariſſime. Neque enim auara ſunt vota, quæ tua erga nos noſtroſque confirmauit humanitas. Scis equidem quam de incomparabili viro I. Scaligero pertrahendo in has oras iampridem ſategerimus, miſſo illuc cum mandatis & literis publicis Tuum-

Digitized by Google

Tuningio noſtro: qua in te & tunc temporis animi no-
ſtri ardorem adiuuit egregia ac ſingularis tua voluntas,
& vt eadem nos proſequatur ad effectum tanti operis,
obnixe à te petimus. atque hoc tibi ſpondemus, quic-
quid in hac re feceris, id te omnium bonorum atque ad-
eo Reipubl. totius gratiæ daturum, quæ pro tanto bene-
ficio nunquam ſe tibi munem & gratam profiteri deſi-
net. Vale, vir clariſſime. Lugduni Batauorum Calend.
Nouembris CIↃ IↃ XCII.

Ex decreto Curatorum & Conſulum.

EPISTOLA CCCCLXXV.

Magnificis Dominis meis Curatoribus inclitæ Academiæ Lugduni Batauorum, & Conſulibus eiuſdem Ciuitatis, S.P.D.

NOndum conſtitui apud me, viri Magnifici, maiore-
ne lætitia me affecerit Gerardus Tuningius veſter,
& iam plane meus, quod à vobis: an triſtitia, quod ſine
veſtris literis ad nos venerit. Nam quamuis fideliter le-
gationem ſuam renunciauerit, & quidquid teſtimonii à
veſtris literis expectari poterat, id abunde à fide eius ha-
beam: tamen doleo & vicê eius, cui literæ veſtræ extortæ
ſunt, & meam, ad quem non peruenerunt: præſertim
cum ei neq; diligentia, neque cura in iſto munere defue-
rit: & magnæ præterea ad nos perueniendi obiicerentur
difficultates, maiores ad vos redeundi, quod non neſci-
ret, id quod poſtea magno capitis diſcrimine expertus
eſt, omnes ad nos aditus & vias à ſicariis inſideri. Ita-
que non deerit illi quo fidem ſuam & ſedulitatem apud
vos probet, ſaltem ſi nihil aliud, quod iniquiſſimis tem-
poribus, impeditiſſimis itineribus, ſummis difficul-
tatibus ſaluti ſuæ authoritatem veſtram prætulerit.

Mihi

Mihi fortaſſe plus laborandum eſſet, vt vobis cauſam probem, cur ille ſine me ad vos redierit aduerſus & ſententiam & expectationem veſtram, niſi confiderem vos et cum meis literis fidem aliquam habituros, cui ego ſummam ſine veſtris habui. Itaque verecundia impedior, ne vobis omnes cauſas exponam. Ille ipſe, cui expoſui, vobis referet, ac, vti ſpero, probabit: quæ tam vehementia ſunt, vt ſolæ quidem voluntatem proficiſcendi non minuerint, cum aliis autem impedimentis coniunctæ facultatem adimant. Equidem, viri Magnifici, vellem Deus feciſſet, vt quæcunque ea eſt mei opinio, quam excitauerim, eam tueri & ſuſtinere poſſem. Neque enim ſtudiis meis plane conſecutus id videor, vt aliquid in me extare ſperem, quod veſtræ expectationi minimum reſpondere poſſit. Sed tamen (fatebor enim) pro tam amplo veſtro teſtimonio, meum erat omnes moras itinerum perrumpere, vt vobis potius præſens gratias agerem, quam abſens difficultates excuſarem. Præterea cum hinc literas abegerint ciuiles furores, vt bono viro vbiuis potius eſſe, quam in Gallia expediat; denique (proferam omnia aduerſus me argumenta) cum apud vos in aliquo munere eſſe poſſim, hic fortaſſis ne ſapere quidem videar; &, quod familiam ducit, is à vobis honos deferatur, quo nunquam patria me dignata eſt. Satis hæc valida erant, ad pertinaciſſimum quoduis propoſitum labefactandum, nedum ad labaſcentem animum impellendum. Hæc, inquam, omnia obiici mihi, palam beatum niſi votum deeſſet, ventus aliquis ſecundus, qui hæc votorum vela inflaret. Nunc, Magnifici viri, cum eo res deducta ſit, vt non vobis de voluntate mea, ſed mihi de infelicitate temporum meorum conqueri liceat, faxit Deus optimus Max. vt ego veſtrum in me animum nunquam mutatum ſentiam: veſtrum autem conſenſum de me ad vltimum vitæ ſpiritum perferre liceat. Valete Domini Magnifici.

Digitized by Google

Magnifici. Ex arce Prulliacenſi in agro Turonenſi. XII. Calend. Februar. cIↄ Iↄ XCII.

Vobis deuotiſſimus

IOS. SCALIGER Iul. Cæſ. F.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

IANO DOVZÆ PATRI. Noli dubitare, mi Douza, quin Tuniogius noſter me ſecum ducturus fuerit, ſi voluntas eius & fortuna mea paria feciſſent. Quantum vero bonũ ex hac profectione ad me redundaturum fuerit, ex eo intelligo, quod eo carendum mihi eſt. Fatũ enim meum felicitatem non capit; ne interea tibi alia ſontica allegem, quæ moras obiiciunt. Vide quam fruſtra facem mihi Fortuna alluxerit. Vna enim fuit hæc fati mei inuidia, quod neſcio per quam ſolennem infelicitatẽ meam, ampliſſimorum Ordinum & inclitæ Academiæ Batauorum literæ in itinere à ſicariis interceptæ ſint. Sed prior illa, quod ad vos penetrare non liceat. Ergo non ſolum tantorum virorum conſpectu, vt video, ſed etiam teſtibus ampliſſimi eorum de me iudicii carẽdum eſt. Quod ergo reliquum eſt, oro te, mi Douza, ne ſolide miſer ſim: ſed partem ſiue infelicitatis ſiue incommodi mei minuat bonus tuus ac beneuolus in me animus. Quod quidem fiet, ſi me, vti ſpero, amare pergas. Vale, mi Douza. Ex arce Prulliacenſi in agro Turonenſi. XII. Calend. Februar. cIↄ Iↄ XCII.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

IANO DOVZÆ PATRI S. Adeone me ab omni humanitate auerſum eſſe iudicatis, mi Douza, vt ſi præſtare

potuerim id, quod à me expectabaris, non ſtatim vltro ſecuturus fuerim Tuningium, vt ampliſſimorum Ordinum ac tuo de me iudicio ſatisfacerem? Conſcientiam ſcilicet tergiuerſationem eſſe putaſtis. Quid enim aliud ſuſpicer? Deniq; quo illæ tuæ ac tantorum virorum alteræ ad me literæ, ſi hoc non eſt potius mecum expoſtulare, quam aliquid à me efflagitare? Excuſaui inopiam ingenii. vos vero aquam ex pumice. Quid vobis prodeſſet hominis vmbratilis ingenium, qui nunquam in hanc arenam deſcendit: qui deſultoriam ſemper vitam vixit: cui nemo viam ad has literas, quas fruſtra à me exigitis, præiuit? Quid à me expectetis, video; quid experiemini neſcio. Ego, mi Douza, nunquam hoc ignobile otium ideo foui, vt ex eo negotium nanciſcerer. In literis ſatis celebris mihi viſus ſum fore, ſi vulgo ignorabilis eſſem. Sed vos meum otium ſollicitatis, priuſquam exploratum habeatis, quam me ridiculum mea inopia, aut quam vos beatos aliorum copia facere poſſit. Sed vicit pudorem pertinax humanitas veſtra. Vultis me ad vos venire? Mos geratur impatienti deſiderio. Veniam, atque adeo tantum vt exeam: & vt ampliſſimis Ordinibus gratias agam eius honoris, quam mihi immerenti habuerunt, potius quam vt aliud amplius à me expectetis (fruſtra enim expectaueritis:) nam quid aliud poſſim præterea? Intelligere poteris quam breuis vobis futura ſit vſura mei, quod mecum alumnum meum Henricum Ludouicum, Ludouici filium, caput vita mihi carius adduco, quem patri properi reditus mei ad eos obſidem eripui. Quæcunque mihi fuit neceſſitas ad vos proficiſcendi, tantum pignus deſerere non potui. Sed longe maior erit neceſſitas reuertendi, quod illud patri debeo. Expecta nos igitur proximo vere adulto. Volo hanc epiſtolam tibi cum Iano filio & Tuningio noſtro communem eſſe, quia & ſpem

ſpem profectionis meæ communem feci. Vale. Ex arce Prulliacenſi, vi. Cal. April. cIↃ IↃ xcIII.

Iohannes & Ioſſaatus literas ampliſſimorum Ordinum ac tuas mihi attulerunt: atque hic in arce Prulliacenſi hac, triduum mecum fuerunt.

Epistola CCCCLXXVIII.

Lettre du Roy à Monſieur Scaliger.

Monſieur de Scaliger, I'ay eſté tresayſe d'entendre, que vous vous eſtes en fin reſolu d'aller en Hollande, pour eſtre en l'Vniverſité de Leyden, ſelon que je vous ay cy deuant eſcrit, que je le deſirois; m'eſtant un grand playſir, que les Srs Eſtats du Pays bas ayent ce contentement au deſir qu'ils avoyent, de vous avoir en la dite Vniverſité, pour l'eſtat & eſtime, qu'ils font de voſtre vertu: laquelle ne peut eſtre employée en lieu qui me ſoit plus agreable, que celuy la, & qui vous acquerra plus de recommandation en mon endroict ayant receu tant de bons offices, ſecours & aſſiſtences en mes affaires deſdits Signeurs, que je ne deſire moins leur bien & contentement, que le mien meſme. De ſorte que vous vous pouvez aſſeurer, que vous eſtant reſolu à cela, vous n'avez ſeulement ſatiſfaict à ce que leſdits Seigneurs deſiroyent de vous: mais auſſi faict choſe, que j'ay tant agreable, que la bonne volonté que j'avois de faire pour vous, m'en eſt augmentée, & laquelle ſera ſuivie des effects, quand il ſe preſentera occaſion, ou j'aye moyen de vous teſmoigner le plaiſir que vous m'avez faict d'acoepter ladite charge. Priant Dieu, Monſieur de Scaliger, qu'il vous ait en ſa ſainte garde. Eſcrit à Mante, le vingtieſme iour d'Auril. 1591. ſoubſigné.

Henry.

& plus bas,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

Lettre des Eſtats d'Hollande & Weſt-Friſe à Monſieur *Scaliger*.

MONSIEVR,

IAçoit que le renom de voſtre diſcretion ſi debonnaire aſſeurer nous doibve; que ou les treſjuſtes raiſons, ou bien les ſupplications & inſtances tant ſerieuſes des lettres cy jointes de par le Senat de noſtre Vniuerſité à Leyden, eſmouueront voſtre Seigneurie à y conſentir d'auſsi bonne volonté, comme d'affection ſincere elle y eſt requiſe: ſi eſt ce que conſiderans l'importance du faict, & la treſnoble valeur de voſtre Seigneurie, n'avons voulu faillir d'accompaigner les lettres ſuſdits de nos treſintimes recommandations & affectueuſes requeſtes. Qu'il plaiſe à voſtre Seigneurie ſeruir de flambeau & eſperon aux eſtudes languiſſans de la jeuneſſe par deça, à l'avancement de la gloire de Dieu, & ſeruice de la cauſe commune: aſſeurans voſtre Seigneurie qu'en tous endroits elle ſe trouvera rencontrée du faveur & reſpect, que ſa noble race & doctrine meritent. En ferme fiance de quoy vous ſaluans aultre & mille fois de nos meilleures recommandations, prierons l'Eternel, Monſieur, de preſeruer voſtre Seigneurie en vie heureuſe & longue. De la Haye en Hollande, ce ſeptieme d'Octobre 1591.

De voſtre Seigneurie treſaffectionnez amis,

Les Eſtats d'Hollande & VVeſtfriſe.

A l'ordonnance deſdits Eſtats.

Par moy

C. de Rechtere.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXX.

Lettre de ſon Excellence le Prince MAVRICE, au ROY de France & Nauarre.

SIRE,

LE Sieur Iuſtus Lipſius Profeſſeur de bonnes Lettres en l'Vniverſité de Leyden, s'eſtoit retiré de ces pays vers les baingsen Allemaigne, à cauſe de ſon indiſpoſition, ſoubs promeſſe toutesfois, qu'il retourneroit en ſa vocation & eſtat accouſtumé. Mais d'autant que j'enten, qu'il n'y à point d'eſpoir de ſon retour; & que je ne deſire rien plus, que de voir que ladicte Vniuerſité, comme fondation de feu Monſeigneur le Prince d'Aurange mon Pere, demeuré pourveue de tels officiers, comme elle en a beſoing pour ſon accroiſſement, & ſpecialement en la faculté, laquelle eſt vacante par l'abſence dudict Lipſius. Ie n'ay peu obmettre tant à l'inſtance de Meſſieurs les Eſtats d'Hollande, comme eſtant eſmeu des raiſons ſuſdictes, de ſupplier voſtre Maieſté treshumblement, qu'il luy plaiſe impartir tant de ſa faveur Royalle auſdicts Sieurs des Eſtats, que de interpoſer ſon authorité, afin que le Sieur Ioſeph Scaliger, qui par ſa doctrine & autres bonnes qualitez eſt tant renommé par toute l'Europe, vienne par deça à deſeruir la place dudict Lipſius. Quant eſt de ſon traictement, je m'aſſeure, que leſdicts Sieurs Eſtats y pourvoyront ſi bien, qu'il en recevra entier contentement. Et outre toutes les faueurs, que leſdits Sieurs & moy recevons & attendons de la benignité Royalle de voſtre Majeſté, ſera ceſte bien ſinguliere: laquelle je tacheray en mon particulier de deſeruir envers voſtre dicte Majeſté, en la meſme humilité & volonté, que je luy ay vouée de long temps. Et ſur ce, apres luy avoir baiſé les mains treshumblement, je prieray Dieu, Sire, De maintenir voſtre Maieſté en ſa ſaincte protection, & l'accroiſtre en toute grandeur & proſperité. De la Haye ce ſixieſme d'Octobre 1591.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXXI

Lettre des Eſtats d'Hollande & Weſtfriſe, au Roy Tres-Chreſtien.

SIRE,

NOus eſtant remonſtré depuis naguieres de par les Curateurs de l'Vniuerſité en noſtre ville de Leyden, comme auſſi par les Bourgmaiſtres d'icelle, le peu d'eſpoir qu'ils ont du retour de leur profeſſeur le Sr Iuſtus Lipſius; les qualitez duquel tant plus que ſeruirent à ladite Vniuerſité d'ornement fort beau, voire de pillier unique; de tant plus jugeans neceſſaire, qu'en lieu d'iceluy ſoit ſurrogué quelque autre de ſemblable profeſſion & experience: Et à cela ne pouvans adviſer, ny ſouhaitans perſonne plus idoine ou renommée, que le Seigneur Ioſeph Scaliger: lequel en ſuyvant les vertueux deſſeings du feu ſon Pere, s'eſt aiſement acquis entre tous ſçavants de ces temps le los du Phœnix de l'Europe: *Avons finalement trouvé bon & convenable de ſupplier voſtre Majeſté par l'offre de nos treshumbles recommandations & ſervices, qu'il luy plaiſe adjouter à ſa tresbenigne volonté & affection vers nous, encore ceſte faveur, que d'aſſiſter de voſtre authorité & conſent le Preſenteur de ceſtes Gerard Tuning Docteur, & Profeſſeur des Loix civiles; ſpecialement deputé à ceſt affaire de par les Curateurs & Bourgmaiſtres ſuſdits: afin que ledit Seigneur Ioſeph Scaliger (tant à la contemplation de nos ſerieuſes requeſtes, qu'au eſgard aux troubles & dangers, qui ſe trouvent à preſent en voſtre Royaulme de France) ce puiſſe pour le preſent employer au maintienement & ſervice de noſtre Vniverſité ſuſdite, à telles conditions & gaiges, que contenter le pourront. De quoy nous aſſeurans mille experiences de voſtre Royale bienveuillance vers ces Pays, enſemble l'intereſt treſevident, que la gloire de Dieu & ſervice de la cauſe commune en rapporteroyent, en cas que par refus de ceſte requeſte, l'avancement & inſtruction de la jeuneſſe par deçà furent empeſchez. Ne*

ferons

ferons aultre qu'aſſeurer voſtre Majeſté qu'en tous reſpects recognoiſtrons l'avoir receu de coſté Royale, qui ſera l'endroict, ou prierons l'Eternel, Sire, De maintenir voſtre Majeſté en tresparfaicte ſanté & longue vie. De la Haye en Hollande, *ce ſeptieſme d'Octobre* 1591.

De voſtre Majeſté

Treshumbles ſerviteurs

Les Eſtats d'Hollande & Weſtfriſe.

C. de Rechrere.

Epistola CCCCLXXXII.

Lettre du Roy de France a Monſieur Scaliger.

Monſieur Scaliger, Les Seigneurs Eſtats de Hollande ſoigneux, de ne laiſſer eſteindre les belles lumieres de doctrine & vertu, que leur Univerſité de Leyden a produict juſques icy au profit du publicque & de rechercher les moyens plus propres la ou ils ſe peuvent trouver, pour la maintenir en ſa ſplendeur; ont particulierement jetté les yeux ſur voſtre perſonne, pour vous y donner lieu & entretenement honorable, ſi vous le voulez accepter. Et oultre qu'ils envoyent expres vers vous le Sieur Gerard Tuning Docteur & Profeſſeur es loix civiles, pour vous en faire offre de leur part, & vous y convier par toutes honeſtes conditions, Ils m'ont eſcrit, comme a auſſi fait mon Couſin le Conte de Naſſau, a fin de favoriſer en cela leur juſte deſir de ce que peult dependre de moy. Et encores que la bonne volonté & opinion, qu'ils teſmoignent par la en voſtre endroict, & le devoir, que chaſcun a de communiquer au public les graces

que

que Dieu luy a departies, vous doivent aſſez inciter d'embraſſer ceſte occaſion, joinct le merite & honneur, que vous y pourrez acquerir: ſi eſt ce qu'ils me ſont ſi conjoincts d'amitié, & ayant d'occaſion de deſirer leur contentement en toutes choſes; mais d'autant plus en celle cy, que toute la Chreſtienté a intereſt de promouvoir & advancer, comme vn bien commun, qui derivant par ceſte fontaine ſe peult reſpandre par tout; que pour vous faire cognoiſtre combien j'auray agreable, que vueilles vous y diſpoſer, j'ay bien voulu accompagner de la preſente leur dit Delegué, pour vous en prier, & vous aſſeurer, que le ſervice, que vous ferez là, ne vous acquerra moins de recommandation envers moy pour en eſperer quelque bonne gratification & recognoiſſance de ma part, que ſi je l'avois receu particulierement en mes plus importantes affaires, & n'y ſçaurois deſirer plus favorable interceſſion, que le teſmoignage que j'auray du contentement, que vous les aurez donné en ceſt endroict: priant Dieu, Monſieur Scaliger, vous avoir en ſa ſaincte garde. Eſcrit au Camp devant Rouen le troiſieſme de Decembre 1591. Soubsſigné ainſi

Henry

& plus bas,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

Paſſeport baillé par le Roy tres-Chreſtien au Docteur *Tuning*, de par le *Roy*.

A *Tous nous Lieutenans, Generaulx, Gouverneurs de nos provinces, Mareſchaux, Maiſtres de Camp, Capitaines, chefs & conducteurs de nos gens de guerre tant de cheval que de pied, Baillifs, Seneſchaus, Prevoſts, Iuges, ou leurs Lieutenans, & à tous nos au-*

tres

autres officiers,ſubiects,qu'il appartiendra,Salut. Nous voulons & vous mandons, que noſtre bien amé Gerard Tuning s'en allant en Touraine,Poictou,& autres lieux de ce Royaume,pour ſes affaires, vous ayez à laiſſer paſſer, aller, venir, ſe tourner & retourner, par chaſcun de vos pouvoirs, iuriſdictions, & deſtroicts, librement & ſeurement, avec ſon ſeruiteur, cheval, bardes & armes, ſans luy do[nn]er aucun empeſchement: ains toute faveur & aſſiſtance. & n'y faictes faulte. car tel eſt noſtre plaiſir. Donné au camp, devant Rouen le troiſieſme jour de Decembre 1591. Subſsigné,

Henry

& plus bas,

Par le ROY,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXXIIII.

Lettres de Monſieur Scaliger à ſon Excellence le Prince MAVRICE.

MONSEIGNEVR,

COmbien que Monſieur Tuning ſoit arrivé icy ſans aulcune preuve ou teſmoignage de ſa commiſſion,les lettres, deſquelles il m'a aſſeuré avoir eſté chargé de voſtre part, & de Meſſieurs tant des Eſtats de Hollande, que Curateurs de l'Academie de Leyden: luy ayans eſté, comme il dict, volées en chemin par les Ligueurs. neantmoins je me ſuis tant fié de ſa preudhommie, que je n'ay faict aulcune difficulté d'adjouter foy à ſa ſimple parole, touchant ce qu'il m'a aſſeuré, ne s'eſtre tranſporté d'Hollande en France avec grand danger de ſa vie pour aultre choſe, que pour m'annoncer l'honneur, qu'il vous a pleu, Monſeigneur, & à mes dits Sieurs des

Eſtats me faire, de m' appeller à une charge, de laquelle je me confeſſe eſtre autant indigne, que je ſuis marry, de ne m'en pouvoir acquiter pour beaucoup de raiſons, & principalement celles que j' ay alleguées audict Seigneur Tuning. Parquoy n'ayant jamais rien moins eſperé en ma vie, que de recevoir un tel honneur de vous, je demeureray,

Monſeigneur,

Voſtre treshumble & tresobeiſſant ſerviteur

Ioſeph de la Scala.

De Preuilli en Touraine, ce
xx. Ianuier 1592.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

Lettre des Eſtats d'Hollande & West-Friſe à Monſieur *Scaliger*.

M*Onſieur, Par vos lettres accompagnees du recit du Docteur Tuning en conformité d'icelles ſur ce qu'il eſtoit addreſſé a vous, & parce que les lettres ſur le meſme ſujeƈt à vous eſcrites avoyent eſté interceptes, nous avons eſté fort marris, comme auſſi que l'iniquité du temps nous prevoit encor du bien qu'eſperons jovir de voſtre heureuſe venue & preſence au meſme endroit. Et d'autant que l'eſpoir differé, n'eſt pas perdu, conſiderant le teſmoignage donné de voſtre bonne intention & volonté envers nous & l' Academie icy a Leyden par voſdites lettres, & confirmez par la bouche dudict Tuning, ayans ſur ce ferme confiance: nous avons par ceſtes iterativement vous bien voulu eſcrire, requerir & prier inſtamment, de nous faire ceſte faveur, bien, & honneur, à l'accroiſſement du ſplendeur des lettres, de condeſcendre à noſtre bonne intention & demande ſuſdite: & auſſi de ſon Excellence & ladicte Academie, pour jovir des*

fruicts

fruicts de voſtre ſinguliere prudence, vertu, & preſence pardeça. Vous aſſeurant qu'en conſideration d'un ſi grand bien, qu'en reviendra non ſeulement a noſtre Republique, mais auſsi en general a toute la Chreſtienté, vous y ſerez recogneu & traicté ſelon le lieu & rang que tenez & vos trèsnobles vertus meritent, en ſorte que ne receurez aucune occaſion pour vous meſcontenter, ne faiſant icy autre choſe, ou demeurant plus de temps, que trouverrez convenable & digne de voſtre eſtat, Venez donc non ſeulement pour eſtre en repos & ſeureté, mais auſsi aimé, chery, & reſpecté: tenant pour aſſeuré, qu'eſtes attendu icy de ſi bonne devotion, & d'auſsi prompte & bonne volonté, que nous ſouhaitons d'eſtre recueillez nos recommendations treſaffectionnees, prian l'Eternels:

Monſieur, vous avoir en ſa ſaincte & digne garde. Eſcrit à la Haye, ce 26. Nouembre 1592.

A l'ordonnance deſdits Eſtats,

Par moy

C. de Rechtere.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

potuerim id, quod à me expectabatis, non ſtatim vltro ſecutus fuerim Tuningium, vt ampliſſimorum Ordinum ac tuo de me iudicio ſatisfacerem? Conſcientiam ſcilicet tergiuerſationem eſſe putaſtis. Quid enim aliud ſuſpicer? Deniq; quo illæ tuæ ac tantorum virorum alteræ ad me literæ, ſi hoc non eſt potius mecum expoſtulare, quam aliquid à me efflagitare? Excuſaui inopiam ingenii. vos vero aquam ex pumice. Quid vobis proderit hominis vmbratilis ingenium, qui nunquam in hanc arenam deſcendit: qui deſultoriam ſemper vitam vixit: cui nemo viam ad has literas, quas fruſtra à me exigitis, præiuit? Quid à me expectetis, video; quid exprimeretis neſcio. Ego, mi Douza, nunquam hoc ignobile otium idcirco foui, vt ex eo negotium nanciſcerer. In literis ſatis celebris mihi viſus ſum fore, ſi vulgo ignorabilis eſſem. Sed vos meum otium ſollicitatis, priuſquam exploratum habeatis, quam me ridiculum mea inopia, aut quam vos beatos aliorum copia facere poſſit. Sed vicit pudorem pertinax humanitas veſtra. Vultis me ad vos venire: Mos geratur impatienti deſiderio. Veniam, atque adeo iturum vt exeam: & vt ampliſſimis Ordinibus gratias agam eius honoris, quam mihi immerenti habuerunt, potius quam vt aliud amplius à me expectetis (fruſtra enim expectaueritis:) nam quid aliud poſſim præterea? Intelligere poteris quam breuis vobis futura ſit vſura mei, quod mecum alumnum meum Henricum Ludouicum, Ludouici filium, caput vita mihi carius adduco, quem patri propter reditus mei ad eos obſidem eripui. Quæcumque mihi fuit neceſſitas ad vos proficiſcendi, tantum pignus deſerere non potui. Sed longe maior erit neceſſitas reuertendi, quod illud patri debeo. Expecta nos igitur proximo vere adulto. Volo hanc epiſtolam tibi cum Iano filio & Tuningio noſtro communem eſſe, quia &

ſpem

ſpem profectionis meæ communem feci. Vale. Ex arce Prulliacenſi, VI. Cal. April. CIƆ IƆ XCIII.

Iohannes & Loſſanius literas ampliſſimorum Ordinum ac tuas mihi attulerunt: atque hic in arce Prulliacenſi hac, triduum mecum fuerunt.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

Lettre du Roy à Monſieur Scaliger.

Monſieur de Scaliger, I'ay eſté treſayſe d'entendre, que vous vous eſtes en fin reſolu d'aller en Hollande, pour eſtre en l'Vniuerſité de Leyden, ſelon que je vous ay cy devant eſcrit, que je le deſirois; m'eſtant un grand plaiſir, que les Srs Eſtats du Pays bas ayent ce contentement au deſir qu'ils avoyent, de vous avoir en la dite Vniverſité, pour l'eſtat & eſtime, qu'ils font de voſtre vertu: laquelle ne peut eſtre employée en lieu qui me ſoit plus agreable, que celuy là: & qui vous acquerra plus de recommandation en mon endroict ayant receu tant de bons offices, ſecours & aſſiſtences en mes affaires deſdits Signeurs, que je ne deſire moins leur bien & contentement, que le mien meſme. De ſorte que vous vous pouvez aſſeurer, que vous eſtant reſolu à cela, vous n'avez ſeulement ſatisfaict à ce que leſdits Seigneurs deſiroyent de vous: mais auſſi faict choſe, que j'ay tant agreable, que la bonne volonté que j'avois de faire pour vous, m'en eſt augmentée, & laquelle ſera ſuivie des effects, quand il ſe preſentera occaſion, où j'aye moyen de vous teſmoigner le plaiſir que vous m'avez faict d'acoepter ladite charge. Priant Dieu, Monſieur de Scaliger, qu'il vous ait en ſa ſainte garde. Eſcrit à Mante, le vingtieſme iour d'Auril. 1591. ſoubſigné.

Henry.

& plus bas,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

Lettre des Eſtats d'Hollande & Weſt-Friſe à Monſieur Scaliger.

MONSIEVR,

IAçoit que le renom de voſtre diſcretion ſi debonnaire aſſeurer nous doibve; que ou les tresjuſtes raiſons, ou bien les ſupplications & inſtances tant ſerieuſes des lettres cy jointes de par le Senat de noſtre Vniuerſité à Leyden, eſmouveront voſtre Seigneurie à y conſentir d'auſsi bonne volonté, comme d'affection ſincere elle y eſt requiſe: ſi eſt ce que conſiderans l'importance du faict, & la tresnoble valeur de voſtre Seigneurie, n'avons voulu faillir d'accompagner les lettres ſuſdits de nos tresintimes recommandations & affectueuſes requeſtes. Qu'il plaiſe à voſtre Signeurie ſeruir de flambeau & eſperon aux eſtudes languiſſans de la jeuneſſe par deça, à l'avancement de la gloire de Dieu, & ſeruice de la cauſe commune. aſſeurans voſtre Seigneurie qu'en tous endroits elle ſe trouvera rencontrée du faveur & reſpect, que ſa noble race & doctrine meritent. En ferme fiance de quoy vous ſaluans autre & mille fois de nos meilleures recommandations, prierons l'Eternel, Monſieur, de preſeruer voſtre Seigneurie en vie heureuſe & longue. De la Haye en Hollande, ce ſeptieme d'Octobre 1593.

De voſtre Signeurie tresaffectionnez amis,

Les Eſtats d'Hollande & VVeſtfriſe.

A l'ordonnance deſdits Eſtats,

Par moy

C. de Rechtere.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXX.

Lettre de ſon Excellence le Prince MAVRICE, au ROY de France & Nauarre.

SIRE,

LE Sieur Iuſtus Lipſius Profeſſeur de bonnes Lettres en l'Vniuerſité de Leyden, s'eſtoit retiré de ces pays vers les baings en Allemaigne, à cauſe de ſon indiſpoſition, ſoubs promeſſe toutesfois, qu'il retourneroit en ſa vocation & eſtat accouſtumé. Mais d'autant que j'entens, qu'il n'y à point d'eſpoir de ſon retour, & que je ne deſire rien plus, que de voir que ladicte Vniuerſité, comme fondation de feu Monſeigneur le Prince d'Aurange mon Pere, demeure pourveue de tels officiers, comme elle en a beſoing pour ſon accroiſſement, & ſpecialement en la faculté, laquelle eſt vacante par l'abſence dudict Lipſius. Ie n'ay peu obmettre tant à l'inſtance de Meſſieurs les Eſtats d'Hollande, comme eſtant eſmeu des raiſons ſuſdictes, de ſupplier voſtre Maieſté treshumblement, qu'il luy plaiſe impartir tant de ſa faveur Royalle auſdicts Sieurs des Eſtats, que de interpoſer ſon authorité, afin que le Sieur Ioſeph Scaliger, qui par ſa doctrine & autres bonnes qualitez eſt tant renommé par toute l'Europe, vienne par deça à deſeruir la place dudict Lipſius. Quant eſt de ſon traictement, je m'aſſeure, que leſdicts Sieurs Eſtats y pourvoyront ſi bien, qu'il en recevra entier contentement. Et outre toutes les faueurs, que leſdits Sieurs & moy recevons & attendons de la benignité Royalle de voſtre Majeſté, ſera ceſte bien ſinguliere: laquelle je tacheray en mon particulier de deſeruir envers voſtre dicte Majeſté, en la meſme humilité & volonté, que je luy ay vouée de long temps. Et ſur ce, apres luy avoir baisé les mains treshumblement, je prieray Dieu, Sire, De maintenir Voſtre Maieſté en ſa ſaincte protection, & l'accroiſtre en toute grandeur & proſperité. De la Haye ce ſixieſme d'Octobre 1591.

EPISTOLA CCCCLXXXI.

Lettre des Eſtats d'Hollande & Weſtfriſe, au ROY Tres-Chreſtien.

SIRE,

NOus eſtant remonſtré depuis nagueres de par les Curateurs de l'Vniuerſité en noſtre ville de Leyden, comme auſſi par les Bourgmaiſtres d'icelle, le peu d'eſpoir qu'ils ont du retour de leur profeſſeur le Sr Iuſtus Lipſius, les qualitez duquel tant plus que ſeruirent à ladite Vniuerſité d'ornement fort beau, voire de pillier unique; de tant plus iugeans neceſſaire, qu'en lieu d'iceluy ſoit ſurrogué quelque aultre de ſemblable profeſſion & experience: Et à cela ne pouvans adviſer, ny ſouhaitans perſonne plus idoine ou renommée, que le Seigneur Ioſeph Scaliger: lequel en ſuyvant les vertueux deſſeings du feu ſon Pere, s'eſt aiſement acquis entre tous ſçavants de ces temps le los du Phœnix de l'Europe: Avons finalement trouvé bon & convenable de ſupplier voſtre Maieſté par l'offre de nos treshumbles recommandations & ſervices, qu'il luy plaiſe adiouter à ſa tresbenigne volonte & affection vers nous, encore ceſte faveur, que d'aſſiſter de voſtre authorité & conſent le Preſenteur de ceſtes Gerard Tuning Docteur, & Profeſſeur des Loix civiles; ſpecialement deputé à ceſt affaire de par les Curateurs & Bourgmaiſtres ſuſdits: afin que ledit Seigneur Ioſeph Scaliger (tant à la contemplation de nos ſerieuſes requeſtes, qu'au égard aux troubles & dangers, qui ſe trouvent à preſent en voſtre Royaulme de France) ſe puiſſe pour le preſent employer au maintiennement & ſervice de noſtre Vniverſité ſuſdite, à telles conditions & gaiges, que contenter le pourront. De quoy nous aſſeurans mille experiences de voſtre Royale bienveuillance vers ces Pays, enſemble l'intereſt treſevident, que la gloire de Dieu & ſervice de la cauſe commune en rapporteroyent, en cas que par refus de ceſte requeſte, l'avancement & inſtruction de la ieuneſſe par deça furent empeſchez: Ne

ferons

ſerons aultre qu'aſſeurer voſtre Maieſté qu'en tous reſpects recognoiſtrons l'avoir receu de coſté Royale, qui ſera l'endroict, ou prierons l'Eternel, Sire, De maintenir voſtre Majeſté en tresparfaicte ſanté & longue vie. De la Haye en Hollande, ce ſeptieſme d'Octobre 1591.

De voſtre Majeſté

Treshumbles ſerviteurs.

Les Eſtats d'Hollande & Weſtfriſe.

C. de Rechtere.

EPISTOLA CCCCLXXXII.

Lettre du ROY de France a Monſieur SCALIGER.

M*Onſieur Scaliger, Les Seigneurs Eſtats de Hollande ſoigneux de ne laiſſer eſteindre les belles lumieres de doctrine & vertu, que leur Univerſité de Leyden a produict iuſques icy au profit du publicque & de rechercher les moyens plus propres la ou ils ſe peuvent trouver, pour la maintenir en ſa ſplendeur; ont particulierement jetté les yeux ſur voſtre perſonne, pour vous y donner lieu & entretenement honorable, ſi vous le voulez accepter. Et oultre qu'ils envoyent expres vers vous le Signeur Gerard Tuning Docteur & Profeſſeur es loix civiles, pour vous en faire offre de leur part, & vous y convier par toutes honneſtes conditions, Ils m'ont eſcrit, comme a auſſi fait mon Couſin le Conte de Naſſau, afin de favoriſer en cela leur juſte deſir de ce qui peult dependre de moy. Et encores que la bonne volonté & opinion, qu'ils teſmoignent par la en voſtre endroict, & le devoir, que chaſcun a de communiquer au public les graces*

que

que Dieu luy a departies, vous doivent aſſez inciter à embraſſer ceſte occaſion, joinct le merite & honneur, que vous y pourrez acquerir: ſi eſt-ce qu'ils me ſont ſi conjoincts d'amitié, & ayant tant d'occaſion de deſirer leur contentement en toutes choſes, mais d'autant plus en celle cy, que toute la Chreſtienté a intereſt de promouvoir & advancer, comme un bien commun, qui derivant par ceſte ſource ſe peult reſpandre par tout; que pour vous faire cognoiſtre combien j'auray agreable, que vueillez vous y diſpoſer, j'ay bien voulu accõpagner de la preſente leur dit Delegué, pour vous en prier, & vous aſſeurer, que le ſervice, que vous ferez là, ne vous acquerra moins de recommandation envers moy pour en eſperer quelque bonne gratification & recognoiſſance de ma part, que ſi je l'avois receu particulierement en mes plus importantes affaires, & n'y ſçaurois deſirer plus favorable interceſſion, que le teſmoignage que j'auray du contentement, que vous les aurez donné en ceſt endroict: priant Dieu, Monſieur Scaliger, vous avoir en ſa ſaincte garde. Eſcrit au Camp devant Rouen le troiſieſme de Decembre 1591. Soubſigné ainſi

Henry

& plus bas,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

Paſſeport baillé par le Roy tres-Chreſtien au Docteur *Tuning*, de par le *Roy*.

A *Tous nous Lieutenans, Generaulx, Gouverneurs de nos provinces, Mareſchaux, Maiſtres de Camp, Capitaines, chefs & conducteurs de nos gens de guerre tant de cheval que de pied, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, Iuges, ou leurs Lieutenans, & à tous nos au-*

tres

autres officiers, ſubiects, qu'il appartiendra. Salut. nous voulons & vous mandons, que noſtre bien amé Gerard Tuning, en allant en Touraine, Poictou, & autres lieux de ce Royaume, pour ſes affaires, vous ayes à laiſſer paſſer, aller, venir, ſe tourner & retourner, par chaſcun de vos pouvoirs, iuriſdictions, & deſtroicts, librement & ſeurement, auec ſon ſeruiteur, cheual, hardes & armes, ſans luy donner aucun empeſchement: ains toute faveur & aſſiſtance. & n'y faictes faulte. car tel eſt noſtre plaiſir. Donné au camp, deuant Rouen le troiſieſme jour de Decembre 1591. Sub ſigné,

Henry

& plus bas,

Par le Roy,

Revol.

EPISTOLA CCCCLXXXIIII.
Lettres de Monſieur Scaliger à ſon Excellence le Prince MAVRICE.

MONSEIGNEVR,

Combien que Monſieur Tuning ſoit arrivé icy ſans aulcune preuve ou teſmoignage de ſa commiſſion, les lettres, deſquelles il m'a aſſeuré avoir eſté chargé de voſtre part, & de Meſſieurs tant des Eſtats de Hollande, que Curateurs de l'Academie de Leyden: luy ayans eſté, comme il dict, volées en chemin par les Ligueurs: neantmoins je me ſuis tant fié de ſa preudhommie, que je n'ay faict aulcune difficulté d'adjouter foy à ſa ſimple parole, touchant ce qu'il m'a aſſeuré, ne s'eſtre tranſporté d'Hollande en France avec grand danger de ſa vie pour aultre choſe, que pour m'annoncer l'honneur, qu'il vous a pleu, Monſeigneur, & à meſdits Sieurs des

fruicts de voſtre ſinguliere prudence, vertu, & preſence pardeça. Vous aſſeurant qu'en conſideration d'un ſi grand bien, qu'en reviendra non ſeulement a noſtre Republique, mais auſſi en general a toute la Chreſtiente, vous y ſerez recogneu & traicté ſelon le lieu & rang que tenez & vos tresnobles vertus meritent, en ſorte que ne receurez aucune occaſion pour vous meſcontenter, ne faiſant icy autre choſe, ou demeurant plus de temps, que trouverrez convenable & digne de voſtre eſtat, Venez donc non ſeulement pour eſtre en repos & ſeureté, mais auſſi aimé, chery, & reſpecté: tenant pour aſſeuré, qu'eſtes attendu icy de ſi bonne devotion, & d'auſſi prompte & bonne volonté, que nous ſouhaitons d'eſtre recueillez nos recommendations tresaffectionnees, prian l'Eternels:

Monſieur, vous avoir en ſa ſaincte & digne garde. Eſcrit à la Haye, ce 26. Novembre 1592.

A l'ordonnance deſdits Eſtats,

Par moy

C. de Rechtere.

FINIS.

BIBLIOTECA N... RO... VITTORIO EMANUELE

60